Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/uvresdebossuetev0001boss

OEUVRES

DE BOSSUET.

Poissy. — Imp. d'Olivier-Fulgence et Comp.

ŒUVRES

DE BOSSUET.

BÉNIGNE BOSSUET,

Évêque de Meaux.

OEUVRES
DE BOSSUET
ÉVÊQUE DE MEAUX.

Reproduction de l'édition de 1816-1820 de A. Lebel, revue et corrigée.

TOME I

OUVRAGES SUR L'ÉCRITURE SAINTE.
PSAUMES.
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI CANTICA.
LIBRI SALOMONIS. PROVERBIA.
ECCLESIASTES.
CANTICUM CANTICORUM.
SAPIENTIA.
ECCLESIASTICUS, CUM NOTI

GRADUATE THEOLOGICAL UNION

PARIS

PAUL MELLIER,
Librairie Ecclésiastique et Religieuse,
PLACE SAINT-ANDRÉ-DES-ARTS, 11.

JACQUES LECOFFRE ET Cie,
Librairie centrale, Catholique et Classique,
RUE DU POT-DE-FER SAINT-SULPICE, 8.

ADRIEN LECLERE ET Cie,
Imprim. de N. S. P. le Pape et de Mgr. l'Arch. de Paris,
RUE CASSETTE, 29,

GUYOT PERE ET FILS,
Imprimeurs-Libraires à Lyon,
GRANDE RUE MERCIÈRE 39.

OLIVIER-FULGENCE, IMPRIMEUR-ÉDITEUR, A POISSY.

1846

Property of
CBSK
Please return to
Graduate Theological
Union Library

PQ
1735
A2
1845
v.1

Property of
CGSC
Please return to
Graduate Theological
Union Library

2655 L
v. 1

EPISTOLA

ILLUSTRISSIMI

MELDENSIS EPISCOPI.

JACOBUS BENIGNUS BOSSUET, Episcopus Meldensis venerabilibus atque amplissimis viris ac dilectissimis fratribus Decano et Canonicis sanctæ Meldensis Ecclesiæ : Ecclesiarum Pastoribus, religiosis Cœtibus, universoque Clero Meldensi, salutem in Domino.

Afferimus ad vos, dilectissimi fratres, nostras in Psalmorum librum pii vestri studii adjutrices notas ; ut qui tanto decore, tantaque diligentia Deo psallitis, data explanatione, *psallere sapienter*, erudite scilicet atque intelligenter, magis, magisque ediscatis. Pertinet ad commendationem exigui licet operis, quod in eo accurando adjutores nacti sumus viros egregios, hebraice, græce, latine doctissimos, quorum pars ad meliorem præcessere vitam, pars adhuc superstites, summa cum pietatis ac doctrinæ opinione, etiam in episcopali sede, aliisque amplissimis muneribus collocati degunt. Nam dum in aula versamur, alii aliis de causis, ego, quod notum est, Ludovici Delphini augustissimi ac fortissimi principis adolescentiæ ac spei a magno Rege admotus, omnes quidem paribus florentes studiis, integra amicitiæ gratia ac fide, communibus curis cœpimus evolvere Scripturas, blanda inter et aspera, quæ multa in eam vitam incidunt, solatio et consilio, quotidianæ vero nostræ consuetudini, ac familiaribus colloquiis, summo oblectamento atque emolumento futuras. Itaque iis exponendis multa perlegimus, pauca selegimus. Hinc psalmi nostri prodeunt, imo vero vestri, quando et ego vester, « omnia enim vestra sunt, sive Paulus,

18888

sive Apollo, sive Cephas :.... omnia enim vestra sunt : vos autem Christi, Christus autem Dei [1]. » Quare, dilectissimi, benevolis animis vestra hæc accipite ; hæc, inquam, non abstrusa et recondita, hoc est, plerumque vana, sed apta atque accommodata ad simplicem litteralemque intelligentiam, atque omnino, utiliora quam ornatiora aut ambitiosiora, æqui bonique consulite. Nos enim pro eo famulatu quem in Ecclesia Dei gerimus, non modo validioribus inter vos, verum etiam infirmioribus servire oportebat. Sit ista testificatio publica, quanti ego vos faciam, quanti pietatem industriamque vestram, ac labores vestros nostris sociatos. Sic denique intelligent, quam suaviter in domo Domini versemur unanimes. Sequentur autem postea, nusquam interruptis operis, nostra in Prophetas ac totum Testamentum vetus : per hæc si vita, si mens bona adfuerit, Deo auctore ac duce, deveniemus ad novum. Certe in his consenescere, his immori, summa votorum est : id pium, id beatum, fateri enim libet, id omni ambitu expetendum ducimus ; id vestris quoque precibus impetrandum, si qua est nostri caritas, et speramus et poscimus ; valete. Datum Meldis, IV nonas junii, anno M. DC. XC.

[1] Cor. III, 22, 23.

DISSERTATIO

DE PSALMIS.

Anteaquam singulos Psalmos aggredimur; ut nostra expeditior, neque ullis interrupta quæstionibus fluat explanatio; hæc quæ intelligentiæ aperirent viam, totoque passim opere suborturas difficultates solverent, attento ac pio lectori universim proponi oportere duximus.

CAPUT I. De Psalmorum ratione et instituto.
CAPUT II. De grandiloquentia et suavitate Psalmorum.
CAPUT III. De variis Psalmorum generibus.
CAPUT IV. De profunditate et obscuritate Psalmorum.
CAPUT V. De textu ac versionibus.
CAPUT VI. De titulis aliisque notis: ac de argumentis, auctoribus et ordine Psalmorum; deque choreis et pia saltatione, ac metrorum ratione.
CAPUT VII. De ratione legendi et intelligendi Psalmos.
CAPUT VIII. De usu Psalmorum in quocumque vitæ statu.

CAPUT PRIMUM. *De Psalmorum ratione et instituto.*

I. — Carminum vis: Psalmi in piorum cœtibus decantati.

Omnis quidem *Scriptura divinitus inspirata* est, easque habet dotes quas Paulus commemorat; ut sit « utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus[1]. » Cæterum Psalmorum liber cum hæc universa complectitur, tum obtinet imprimis singularem mirificamque vim, qua humanos affectus omnes

[1] II. Tim. III. 16, 17.

in Deum transferat; ut quandoquidem animus corporea mole pressus languet ac deficit, modulatissimi, eruditissimique carminis potentia erigatur.

Est autem Psalmorum liber, ut vel inde ordiamur, vetustissimorum hymnorum et odarum vetustissima collectio, quibus prisci illi Hebræi, Dei laudes et a Deo traditæ legis veritatem sanctitatemque, ad hæc gesta majorum, divinaque beneficia privatim ac publice, atque inter ipsa sacra solemnesque conventus, concinebant. Et horum quidem hymnorum cum plurimi laudentur auctores, ut suo loco memorabimus, tum illud certissimum, a sancto Davide potissimum esse conscriptos. Antiquus enim et ab ipsius Davidis temporibus deductus usus obtinuit, ut quæ ipse psalleret, in sacris conventibus canerentur. Neque ipse David canebat sibi. Sed raptus in Deum, quo ipse trahebatur, cæteros pertrahebat, dicens : « Magnificate Dominum mecum; et exaltemus nomen ejus pariter [1] : » Et illud, unde quodidie nocturas ordimur laudes : « Venite, exultemus Domino; jubilemus Deo salutari nostro [2]. Quædum sancto Davide in verba præeunte canimus, quid aliud quam priscis piorum choris, spiritu ac mente conjungimur ?

II. — In Davide cura cantus, sacræque musicæ.

Certe viro Dei præcipuam fuisse curam, de hymnis in domo Domini coram arca concinendis, sacra testatur historia : « Constituit enim coram arca Domini de levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel [3]. » Quem autem canebant Psalmum, sacro textu referente, divinorum operum beneficiorumque memorem, is ab ipso Davide compositus. Neque vero dubium est, quin alios bene multos instinctu divino ipse conscripserit : quo factum est, ut fidentissime de se ipso diceret : « Dixit David filius Isai..... egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam [4]. » Quod quidem de Psalmis dictum nemo non videt, cum præsertim nullum aliud opus Davidis memoretur. Jam, Salomone rege, initiato templo, levitæ carmina Domini concinebant, « quæ fecit David rex ad laudandum Dominum..... hymnos David canentes per manus suas [5] : » adhibitis scilicet organis musicis, et quidem illis quæ ipse comparaverat, vel etiam invenerat atque adornaverat, ut sacra refert historia. Quo ritu Ezechias jussit, ut levitæ « laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph videntis [6], « ubi

[1] Ps. XXXIII. 4. — [2] Ibid. XCIV. I. — [3] I. Par. XV. 16. 4. Ibid. 7. — [4] II. Reg. XXIII. 1, 2. — [5] II. Par. VII. 6. I. Par. XXIII. 5. — [6] II. Par. XXIX. 30.

etiam diserte notatum, stetisse Levitas « tenentes organa David : » atque etiam clarius, inter ipsa holocausta cecinisse Dei laudes « tubis et diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat[1] : » tanta pio regi cantuum cura : tantus amor inerat sacræ musicæ, qua laudaretur Deus.

Iisdem instrumentis musicis, Davidis studio comparatis, ejusdem Davidis hymnos Israelitæ reduces instaurato templo, duobus etiam choris constitutis iterabant, quingentis fere annis postquam David obiit : ut tot post secula, non modo sacræ ejus voces, verum etiam citharæ, nablia[2], aliaque instrumenta quibus ipse usus erat, piorum in cœtibus audirentur : quæ ideo memoravimus, ut constaret apud omnes, sanctum Davidem divino numine unum fuisse excitatum, quo auctore non modo sacra cantica, sed etiam ipse canendi psallendique ritus ad tam longinqua tempora propagaretur. Nam secuna secula commemorare quid attinet, cum omnes sciant et ab Hebræis, et a Christianis Psalmos Davidicos fuisse celebratos : quibus non modo urbes pagique, sed etiam deserta et invia personarent, et pias in lacrymas agrestes etiam animi colliquescerent.

III. — Munimenta fidei in Psalmis : primum ex commemoratione rerum antiquarum; tum, decurrentium.

Nec immerito. Cum enim, teste Augustino, « nullum aliud canticum nos doceat Deus, nisi fidei, spei et caritatis[3], » nihil Psalmis utilius ut fides roboretur, spes efferatur altius, caritas inardescat. Et fidem quidem quæ fulciant, hæc sunt. Primum commemoratio beneficiorum ac miraculorum Dei, ex quo miseratus homines ignorantia mersos, et falsis plerumque addictos numinibus, patrem fidei nostræ Abraham pacto fœdere sibi copulavit, ejusque familiæ in magnum jam populum excrescenti, pastorem se, ac peculiarem regem præbuit. Quo factum est, ut a servitute Ægyptiaca liberatam, ac per Mosen mediatorem ornatam legibus, firmatam imperiis, castissimis sanctissimisque religionibus ac ceremoniis consecratam, confirmato amplificatoque fœdere, in terram Chananitidem ex veterum promissorum fide induceret : seque Abrahami, Isaaci, Jacobique Deum, eumdemque cœli ac terræ conditorem, quem Abramidæ colerent, esse testaretur.

Quin etiam suo tempore Davidem, ex pastore ovium regem, nec minus pietate atque clementia, quam fortitudine victoriisque nobilem suscitavit, quo duce Abramidarum imperium longe lateque

[1] Par. XXIX. 26, 27. — [2] I. Esdr. III. 10, 11. Neh. XII. 35, 39. — [3] Enarrat. in Ps. XCI. n. 1.

propagaretur, pulsisque Jebusæis, illa Jerusalem ac mater nostra Sion, divino nomini initiaretur; princeps urbium scilicet, sacrorumque juxta ac legum majestatisque custos, regnique pariter et sacerdotii caput. Quid quod eumdem Davidem inclytum regem, uti jam memoravimus, divino actum instinctu, vatem ac poetam psaltenque Israelis, eumdemque ut rerum gerendarum ducem, ita etiam canendarum auctorem præconemque finxerit? Unde potissimum nobis hic Psalmorum liber prodiit, quo sua pariter majorumque, imo vero ipsius Dei gesta, vates divinissimo atque excelsissimo præditus spiritu, sempiternæ memoriæ consecravit.

IV. — Vetus apud omnes gentes carminum canticorumque institutum: Mosis aliorumque exempla.

Sane apud omnes populos ille ritus vetustissimus longeque sanctissimus inolevit, ut suas majorumque res carmine celebrarent, ipsisque numeris, ipsa suavitate cantus auribus commandatas, animo etiam ac memoriæ altius infigerent. Quo ritu primus Moyses cum divino numine duo quædam præstitisset, ut Israelitas et per mare Rubrum traduceret, et ab hostibus liberos sanctissimis legibus informaret, gemino carmine hæc duo commendavit, suumque illud protulit: « Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum et ascensorem dejecit in mare [1]: » cum undis obruti hostes adhuc in conspectu essent, et marinis fluctibus jactata cadavera volverentur. Nec minus excelsum illud quod moriturus cecinit: *Audite, cœli, quæ loquor* [2]: ut legem tot signis portentisque firmatam, hominum mentibus inculcaret. Quo etiam fonte manarunt ea cantica, quorum in libro Numerorum initia legimus [3]. Nec piis fœminis defuit ille cantandi prophetandique spiritus. Itaque illa Debbora [4] superbissimum Sisaram fœminea manu cæsum, ac profligatos hostes currusque diruptos, et subjecit oculis, et posterorum memoriæ tradidit, victoremque laudavit, non hominem, sed Deum. Notum quoque Annæ præstantissimæ fœminæ concepto Samuele, canticum [5], haud minore grandiloquentia et exultatione prolatum ut frustra Græcia jactet Lesbiam illam suam: nobis quoque præsto sunt nostræ poetrides, quæ non infandos amores, sed castissimos juxta ac vehementissimos in Deum affectus promant. His igitur David exemplis animatus, eodemque spiritu afflatus, quæ in se Deus beneficia contulit, quæque sibi armis exequenda mandavit, ea pulcherrimis suavissimisque constricta versibus, lyræque seu psalterio

[1] Exod. xv. 1. — [2] Deut. xxxii. 1. — [3] Num. xxi. 17, 27. — [4] Judic. v. — [5] I. Reg. ii.

apta concinuit, Alcæumque et Pindarum et Flaccum, quam dignitate rerumque gestarum gloria, tam suavitate et magniloquentia vicit. Secutus Ezechias Davidem, rex regem, patrem filius [1] : secuti alii vates, Isaias [2], Jonas [3], Habacucus [4], rerumque mirabilium historiam cantibus illustratam, ac temporum signatam notis, posteris reliquerunt. Quæ cantica nos, ne quid huic operis deesset, et hic commemoravimus, et ad calcem hujus libri exponimus.

V. — Res antiquæ in Psalmis recensitæ.

Hic vero juvat Israelitis impense gratulari, quibus historiam Moses ipse legislator princepsque contexuit; quibus odas, dramata, idyllia pastoralesque lusus; quibus sententias versibus distinctas informandis moribus composuere reges; quibus denique, pro Simonide, Theocritoque et Theogni et Phocylide, David et Salomon inclyti reges, fuere. Atque horum opera id consecuti sumus, ut quod postea præcepit Plato, poetici modi, divinissimum scilicet loquendi et scribendi genus, non nisi divinis divinorumque virorum laudibus celebrandi, inculcandisque legibus inserviret. Quippe David, noster Pindarus, aliique lyrici nostri, non agones Olympicos et pugnas umbratiles, sed Abrahami, Isaacique ac Jacobi fidem, et beata Josephi vaticinia ac somnia, plagasque Ægyptiacas, ultricemque Dei manum, atque ipsius auspiciis decertata prælia, populique etiamnum profugi ac per deserta vagantis errores, seditiones, flagitia atque supplicia, atque inter hostiles insidias successus mirabiles; legem etiam in monte Sinai tam conspicua divini numinis præsentia in ipso fugæ initio promulgatam; denique totam a Mose conscriptam historiam, ipsiusque adeo Mosis dubitantis hæsitantisque lapsum, quæque, inde secuta sunt inculcanda ac repetenda posteris, versibus alligarunt, iisdem quoque verbis quæ in Mosis historia continentur. Hinc illud a Numerorum libro in Psalmos translatum : « Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos [5]. » Quid quod sanctus David, illata arca fœderis in Sionis arcem, illud iterabat quod est in eodem Numerorum libro proditum : « Cum elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua [6]. » Unde nemo non videt promanasse hæc Davidis arcam attollentis: « Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus [7], » et cætera totidem verbis, quot Moses proferebat. Nec minus insigne illud mandatum Aaroni ac filiis, ut plebi benedicerent : « Benedicat tibi Dominus, et cus-

[1] Is. XXXVIII. 10. — [2] Ibid. XII. — [3] Jon. II. — [4] Hab. III. — [5] Ps. LXXVII. 30, 31. Num. XI. 33. — [6] Num. X. 35. — [7] Ps. LXVII. 2.

todiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui[1] ; » quæ translata a Davide in hunc Psalmum : « Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri[2]. » Atque hæc, aliaque id genus, cum ex libris a Mose conscriptis atque ex antiquissimis sub eodem Mose frequentatis ritibus repetebant, nihil aliud quam Mosen, resque a Mose gestas tanquam sub oculis repræsentabant, ad confirmandam rerum antiquarum fidem.

Omitto cætera in Psalmis ejusdem plane spiritus, quæ veterem historiam referant. Neque prætermissum illud, unde orsus est Moses : nempe orbem universum, non machina, non manu, non aliunde conquisita aut anxie elaborata materia, non denique atomorum concursationibus atque conflictibus, sed statim Dei nutu ac verbo constitisse, datasque cœlo ac sideribus, terræque ac mari, quas servarent leges : quo ex capite Moses præclara illa ac mira contexuit, quæ Abrahamo, patriarchis, sibique ipsi atque universo populo contigissent : ut nempe constaret eum, a quo tanta miracula profluxissent Deum, non alium esse quam ipsum cujus voce jussuque, nullo alio subsidio, universus orbis in lucem emerserit. His igitur inhærens David eumdem ubique prædicavit Deum, qui *verbo* velut *misso*, ac voce prolata, tot ac tanta gessisset : cujus deinde legibus omnia tenerentur : unde illud : « Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus[3] : » quo loco qui non videt allusum ad illud Mosis : « Fiat expansio in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis[4], » plane cæcutiat. Neque minus luculentum illud in eodem Psalmo : « Qui fundavit terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus : » illud denique : « Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis : terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram[5]. » Et alio in Psalmo clarius disertisque verbis : « Verbo Domini cœli firmati sunt ; et spiritu oris ejus omnis virtus eorum : congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos[6]. » Ubi quid aliud repetitum, quam illud sancti Mosis, « Congregentur maria[7] ? » subditumque illud, unde omnia orta sunt : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt : » atque additum velut corollarii loco : « statuit ea in æternum, et in seculum seculi ; præceptum posuit, et non præteribit[8]. » Quis ergo negaverit Davidem a Mose doctum, ad illud initium cuncta revocasse ?

[1] Num. VI. 24, 25. — [2] Ps. LXVI. 2. — [3] Ibid. CIII. 2, 3. — [4] Gen. I. 6. — [5] Ps. CIII. 5, 9. — [6] Ibid. XXXII. 6, 7. — [7] Gen. I. 9. — [8] Ps. CXLVIII. 5, 6.

Jam odæ seu Psalmi, eruditissimum scilicet poematis genus, non modo ad antiquam novamque historiam, sed etiam ad festos dies et sacrificiorum ritus, ac majorum instituta semper alludunt. Quis autem nesciat apud Hebræos, leges, mores, ritusque ita intextos historiæ, ut hæc a se invicem avelli nequeant? neque unquam futurum fuit, ut David hæc omnia, totamque adeo majorum historiam ab ipsa genesi mundique initiis repetitam caneret, populoque, ut vulgatam notamque canendam traderet, nisi eam quam nunc quoque legimus a Mose contextam historiam, et in manibus habuissent, et animo penitus imbibissent.

VI. — Confutati ex Psalmis, qui Pentateuchum ab Esdra aliisve confictum credunt.

Quo magis admirari libet eorum hominum amentiam, qui Mosis nomine semper insignita ac celebrata volumina, recentioris ætatis auctoribus tribuunt pars Esdræ; pars insulsum commentum aversati, antiquioribus aliis circa Salmanasaris tempora scriptoribus, ut nuper apud Batavos quidam, nullo historiarum traditionisve suffragio, somniarunt. Atque illi, si Deo placet, bene Christianos se haberi putant, si Christum nominent, a Christo commendata instrumenta contemnant; præposteri homines, quibus nihil pensi est evertere omnia, dummodo cæteris doctiores acutioresque videantur, ac sine more modoque, gravissimo in argumento ludant. Qui quidem, ut hic omittamus tot scriptores, tot prophetas, totumque adeo Hebraicæ reipublicæ statum, cum Mosis historia librisque connexum: ut hæc, inquam, omittamus, unius Davidis vetustissimi regis testimonio, et hymnis a toto pridem populo decantatis, cumulatissime refelluntur. Huc accedunt alia cantica, Psalmorum libro comprehensa. Canit enim ipse Salomon dedicato templo[1], a parente Davide institutos sanctissimi juxta ac nobilissimi ædificii apparatus: canunt alii alia piorum regum gesta: canunt profligatam captivamque gentem, ac Mose contempto impletas a Mose intentatas minas. Canit Ethan Ezraites[2] datam Davidi, Davidisque soboli de regno obtinendo fidem velut in irritum abiisse, Deumque piis cantibus ad pristina promissa revocat. Quid plura? quæ ante templum conditum, quæque templo stante everso, restitutoque recentissima memoria gesta essent, ea suis distincta notis atque temporibus canimus, ut antiquissimis interesse conventibus, prisca sacra intueri, atque in his cum sancto Davide aliisque sacris vatibus, Christum cogitare videamur.

[1] Ps. CXXXI. — [2] Ibid. LXXXVIII. 20 et seq.

VII. — Firmata fides ex vaticiniis Davidicis de Christo : hinc quoque spei incitamenta.

Nam et illud confirmandæ fidei luculentissimum argumentum in Psalmorum habemus volumine, ut de Christo venturo a Davide edita oracula audiamus. Cum enim antiqua per Abrahamum ac Mosen gesta, uni Christo suis temporibus adventuro prælucerent ; designatus est David, utraque inter tempora medius, qui quidem vetusta memoraret, iisque firmandis nova ipse gereret : tum, quod erat vel maximum, futura præcineret. Neque immerito : quippe cum prognatus e Davide Christus, Davidis filius appellandus esset. Itaque ob eam causam evectus est in regnum, ut Christi regno preluderet; datusque Salomon ille pacificus, in quo intueretur Christum pacis principem. Hinc David universas res Christi executus, et ante Luciferum geniti originem sempiternam, et inter homines nati, regnum, sacerdotium, gloriam atque dedecora cecinit, Judæorum ac Gentium coitiones conjurationesque, crucem denique ipsam ac resurrectionem et ascensum in cœlos, secutasque victorias [1], et ad fidem Abrahæ traductas omnes gentes, in ejus scilicet semine Christo benedictas; magnamque Ecclesiam toto jam orbe diffusam [2], revocatosque tandem, tanquam postliminii jure, ad sui generis nominisque primordia mortales, per tot secula divinitatis oblitos. Neque vero quidquam est, quo se Christus commendet magis quam Psalmorum libro. Se Davidis filium, Davidis quoque Dominum, Davidis ipsius auctoritate decernit [3]. In ipsa etiam cruce, Davidis Psalmo pronuntiato [4], tantum sacrificium atque humani generis propitiationem initiat : Davidis intentus oraculis, profitetur sitim felle aceto-que sedandam [5]. Quis ergo est tam languidus, quem ista non moveant ? Quis non fide viva Davidicos sonet Psalmos rerum gestarum memores, præsentium testes, præscios futurorum ? cumque tot ac tanta super Christum et Ecclesiam olim a Davide prædicta, jam repræsentata videat ; quis non futura præmia, qui postremus est denique divinarum promissionum fructus, animo complectatur.

VIII. — Spes incitata in Psalmis ; futuræ vitæ felicitas sub figuris adumbrat.

Atque hæc illa spes est, quam secundo loco diximus incitari Psalmis. Quo enim exsurgat divinæ bonitatis atque potentiæ, Christique adeo fide fretus animus, nisi ad res divinas atque sempiternas? Unde ipse sanctus David : « Deus cordis mei, et pars mea Deus in

[1] Ps. CIX, II, XXI, XLVI, LXVII, LXVIII, LXXI, XV, etc. — [2] Ibid. XXI. 26, 28. — [3] Matth. XXII. 43, 44. Ps. CIX. 1. — [4] Ibid. XXVII. 46. Ps. XXI. 1. — [5] Joan. XIX. 28. Ps. LXVIII. 22.

æternum[1]. » Atque iterum : « Beati qui habitant in domo tua, Domine : in secula seculorum laudabunt te[2]..... Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos[3]; » quam sane exuberantiam sanctæ et a Deo præstitæ voluptatis, fragilis hujus et egenæ mortalitatis conditio non capit.

Sane confitemur futuri seculi felicitatem non perspicuis disertisque verbis, sed sub figurarum involucris, pro veteris Testamenti ratione, a sancto Davide, ut a sancto Mose, fuisse adumbratam. Quemadmodum enim, teste Paulo ad Hebræos, Abraham cum Isaac et Jacob « repromissionis cohæredibus[4], » in promissa terra tanquam in aliena, extructis tantum casulis demoratus, ibique se hospitem ac peregrinum recognoscens, sub ejus figura cœlestem patriam, ac paratam a Deo civitatem permanentem inquirebat : ita beatus David dum repromissam terram, populo Dei armis asserit; dum Jerusalem extruit, atque ad sanctuarium, celebresque cœtus divino numini consecratos, totis anhelat præcordiis : quid aliud in eis nisi Christum, et aperta per Christum æterna illa nec manu facta sancta, atque illam beatissimam in cœlis sanctorum societatem recogitat?

IX. — Loci quidam in Psalmis, quibus spes omnis ad præsentem vitam redacta videatur.

Neque vero quemquam movere debet, quod hæc David aliive cecinerint : « Non mortui laudabunt te, Domine[5], » et : « Non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi[6]? » Et illud : « Exibit spiritus ejus, » hominis scilicet, « et ipse revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum[7]. » Et illud : « Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam[8]? » Illud denique cujuscumque sit : « Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam : aut cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis[9]? » quibus homini post mortem, non cantus, non Dei laus, non denique memoria aut cogitatio ulla relinquitur; quin ipsi mortui Deo penitus excidisse, et a manu ejus omnino repulsi, hoc est, in nihilum abiisse videntur, cum dicitur : « Sicut vulnerati dormientes in sepulcris : quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt[10] : » quibus ad cumulum additur : « Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino..... in regione vivorum[11]; » ut qui hac in vita degunt, soli canere, soli placeret Deo, soli in Deum sperare judicentur.

[1] Ps. LXXII. 26. — [2] Ibid. LXXXIII. 5. — [3] Ibid. XXXV. 9. — [4] Hebr. XI. 7. — [5] Ps. CXIII. — [6] Ibid. VI. — [7] Ibid. XCVLV. — [8] Ibid. XXIX. — [9] Ibid. LXXXVII. 12, 13. — [10] Ibid. 6. — [11] Ibid. CXIII, CXIV.

X. — Horum locorum explicatio, atque inde quoque vitæ futuræ spes firmata.

Hæc inter meminerimus quæ illorum temporum conditio fuerit : nondum enim affulsisse plene cœleste lumen illud, quo futuram vitam intueri detur : « Nondum propalatam esse sanctorum viam [1], » ut ait apostolus : Evangelio denique et Christo reservatum, cœlestia arcana reserare : neque rudem populum ad animarum statum, aut ad spirituales illas, castasque delicias, quæ sensum omnem exsuperant, assurgere potuisse : quas proinde in vivorum cœtibus festisque adumbrare, et crassam adhuc gentem hoc sensibus objecto pabulo inescare oporteret. Quare Davidem aliosque hujus ævi vates, dum hæc et alia supra memorata de mortuis referunt, nihil aliud in mortuis attendisse constat, quam naturalem mortuorum statum, quo omnia hujus vitæ consilia cœptaque intereant; non sacris, non profanis cœtibus interesse, aut festos dies cum populo agere liceat; quod est verissimum. Neque enim in sepulcris exaudiebatur ulla vox Domino lætantium, aut ulla templi videndi in sepulcro spes erat : quæ cum ingemiscerent, neque quidquam aliud moriendo deplorarent; nempe illud ostendebant, in his omnem sibi vitæ jucunditatem repositam, neque videri quidquam in morte tetrius, aut in sepulcris tristius, quam quod ibi Dei laus, et illa animi in Deum exultantis gratulatio conticesceret.

Hinc Spiritualibus verisque Judæis, hoc est, veris laudatoribus, qui in rudi licet gente ad excelsiora animos attollebant, vitæ melioris certa spes affulgebat. Qui enim solo Deo ejusque laudibus delectarentur; qui fieri posset, ut eos Deus ipse desereret : neque curaret mortuos, qui ad extremum usque halitum omnem in ipso gloriam ac voluptatem collocarent! an ipse eorum ora in æternum clauderet, animas ad suam imaginem ac similitudinem factas extingueret? Absit hoc a tanta Dei benignitate : imo veris illis sanctisque Judæis spirituales oculos aperiebat intus, quibus in sempiterna gaudia mentem intenderent. Hinc illud : « In Deo salutare meum, et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est : » tum adhortatio : « Sperate in eo, omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster, » et quidem « in æternum [2]. » Ne adversarios, ne insidias, ne ipsum interitum servi Dei metuant : imo vero beatos se futuros, inter immortales Dei laudes exclament his verbis : « Beati qui habitant in domo tua, Domine! in secula seculorum laudabunt te [3] : qualia passim in Psalmis occurrunt. Quin igitur, inquies, sanctus David hæc futuri seculi bona expo-

[1] Hebr. IX. 8. — [2] Ps. LXI. 8. 9. — [3] Ibid. LXXXIII. 5.

nebat planis disertisque verbis ? nempe quia hæc parce commemoranda erant, quæ crassioribus ingeniis risui, aut etiam offendiculo futura essent : quippe cum in mortuorum animabus, more gentilium, nihil nisi impios cultus, falsos Deos scilicet ex hominibus consecratos, aut placandis manibus inferias, ac divinationes, umbrarumque citationes, sive, ut vocant, necromentias, aliaque perinde inania, imo etiam noxia et infanda cogitarent. Itaque animarum ac futuri seculi arcana, crasso adhuc populo tecta sub figuris, quibus et perfecti doceri, nec rudiores gravari possent.

XI. — Caritatis incitamenta in Psalmis.

Jam nihil est cur amplius de summo Davidis erga Deum amore quæramus : effulget ubique in Psalmis, primum quidem ipsa res simplicibus ac familiaribus verbis : « Diligam te, Domine[1] : » Deinde amandi causæ ; Dei veritas, sapientia, sanctitas, pulchritudo, majestas, induti decore, invecti nubibus, insidentis cœlos, atque inde coruscantis, elocantis montes, maria increpantis, liquefacientis terram, totumque orbem nutu commoventis : tum, hæc inter magna et admirabilia, effusa bonitas, omnibus provida, nec dedignata corvos quantumvis aspera voce Deum invocantes; in homines vero propensa benevolentia, inexhausta liberalitas; deinde in electos plebemque dilectam paternus animus, promissorum fides tutaque amicitia, nihil curæ, nihil officii prætermittens : studium erga pios, erga impios quoque patientia : denique indulgentia erga pœnitentes : horumque omnium vivax, ipsisque visceribus atque ossibus insidens sensus, unde ille clamor, « Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi[2] ? »

Qua in re quandoquidem Israelitarum sancta gens, non ritu cæterarum, visibiles ac deauratos Deos coleret; David Mosen secutus, singularem operam adhibuit, ut per se inconspicuum, neque tantum sensus omnes, sed ipsam etiam mentis aciem supergressum, operibus, beneficiis, miraculis conspicuum præsentemque redderet. Hinc illa in Psalmis amori inflammando assidua consideratio operum Dei : horum præstantia, ordo, varietas, immensæ sapientiæ industriæque testis : atque inter opera Dei, illud præclarissimum, nempe in populo Israelitico, humanæ gentis fœdus cum Deo initum : atque hic nobilissimum ac perfectissimum opus, quo se Deus exhiberet, ipsa lex omni auro purior ac pretiosior[3]. Hanc ergo beatus David amat, amplectitur, deosculatur, Dei veritate ac decore plenam : hanc nocte dieque versat : huic intelligendæ inhiat : non a manibus unquam, non ab ore dimittit ; hanc gestat in oculis : hanc

[1] Ps. XVII. — [2] Ibid. XXXIV. 10. — [3] Ibid. XVIII.

imo pectori medullisque infigit ; hujus admiratur speciem, arcana scrutatur ; in ea spem, gaudia, gloriam, divitias, amicitias, consilia omnia denique reponit : hujus æquitati ac rectitudini se aptat : ea se regit, se tuetur, se exornat ; arma hæc, hunc clypeum, hos ornatus, venustatemque cogitat [1] : sic amat, sic fruitur. Quorum omnium hoc caput : « Scitote, quia Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos [2] : » quod ubique in Psalmis, quam graviter, tam varie ac suaviter inculcatum, ut ei a quo sumus nos nostraque omnia corpus, animum, cogitationes, sensus, voluntatesque penitus addicamus.

XII. — In Psalmis admirabilis sensus caritatis in Deum.

Hæc amoris incitamenta : hæ causæ : tum effectus mirabiles: Dei admiratio : exultatio in Deum : tanta illa quidem, ut ex animo in corpus redundet : unde illud : « Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea [3] : » et : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum [4]. » Tum Dei canendi mira suavitas, quæsitumque in citharis amori solatium : dulcesque atque uberes ex vera pietate fletus. Hi Davidis sensus : at postquam voluptate amens a lege aberravit, insecuti gemitus tristiores, iique continui : tum ex imo pectore non modo suspiria, verum etiam fremitus : non aves solitariæ flebilius sonant ; non leo rugit violentius ; tum ipso luctu contabescentes artus ; nec modus lacrymis : his cibos, his lectum irrigat : versi in fontes oculi : excavatæ propemodum genæ : deductique in sinum rivi ne ipsa quidem venia inarescunt. Quis non exardescat ad tantos Davidis ignes? His auditis carminibus, hoc amore perspecto, quis tam durus atque immitis animus, qui non gustet ac videat quam suavis sit Dominus ?

XIII. — Caritas quoque erga proximum ; etiam erga inimicos.

Nec minor in sancto rege fraternæ caritatis sensus : quippe cum inter alias tanti principis dotes, mansuetus ejus ac misericors animus a Salomone filio imprimis commendetur : « Memento enim David, inquit, et omnis mansuetudinis ejus [5]. » Quo animo et Sauli necem machinanti parcit, et mortuum ulciscitur : imo etiam deflet amarissimis ac verissimis lacrymis, quanquam ejus nece regnum ad se translatum videbat [6]. Quod idem in Isbosetho Saulis filio contigit, cujus percussores rex optimus merito supplicio affecit [7], testatumque voluit non gratum facturos, qui sibi adversantes cæde com-

[1] Ps. CXVIII — [2] Ibid. XCIX. 3. — [3] Ibid. LXII. 2. — [4] Ibid. LXXXIII. 3. — [5] Ibid. CXXXI. — [6] II. Reg. I. — [7] Ibid. IV. 9 et seq.

pescerent. Toto denique Israele conquisivit e Saulis domo quos beneficiis cumularet [1] : tam excelso erat animo, tam erecto supra omnem injuriarum memoriam. Sane cum ipse Nabalum ferum hominem, interfecturus esset, mitissimo Abigailis alloquio placatus, has edidit voces, invictæ immortalisque clementiæ testes : « Benedictus Dominus... et benedictum eloquium tuum : et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea [2] : » tantam voluptatem vir mitissimus ex misericordia ceperat. Quid Semei ille nequissimus, a quo non modo probris, verum etiam lapidibus impetitus tantus rex; et tamen dedit veniam, suosque a nefarii vilissimique hominis cæde prohibuit : neque Salomonem in eum commovisset [3], nisi novo regno sub adolescentulo rege, aula inquietissima, turbarum aliquid a præfracto turbulentoque ingenio metuisset. Cæterum ubi hæ causæ aberant, indulgentissimum se præbuit. Cujus rei gratia non immerito hæc de se ipse prædicat : « Opprobrium insipienti, o Deus, dedisti me : obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti [4]. » Satis enim intelligebat nihil licere impiis adversus bonos, nisi Deus furentibus habenas permitteret : atque in illatis injuriis, non eorum malevolentiam, sed Dei justissimi ac providentissimi considerabat manum. Itaque iram suam premebat tacitus : « Ego autem, inquit, tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum : Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones [5] : » tot licet petitus insidiis, tot maledictis lacessitus, tam inultus indefensusque, ut etiam inimici insolescerent, et silentium conscientiæ imputarent. Virum enim innoxium « oppugnabant gratis : ac pro eo, inquit, ut diligerent, detrahebant mihi : posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea [6] : » et tamen semper mitis atque benevolus, etiam adversus ingratos, nihil cuiquam intentabat mali, et ab omnibus proditus, ad Deum se convertebat, atque omne præsidium, omne solatium in oratione reponebat : « Ego, inquit, orabam; » tantos inter dolos atque nequitias : et iterum : « retribuebant mihi mala pro bonis; sterilitatem animæ meæ : » id est, ut me orbum, egenum, cassum omnium facerent : at « ego, cum mihi molesti essent, » non arma, non odia, non ultiones cogitabam : quin potius : « induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum revertebatur : quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum, sic ambulabam [7] : » hoc est, tacitas fundebam in sinu meo preces, ac fraternæ societatis memor, intuebar in hoste quamvis, amicum et fratrem. His inimicorum injurias propulsabat : « Oratio, inquit,

[1] Reg. IX. — [2] I. Reg. XXV. 32, 33. — [3] Reg. II. 8 et 9. — [4] Ps. XXXVIII. 9, 10. — [5] Ibid. XXXVII. 14, 15. — [6] Ibid. CVIII. 3, 4, 5. — [7] Ibid. XXXIV. 12, 13, 14.

mea in beneplacitis eorum; » vel, ut habet Hebræus, « oratio mea pro malitiis eorum [1]. » Itaque medias inter frendentium iras, attollebat ipse puras ad cœlum manus, clara voce testatus : « Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis : persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat [2]. » Sic ille præveniebat evangelicam lucem, quasi jam audisset dominicum illud : « Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos : orate pro persequentibus et calumniantibus vos [3]. » Et illud : « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum [4]. »

XIV. — Inimicorum commemoratio, atque adversus eos imprecationes in Psalmis quam a vulgari sensu abhorreant.

Sane cum in omnibus fere Psalmorum versibus de inimicis querentem Davidem audiamus, operæ pretium erit semel intelligere quos ille inimicos habere se putet. Sunt autem inimici Dei, hoc est, violenti quique, injusti, oppressores; uno verbo scelerati atque impii. Hinc illa vox : « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi : » cujus rei testem invocans Deum, hæc subdit : « Scrutare me, Deus, et cognosce cor meum : proba me, et scito cogitationes meas [5]. »

Quæ cum ita sint, neminem commoveri oportet tot execrationibus, quibus veteris Testamenti scriptores, et ipse sanctus David, hostes Dei suosque diris devovere, infaustaque omnia imprecari videntur. Non enim in animum tam mitem, tamque ab ultione purum, hæc, ut sonant, incidunt. Sed ita intelligenda, primum ut conditionalia sint : hoc est, ut mali male pereant, nisi resipuerint. Non enim David benignissimus perditissimorum hominum sanguine delectatur, pro quibus se jejuniis, cilicioque afflictabat. Hæc ergo comminantis potius quam imprecantis sint. Certe cum impios videbat se superbe efferentes; quo studio in Deum erat, extabescebat animo, et in lacrymas diffluebat : « Vidi » enim « prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam [6]. » Neque alia causa suos etiam detestatur inimicos, quam quod dolis, contumeliis, ac cædibus excogitatis, Dei conculcabant leges. « Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei [7]. » Hæc igitur causa erat, cur eos quoque execratus, infausta minitaretur; qua in re clementiæ potius quam iræ indulgebat. Id

[1] Ps. CXL. 5. — [2] Ibid. VII. 5, 6. — [3] Matth. V. 44. — [4] Rom. XII. 21. — [5] Ps. CXXXVIII. 21, 22, 23. — [6] Ibid. CXVIII. 136, 158. — [7] Ibid. 139.

enim agebat exemplo ipsius Dei, ut gravibus minis a scelere deterreret. Hinc illa precatio : « Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur, et erubescant valde velociter [1]. » Accelerari petit pœnas, quibus fracti contumaces, cito revertantur ad Deum, seque ad pœnitentiam inflectant. Quo etiam illud pertinet : « In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem [2] : » ne aut impunes ipsi magis superbirent, aut prostratis legibus vitia grassarentur : quod si nec pœnis deterriti, destinato animo in Deum insanire porro pergunt ; tum justitiæ ardentissimum studium seu zelum, imo ipsam Dei justitiam induti David aliique sancti, deposcunt ad supplicia præfractam et omnia ausuram insolentiam, ne Deus ipse alere scelera videatur. Hoc illud est, quod David modo prædicabat, perfectum odium : « perfecto, inquit, odio oderam illos [3] : » non ultionis libidine, aut animi explendi studio ; sed ex perfecta regula veritatis, qua homines diligimus, scelera odimus, et coerceri volumus.

Huc accedit harum imprecationum sensus excelsior [4] : namque, teste Chrysostomo, quæ execrationes videntur, execrationis specie vaticinia sunt. Sic Judæ proditoris Judæorumque pœnas, imprecationis specie David exequitur : extorres, profugos, vagos, ad hæc errore atque amentia percitos fore denuntiat : quæ non optat, sed prævidet : neque hæc execramenta, sed oracula sunt prophetici spiritus. Hæc igitur omnia, duabus de causis facile excusantur : justitiæ zelo, ac prophetandi auctoritate : quæ duo paucissimis complexus Augustinus : « Hæc, inquit [5], sanctus David futura prædixit, non quasi ut evenirent optavit. Quanquam et in spiritu Dei propheta sic ea dicat, quomodo illa Deus facit, certo judicio, bono, justo, sancto, tranquillo ; non perturbatus ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed justitia vitiorum puniendorum : verumtamen prophetia est. » Hactenus Augustinus. Cæterum meminerimus multa in veteri Testamento pro eorum temporum ratione dici : quibus temporibus frangendæ contumaciæ ac duris cervicibus edomandis, Dei severitatem ostentari et eminere oportebat : quibus temporibus Moyses hominum mitissimus, ad tot ac tanta supplicia inferenda cogebatur : quibus Elias in duces ac milites superbientes de cœlo eliciebat ignem [6] : quibus Elisæus immissis ursis ulciscebatur etiam parvulos licentius debacchantes [7] : quæ nunc si quis cogitet, audiet a bono Domino : « Nescitis cujus spiritus estis [8] : » cum alia poscat is « qui arun-

[1] Ps. VI. 11. — [2] Ibid. C. 8. — [3] Ibid. CXXXVIII. 22. — [4] Ibid. CVIII. LXVIII. CVIII. — [5] In Ps. XXXIV. Serm. I. n. 9. — [6] 4. Reg. I. 12. — [7] Ibid. II. 24. — [8] Luc. IX. 55.

dinem confractam non conterit, neque extinguit linum fumigans [1]. »

XV. — De veteris populi sacramentis, pioque erga ea Davidis affectu.

Atque hæc de ratione et instituto, ipsoque adeo, ut ita dicam, Psalmorum spiritu, deque animis ad fidem, spem, et caritatem inflammandis, in antecessum colligere placuit : quod sparsa in Psalmis, validiora et incitatiora visa sint, si uno velut aspectu intuenda proponerentur. Quem ad locum pertinet de veteribus sacramentis, deque miro erga ea Davidis affectu dicere. Sacramentorum autem veterum nomine, latiore significatu hic intellecta volumus, arcam, templum, Sionem, sanctam civitatem, terram ipsam Israelitis hæreditati datam, denique ea omnia quibus Christus, Ecclesia, atque ea quam expectamus, beata et æterna civitas, designantur. Sane duabus de causis hæc veterum Hebræorum animis penitus inhæsisse notum, et quod prisca memorarent, et quod ventura nuntiarent. Ac primum ea erat arca fœderis, quæ a Mose fabricata, jam inde ab initio Israeliticæ peregrinationis testis, populo profugo ac per invia deerranti, ac deinde posteris præstitisset præsentiam Dei [2]. Et intus quidem Decalogi tabulæ, in ipso Sinai Dei digito exaratæ, non modo præsentem, verum etiam imperantem, ac tantum non fulminantem Deum referebant. Desuper vero impositum propitiatorium sive opertorium, « scabellum pedum Dei [3], » attestante Davide, ejusque sedes erat : vacua illa quidem, si oculos consuleres : neque enim ulla forma quam videres, insidebat : sed, si intelligeres, puræ menti exhibebat invisibilem Israelis Deum. Cæterum tanta tamque occulta majestas, fusis inde clara voce oraculis, atque explendescente virtute divina, se præsentem dabat. Quo cum accederent, inhabitantem Deum, ac sub ejus numine refluum Jordanem, ut in quodam Psalmo canitur [4] : collapsa Jericuntis, neque unquam resurrectura mœnia : collapsa Deum delubra, ipsumque Dagonem : ad hæc Philisthæos insanabili percussos plaga, aliaque miracula recentissima memoria per arcam edita, coram intueri videbantur. Ad hanc igitur David miris desideriis suspirabat : exultabat ad sanctuarium in quo collocata erat. Hic vultum seu faciem Dei, hic Deum ipsum assidue requirebat, cum diceret : « faciem tuam, Domine, requiram [5]. » Hanc alii vates his verbis reposcebant : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! » unde subdunt : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum [6]. » Hanc pulchritudinem, gloriam, decus, sanctitatem Israelis

[1] Is. XLII. 3. Matth. XII. 20. — [2] Ex. XXV, XXXVII. — [3] Ps. XCVII. 5. — [4] Ibid. CXIII. 3, 5. — [5] Ibid. XXVI. 8. — [6] Ibid. LXXXIII. 1, 2.

quotidianis vocibus appellabant : hinc ille solemnis adorandæ arcæ ritus, propter insidentem Deum, juxta Davidicum illud : « Adorate scabellum pedum ejus [1]. » Nec minoris erat cultus, arca prodeunte, tanquam triumphante Deo, Davidis exultatio et tripudium ; nequicquam succensente regina [2]. Is inerat pio regi affectus in arcam : cujus rei gnari, cum Absalomum fugeret, universi levitæ arcam attulerunt, tanta in calamitate solatio futuram. At « dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam et tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi : Non places : præsto sum : faciat quod bonum est in oculis suis [3]. » Quæ verba perpendentibus nihil incredibile habere videbuntur affectus mirabiles in arcam, quantos passim in Psalmis ardescere videbimus.

Auxit religionem ipsa structura templi auctore Salomone : illata videlicet arca fœderis in locum suum [4] : quem locum Dominus a se designandum per Mosen edixerat [5] : a se designatum tot signis editis firmaverat [6] : quo in loco sacri cœtus, castæ religiones, sancta convivia, pii cantus a majoribus traditi celebrarentur. Hinc Jerosolyma Deo dilecta civitas : fervebant viæ ad urbem ac domum Dei ferentes, ingente lætitia ac plausu, ut sæpe in Psalmis legitur : terra ipsa Palæstina summæ voluptati erat : quippe tot divinis manifestationibus consecrata ; tot inibi vigentibus avitæ fidei ac divinæ beneficentiæ monumentis. Ad eam ergo David exul incredibili cupiditate ferri : populus vero universus in Babyloniam transportatus, eam assidue cogitare, extra eam gemere, non lætitiæ unquam indulgere, non cantibus : « quomodo enim cantabimus canticum Domini in terra aliena [7]. » Quin etiam urbe diruta, templo in cineres redacto, locum tamen ipsum venerari ac diligere : unde illud in Psalmis captivitatis tempore piis cum fletibus decantatum : « Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : » placuerunt ipsa rudera eversæ civitatis ac templi : « et terræ ejus miserebuntur [8] : » id est, excisam, desolatam indefesso luctu prosequentur. Ac præsentes quidem eo deferre munera ac thus, ut est a Jeremia proditum [9] : absentes vero, e loco captivitatis eo intendere oculos, ac verso in patriam vultu ex præscripto majorum [10] preces fundere; exemplo Danielis flectentis genua, Deumque adorantis « contra Jerusalem [11] : » eo quod jam inde a Davidis Salomonisque temporibus, Dei nomen ac titulus ibi collocata essent : tanta loci reverentia, tanto templi desiderio, tanta caritate patrii soli tenebantur.

Hæc inter, veri ac spirituales Judæi, hoc est, ante Christum

[1] Ps. XCVIII. 5. — [2] II. Reg. VI. 20, 21. — [3] Ibid. XV. 25, 26. — [4] III. Reg. VIII. 6. — [5] Deut. XIV, XV, XVI. — [6] III. Reg. VIII. 10. — [7] Ps. CXXXVI. 4. — [8] Ibid. CI. 15. — [9] Jer. XLI. 5. — [10] III. Reg. VIII. 48. — [11] Dan. VI. 10.

Christi discipuli, altiora cogitabant, et rerum cœlestium sacramenta venerati, novam Jerusalem, novum templum, novam arcam intuebantur. Ut enim reliqua aperta et obvia prætermittam, arca testamenti, Christi ecclesia est : vera Dei sedes, in qua pro decalogi tabulis, evangelici mandati cœleste depositum. Arca in deserto, arca capta a Philisthæis et inter eos victrix, arca in campis sylvæ, et variis in domibus vaga, peregrinantem, afflictam, ab inimicis oppressam, et tamen ubique victricem et semper Deo plenam demonstrat Ecclesiam. Arca elevata in Sionis arcem ac deinde in sanctuarium, eamdem Ecclesiam monstrat, sed jam triumphantem, et ad cœlos translatam. Quin etiam sublimiore sensu arca, ipse Christus, quo velut oraculo Deus insidens, quid velit edicit : arca, ipsa Christi caro quam plenitudo divinitatis inhabitat; quod Dei scabellum olim apostoli in terris, et nos quotidie in mysteriis adoramus [3], in qua carne, ut in arca, descendit et ascendit Deus. Et quidem descendit « ad multitudinem filiorum Israel, » quod est de arca in Numeris proditum [2]; cum « in terris visus est, et cum hominibus conversatus [3]. » Rursus autem ascendit « in requiem suam [4], » ad paternum sinum unde exiverat, et ubi semper erat unigenitus filius. Huc ergo ascendit « cum arca sanctificationis suæ [5], » cum carne quam suscepit. Sic arca illa fœderis, sic antiquum illud templum, in quod illata est, ad novum quoque Testamentum pertinent; ideoque Joanni per illam beatissimam visionem in cœlo apparuere [6]. Quo exemplo nos quoque et templum et arcam videmus in cœlo, cum in his cœlestia mysteria contemplamur. Quæ omnia si exequi nunc pergimus, imus in longum : sed hæc tamen commemorari e re fuerit, cum ut vel præcipuus ac frequentissimus in Psalmis illustraretur locus, tum ideo maxime, ut quoties ejusmodi occurrerint, occurrunt autem sæpissime, statim intelligeremus quo nos deducerent. Ergo arrige aures, christiane lector, et ubi talia in Davide legeris, tu mihi fac cogites, non arcam, fragile lignum, aut tabernaculum contectum pellibus, non urbem lapidibus compositis, non templum divinæ majestati angustum : sed Christi et Ecclesiæ sacramenta ; sed vivos lapides, Christo angulari lapidi coaptatos; sed ipsam eucharistiam præsentis Dei testem ; denique cœleste regnum et æternam felicitatem.

CAP. II. *De grandiloquentia et suavitate Psalmorum.*

XVI. — Psalmorum stylus; ac primum grandiloquentia ex rerum ac sensuum majestate.

Nunc de stylo Psalmorum. His inesse dicimus grandiloquentiam

[1] Vid. inf. ad Ps. XCVIII. 5. — [2] Num. X. 35, 36. — [3] Bar. III. 38. — [4] Ps. CXXXI. 8. — [5] Ibid. — [6] Apoc. XI. 19.

summa cum suavitate conjunctam. Et quidem grandiloquentiam hæc faciunt : primum rerum sublimitas : de Deo : « Elevata est magnificentia tua super cœlos [1] : Cœli enarrant gloriam Dei [2] : Qui facit mirabilia magna solus [3] : » tum tantis rebus apta verba, non inflata, non vana ; persæpe simplicia, sed altissimo sensu : qualia ista sunt : « Deus meus es tu; bonis meis non eges [4], » non sacrificiis, non muneribus, non laudibus ; tibi magnus, tibi beatus : sæpe tamen splendida et ornata : « Dominus regnavit, decorem induit : induit Dominus fortitudinem [5]. Laudem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento [6]. » His congrui sensus motusque : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi [7] ? Quam magna opera tua, Domine! valde profundæ sunt cogitationes tuæ ; vir insipiens non cognoscit, neque stultus intelligit istud [8]. » Nec aliter de Christo. Quam enim magnum illud : « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis : » tum illud : « ex utero ante luciferum genui te [9] : » et illud : « Sedes tua, Deus, in seculum seculi : eam ob rem unxit te Deus, Deus tuus [10] ! » Quid enim sublimius quam Deus a Deo unctus ? Illud vero quam simplex : « Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis ! » Rursus autem quam ornatum, quam splendidum : « Specie tua et pulchritudine tua, et decore tuo prospere age [11] ! » His, inquit, succinctus, invehere curru, ac debella hostes vultus tui verborumque gratia : id enim iste locus intelligenti sonat ; quo quid sublimius ?

XVII. — Subjicere oculis, quam vividum in Psalmis.

Sed nihil in Psalmis aut frequentius, aut vividius, quam illud quod vocant, subjicere oculis, ac ponere ad vivum expressam imaginem. En pingendi hostes propemodum infensi ad rabiem : uno verbo rem transigit : « Frenduerunt super me dentibus suis [12] : alibi : « Viderunt me, et moverunt capita sua [13] : quo simul dedignantes, comminantes, insultantesque videas. Ponendus maledicus ? Huic præsto sunt arma, sagittæ, venenati dentes et ad vivum infixi [14]. Sin amici infidi : « Amici mei et proximi mei quasi ad leprosum steterunt [15] ; » procul scilicet, ac velut aversis oculis, nec alloquio dignati : en ipsa res nativis suisque depicta coloribus. Quid si efformandus æger ? patent viscera, necdum obductæ cicatrices : jam inquietudo jacentis in lecto, seque hac illacque versantis, et acutis doloribus ut spina confixi [16]. Quid si in carcere positus ? En ille apparet « in lacu interiori, in tenebrosis, et in umbra mortis : in ob-

[1] Ps. VII. 2. — [2] Ibid. XVIII. 1. — [3] Ibid. CXXXV. 4. — [4] Ibid. XV. 2. — [5] Ibid XCII. 1. — [6] Ibid. CIII. 1, 2. — [7] Ibid. LXXV. 8. — [8] Ibid. XCI. 6, 7. — [9] Ibid. CIX. 1, 3. — [10] Ibid. XLIV. 7, 8. — [11] Ibid. 3, 5. — [12] Ibid. XXXIV. 16. — [13] Ibid. CVIII. 25. — [14] Ibid. LVI. 5. — [15] Ibid. XXXVII. 10. — [16] Ibid. XXXI. 4.

securo sicut mortui [1] : » horret animus non carcerem, sed sepulcrum. Ista quoque quam ad vivum ! « Sagittis appetunt in abscondito virum simplicem : abscondunt laqueos : scrutantur iniquitates [2] : » ubi in eadem veluti tabula, ex una parte videas virum bonum, nec quidquam mali cogitantem ; ex altera, fraudum artificem cæcis intentum machinationibus. Quis autem pictor crucifixum Jesum tam ad vivum expressit, quam est ille apud Davidem, confossis manibus pedibusque : effusa virtute omni distractis denudatisque ossibus suspensi ac dilaniati corporis ; ad hæc, ne quid desit, circumfusis immani cum strepitu vitulis lascivientibus atque insultantibus, tauris vero pinguibus ac ferocientibus, canibus denique, ac leonibus: uno verbo inimicis, qui nudum et inermem modo inverecundis maledicisque vocibus, tanquam latratibus, verum etiam iteratis ictibus, tanquam cornibus morsibusque impetant [3] : atque hæc omnia brevibus depicta verbis atque sententiis, uno intuitu conspicienda dantur : quæ qua tabula expressiora non sunt ? Sic corporea pingit, quin etiam incorporalia. Nonne ipsa pax his in verbis velut corporata cernitur? « Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni [4]. » Quid justitia; nonne subjicitur oculis, cum illud dicitur : « Justitia de cœlo prospexit [5] ? » Non vides tanquam ab excelso supremoque solio rebus omnibus præsidentem, bonorumque ac malorum inspectricem, et pro eo ac debeat, animadversuram justitiam? quibus quidem officiis vis ejus continetur. Quid hujus cum clementia indivulsa societas, quam elucet ! « Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt [6]. » Quid enim illo occursu lætius, aut osculis suavius ? Quin ipsa divina majestas, in immensum quamvis submota a sensibus, quam conspicua, quam præsens ; dum Deus invectus nubibus, super pennas ventorum coruscans atque intonans ; tum intendens oculos, protendens brachia, manum ab alto mittens inducitur [7] ! At forte metuas, ne membra corporea affingantur Deo ; haud magis quam gladius, quam jacula et arcus. Sicut ergo non cogitant Deum bene instructum militem, cum his accingitur, sed vim eminus et cominus ex æquo invadentem, eamque inevitabilem ; ita cum manus, et aures, et ora tribuuntur. Quare hanc incorpoream inconspicuamque vim, alia sub imagine sic David posuit : « Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt [8]; » prorsus ex dignitate atque ex sublimitate Mosis. Quo loco intuemur non jam brachia aut valentes manus, sed vocem, sed imperium, atque ad unius immobilis jussum, naturam universam dicto audientem, stabilique et

[1] Ps. LXXXVII. 7. — [2] Ibid. LXIII. 5, 6, 7 et passim. — [3] Toto Ps. XXI. — [4] Ps. XLV. 10. — [5] Ibid. LXXXIV. 12. — [6] Ibid. 11. — [7] Toto Ps. XVII. et CIII. et passim. — [8] Ps. CXLVIII. 5.

æterna lege constrictam. « Statuit enim ea in seculum seculi : præceptum posuit, et non præteribit [1]. » Quæ quidem ita se ingerunt sensibus, ut simul ducant ad ea quæ sensum omnem exsuperent. Unde etiam : « Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades : si habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me [2] : » ut prorsus insaniat, qui enormem, gigantæamque formam, non vero Deum ipsum quaquaversus, nulla jam corporea mole nedum humana specie, diffusum intelligat.

XVIII. — Comparationes in Psalmis : mira ac sublimissima brevitas.

Huc accedunt ex rebus notissimis ductæ comparationes, atque quidem non ambitiose velut ad pompam ostentatæ, sed uno verbo transactæ ad intelligentiam : quale est illud : « Sicut fluit cera a facie ignis ; sic pereant peccatores a facie Dei [3] : » et illud : « Custodi me, ut pupillam oculi [4] : » quo non mode graves ictus ; verum etiam levissimus quisque contactus, atque ipsa, ut ita dicam, festuca depellitur. Quid illud : « Et ipse tanquam sponsus [5] : » quo uno verbulo solis orientis pulchritudo ornatusque adeo nitet, nihil ut addi possit. Jam illud : « Exiliit ut fortis [6] : » quo subjiceretur oculis tanta ejusdem celeritas stadium decurrentis, et uno veluti saltu immensa cœli spatia peragrantis. Neque prætermittendum illud, quod etiam tardissimi sentiunt : « Vidi impium..... sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat [7] : » quo non modo ruina ingens, sed subita atque improvisa conspicitur. Et quidem fatendum est vates nostros, omnibus in rebus effingendis artifices egregios ; tum in exponenda rerum humanarum vanitate præcipuos. Quid enim fluxum magis quam illud, « tanquam flos agri, sic efflorebit [8] : » hortorum dicere potuit : agri maluit ; ne cura, ne locus tenuem illam vitam protraherent. At illud etiam levius : « Sicut umbra cum declinat [9] : » et tamen alibi rem accelerat : « Velut somnium surgentium, Domine [10] : » ut parum sit impios, qui sibi florentes fortunatique videntur, ad somnii inanitatem redactos ; nisi etiam illud somnium tale sit, non quale intempesta nocte aliquanto temporis spatio ducitur, sed ut « somnium surgentium, » quod statim evanescat : quo quid rapidius? et tamen habuere divini poetæ, quod præcipitantius curreret, dum « mille annos, diem hesternam quæ præteriit [11], » reputant ; ut non modo vita humana tota, verum etiam longissima tempora nihil esse, ac cœpta vix, jam avolasse videantur. Quo loco prætermittenda non est illa brevitas, sacris

[1] Ps. CXLVIII. 6. — [2] Ibid. CXXXVIII. 8, 9, 10. — [3] Ibid. LXVII. 3. — [4] Ibid. XVI. 8. — [5] Ibid. XVIII. 6. — [6] Ibid. — [7] Ibid. XXXVI. 35, 36. — [8] Ibid. CII. 15. — [9] Ibid. CVIII. 23. — [10] Ibid. LXXII. 20. — [11] Ibid. LXXXIX. 4.

scriptoribus, atque imprimis Davidi familiaris. Neque enim ut scriptorum vulgus, in fingendis rerum imaginibus minutissima quæque persequitur; sed in rebus effigiandis, velut in humano vultu, quæ magis emineant lineamenta seligit, quæ una vel altera linea exprimat : ex quibus existere, non tam imago, quam res ipsa videatur. Sit exempli loco illa tempestas : « Dixit, et adstitit spiritus procellæ : intumuerunt fluctus : ascendunt usque ad cœlos; et descendunt usque ad abyssos[1] :» sic undæ susque deque volvuntur; quid homines? «Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius: et omnis eorum sapientia absorpta est[2] :» quam profecto fluctuum animorumque jactationem, non Virgilius, non ipse Homerus tanta verborum copia æquare potuerunt. Jam tranquillitas quanta? « Et statuit procellam ejus in auram[3]. Quid enim suavius, quam mitem in auram desinens gravis procellarum tumultus, ac mox silentes fluctus post fragorem tantum? Jam quod nostris est proprium, majestas Dei quanta in hac voce : « Dixit, et procella adstitit!» non hic Juno Æolo supplex, non hic Neptunus in ventos tumidis exaggeratisque vocibus sæviens, atque æstus iræ suæ vix ipse interim premens; uno ac simplice jussu statim omnia peraguntur.

Et tamen illa descriptio paulo fusior, ut illum locum decebat; aliæ breviores ut ista : « Fallax equus ad salutem[4] : » et hæc : « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non accedet interitus[5]. » Denique in nostris scriptoribus ipsius orationis tanta est tamque circumcisa brevitas, ut eam assequi vulgari sermone vix liceat : quale est illud : « Respicis terram, et tremit : tangis montes, et fumant[6] : quo loco quis dixerit non jam verba rebus, quæ vis sermonis est, sed verbis substitutas res? Nec absimile illud : « Das eis, colligunt : aperis manum tuam, saturantur bonis : abscondis faciem tuam, conturbantur : aufers spiritum eorum, deficiunt[7] : » nempe sancto prophetæ, divino, ut videre est, agente spiritu, nec tantum otii est, ut vel indicet id statim ac momento fieri : quin ipsum illud statim ex ipso sermonis cursu cernitur; nec vacat particulas conjunctivas, quæ vincula sunt orationis, ponere; nisi quod in extrema clausula sic scribitur : « Et in pulverem suum revertuntur[8] : » ut tandem oratio in ipsa tam veri nihili, si ita loqui fas est, consideratione paulum immoretur, creataque omnia fateantur tandem, nihil esse vere suum præter pulverem.

Illud quoque quam breve, quam magnum : « Ponens in thesauris abyssos[9]. » Ingentem domum videas orbem universum, in qua non modo multa conspicua, nobilia, illustria, sed etiam alia re-

[1] Ps. CVI. 25, 26. — [2] Ibid. CVI. 27. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. XXXII. 17. — [5] Ibid. XC. 7. — [6] Ib. CIII. 32. — [7] Ibid. 28, 26. — [8] Ibid. 29. — [9] Ib. XXXII. 7.

condita, inaccessa, ipsius domini aut familiarium forsitan oculis reservata. Tum illud ejusdem fere generis : « Educens ventos de thesauris suis [1] : » en vim ventorum mirabilem ; latentem sane, et tamen cum libuit, vel ut ex altissimo naturæ penu erutam occultissimis causis, unde existant nubes, pluviæ, ac per dies noctesque nunc serenitas expansi ac perspicui ætheris, nunc obscuri et contracti horridior, ac sua quodammodo venerabilior species. Deficiet me dies, si talia e Psalmis enarrare pergam : relata quædam quæ ingeniorum acuerent diligentiam.

XIX. — Rapidi concitatique motus.

Quid illi in tanta sermonis brevitate rapidi concitatique motus, qui attentum lectorem languescere non sinunt : ex quibus efflorescit illa figurarum tam concinna, tam læta, tam propemodum immensa et inexhausta varietas : unde personarum ac rerum subitæ commutationes. Sumamus enim unum vel brevissimum Psalmum de senatorum ac judicum majestate : « Deus stetit in synagoga Deorum ac [2]. » En subjicitur oculis augustissimus ille consessus : tum Dei allocutio ; atque increpatio primum : « Usquequo judicabitis iniquitatem ? » deinde adhortatio : « Eripite pauperem : de manu impiorum eruite. » Quo Dei increpantis sermone finito, jam propheta sanctus tacite apud se cogitans quam parum attenderint ; in has erumpit voces : « Nihil norunt, nihil intelligunt : in tenebris ambulant. » Hæc de perversis judicibus : mox autem : « Nutant omnia fundamenta terræ : » conversis jam oculis ad ipsos eventus judiciorum corruptelam consecutos. Neque hic conquiescit : nam ecce ipse Deus iterum : « Ego dixi : Dii estis : » ut animum erigant : et confestim, ne supra modum efferantur : « Verumtamen sicut homines moriemini. » Sic enim decebat Deum pro majestate sua, nunc erigere, nunc deprimere, velut e nutu pendentes suo, homines excelsissimo etiam loco constitutos. Denique ad Deum sermone converso : « Surge, Deus, judica terram : » tanquam diceret : hominum perversa judicia tu ipse judica, quoniam omnes gentes tuæ sunt, nec imperium tuum ullo fine clauditur. Quanta igitur in octo versibus rerum personarumque commutatio ! tum quanta suppressa sunt, quæ si verbis expresseris, frigescet oratio : sed ipso erumpendi impetu testantur, quam ex imo prosiliant, tanquam e fornace prorupti flammarum globi. Jam celeres animi motus quanta verborum vis sequitur ! Non enim ait tantum : « Liberate egenum : » sed « eripite : » vim enim adhiberi oportet, non frigida et lenta officia. Neque concussa regna memorat, quod erat obvium : sed terræ totius fundamenta labefacta, emotamque molem, atque alia in hunc mo-

[1] Ps. CXXXIV. 7. — [2] Ibid. LXXXI. per totum.

rem : quæ qui non senserit, aut frigide legerit, stipes saxumque sit. Quid illud? Juvat enim aliquot exempla ponere, quibus lector instructus ad similia cogitanda sua sponte assuescat : « Deus ultionum, Domine! Deus ultionum, appare [1]. » Increpituro scelera gentis humanæ nullum aptius dicendi exordium occurrebat, quam adversus impios invocatio Dei sub hoc titulo, « Deus ultionum, » eoque ingeminato ad incutiendum terrorem. Quam vivida esse oportet, quæ tali compellatione incipiunt! Nec abludunt sequentia per admirationem et interrogationem : « Usquequo impii, Domine, usquequo impii superbient? » Tum subjectæ oculis velut ex hoc superbiæ fonte exortæ rapinæ, cædes, fanda atque infanda omnia : « Domine, plebem tuam conterunt : hæreditatem tuam affligunt. » Tum personæ inductio : « Et dixerunt : Non videbit Dominus : » mox, quam pressus ille argumentandi modus : « Intelligite insipientes : stulti, aliquando sapite : qui plantavit aurem, non audiet? » Deinde exclamatio : « Beatus homo quem tu erudieris, Domine! » Tum indignatio : « Quis consurget mihi adversus maleficos? » Tum sui allocutio ad seipsum : « Si dicebam : Motus est pes meus : misericordia tua, Domine, sustentavit me. » En uno tenore, suæ infirmitatis conscius animus, ac statim auxilio divino confirmatus : tanta est, tanique præsens opitulantis Dei efficientia ac virtus. Jam vero cogita quo ab initio ista profecta sint, utque ab invocatione Dei, ad hominum corruptelas, ad increpationem, ad indignationem, postremo ad fiduciam poeta decurrit : quod erit perlegenti obvium. Omnino concitatus semel animus, nihil languescere sinit in stylo. Hi Psalmorum motus : quibus locis lectorem per sese animadvertere oportet : quis poetices, ac præsertim quis odorum genius qui impetus, quam alii ex aliis motus existant, quam volucres transitus; uno verbo, quam ipse sermo totus in motu sit.

XX. — Suavitas in Psalmis quanta.

Cæterum hi properi incitatique motus, ita sunt sua quadam æquabilitate temperati, ut singulis rebus etiam immorari liceat. Hinc illud vulgare in Psalmis, totaque adeo Scriptura, ut eadem semel iterumque, uno etiam in versu repetantur, ut illud : « In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum [2]. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis [3] : » et alia ejusmodi, quæ omnino ad inculcandam, meditandam, amandam veritatem pertinent. Hæc tamen verba, plerumque ut simillima sint, non tamen ejusdem sensus nec prorsus synonyma : exempli gratia : « Manus tua

[1] Ps. XCIII. per totum. — [2] Ibid. XVIII. 5. — [3] Ibid. CII. 10.

deducet me; tenebit me dextera tua[1] : » quæ si quis perpenderit sane illud tenere, quod est sustentantis, ab illo, deduci, quod est præeuntis, longissime distare reperietur : et quidem quod summa artis est, postrema sæpe augent; quale illud est, breve licet, mira tamen amplificationis : « Qui fecit magna in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro[2]. » Ac si vim verborum excutimus, aut hebraici sermonis virtutem et gratiam omnem assequi daretur, forsitan in simillimis ac gemellis quamvis, aliquid diversitatis qua internosci possent, subtilis et accurata inspectio deprehenderet : et tamen utcumque sit, in eadem veritate hærere; eam mente revolvere atque animo infigere; ea delectari et frui, bonæ mentis est. Quod agebat David cum diceret : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum[3]. » Qua meditatione, quo fructu voluptatis, quo veritatis gustu, nihil est efficacius aut suavius. Ex his enim fere existit illa Psalmorum, quam commemoravimus, mira suavitas. Nam præter illos incitatissimos motus quos diximus, sunt quidam leniores, animi in Deum paulatim defluentis, ac veluti liquescentis; queis nihil est dulcius. Quam enim suave, quam delicatum illud, « Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus : qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos[4] : » quæque alia commemorat beneficia prævenientis Dei et ultro miserantis. Prosequitur enim : « non secundum peccata nostra fecit nobis : » unde securitas : « quanto cœlum terra excelsius, tanto confirmata est misericordia ejus. » Jam peccata quam procul! « quantum distat ortus ab occidente : » tum ipse indulgendi modus : « quomodo miseretur pater filiorum : » nihil prætermisit quo amentem Deum, seque redamantem faceret. Quo loco exclamaverim melius quam ille quondam : spirat adhuc amor; vivunt Davidicæ lyræ, ac sacris hymnis commissi calores sive amantis Dei, sive redamantis hominis. Hinc illa suavitas, cujus tanta vis est in Davidicis carminibus, ut etiam perrumpat ad nos, ac penetret, inter versionum nostrarum phrases inconditas, et semibarbaras. Prorsus enim necesse est, ut quasi arrepta cithara Deum canamus, statim atque illud assonat : « Bonum est laudare Dominum, et psallere nomini tuo, Altissime; ut annuntiemus mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctes[5] : in decachordo psalterio; cum cantico, in cithara. » Hic vero totus animus colliquescit : « Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu sum. Jucundum sit ei eloquium meum : ego vero delectabor in Domi-

[1] Ps. CXXXVIII. 10. — [2] Ibid. CV. 21, 22. — [3] Ibid. XXXI. 1, — [4] Ibid. CII. 1, 3, etc. — [5] Ibid. XCI. 2, 3, 4.

no [1]. » Quæ si commemorare aggrediar, huc denique omnes Psalmos transferri oportebit. Nec immerito Ambrosius, ut tanti viri verbis desinam : Psalmus « omni dulcis ætati, omni aptus est sexui... Psalmus cantatur ab imperatoribus, a populis jubilatur ;... domi canitur, foris recensetur..... Psalmus nocturni pavoris solatium, diurni laboris requies..... Psalmum et saxa respondent : Psalmus canitur, et saxea pectora molliuntur : vidimus flere præduros, flecti immisericordes. Certat in Psalmo doctrina cum gratia simul. Cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem..... nec consuevit elabi, quod cum voluptate perceperis [2]. »

CAP. III. *De variis Psalmorum generibus.*

XXI. — Variorum generum in Psalmis ratio et vis.

Varia Psalmorum genera : sunt enim vel morales, sive adhortatorii, sive increpatorii, vel deprecatorii, vel historici, vel prophetici : et per omnes quidem fusa suavitas cum grandiloquentia ; sed in moralibus, hæc singularem habent gratiam, sententiarum pondus, ac dicentis auctoritas, styli denique gravitas. Sidera in cœlo citius quam in Psalmis sententias numeraveris. Quasdam, exempli gratia, commemorabimus. « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion [3] » sunt sic excelsi, et imperturbabiles : Et : « Beatus qui cogitat de paupere [4] : » et : « oculi Domini super justos [5] : » et : « noli æmulari male agentes : » qui Psalmus, quot verba, tot habet sententias : has insignes : « Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas : et : mutuo accipiet peccator, et non solvet : justus autem miseretur, et tribuet [6]. » Jam auctoritas : « Attendite, populo meus, legem meam [7] ; » et : « Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos [8] ; » et : « Audite hæc, omnes gentes [9] ; » jam a populo Dei ad omnes quaquaversus populos auctoritate propagata. Quo etiam pertinet toties interpositus Dei sermo, et quidem lectore interdum admonito, Deum esse qui loquatur : ut : « Peccatori autem dixit Deus [10]. » Huc accedit styli gravitas, inculcata veritate ac miris verborum veluti aculeis infixa mentibus. Deprecatorios commendat fides, ac reliqua omnibus nota, maxime humilitas : « humiliata est in pulvere anima nostra : conglutinatus est in terra venter noster [11] : » et : « adhæsit pavimento anima mea [12] : » aliaque ejusmodi. Historicos appellamus, sive eos qui veteres re-

Ps. [1] CIII. 33, 34. — [2] Præf. in Ps. I, n. 9, 10. — [3] Ps. CXXIV, 1. — [4] Ibid. XL. 2. — [5] Ibid. XXXIII. 16. — [6] Ibid. XXXVI. 1, 16. 21. — [7] Ibid. LXXVII. 1. — [8] Ibid. XXXIII. 12. — [9] Ibid. XLVIII. 2. — [10] Ibid. XLIX. 16. — [11] Ibid. XLIII. 25. — [12] Ibid. CXVIII. 25.

volvunt historias, quales sunt : « Attendite : » et, « confitemini[1] : » sive eos qui a Davide, aliisque, de rebus suis compositi; ut est quinquagesimus, postquam Davidi Nathan exprobravit adulterium et cædem. In his prætermissa non modo nomina, verum etiam fere particulares circumstantiæ, quæ personam Davidis aliorumque proprie designarent : credo, ut omnibus Psalmos decantaturis facilius aptari possent.

Quibus vero priscas historias repetit, tres sunt præcipui : LXXVII. CIV. CV. Id autem in illis cum primis notabile : ipse narrationis cursus : nec omnia enarrata, sed summa; certo orationi scopo constituto, quo omnia referantur; insertis etiam quæ historiam illustrent, lectorem doceant, animum afficiant, atque in optatum finem quasi manu ducant : quæ nos sigillatim in cujusque Psalmi expositione notabimus.

Propheticos vero dicimus, ut ratio nominis præfert, qui futuras præcinunt sive Christi et Ecclesiæ, sive aliorum quoque res : suntque hi duplicis generis; alii mere prophetici, ut qui de solo Christo; alii mixti : iique iterum duplicis generis, sive David verbi causa, de rebus suis locutus animo repente in futura rapto, res Christi interserit; sive de se multa dicit in figura Christi, quorum in ipsum Christum sit sensus illustrior; quæ hic commemorare nihil attinet, cum suis tradantur locis.

CAP. IV. *De profunditate et obscuritate Psalmorum.*

XXII. — Profunda Psalmorum; hujus rei prima causa, ex rerum celsitudine.

Psalmorum mira profunditas : cujus hæ sunt causæ : primum quidem ratio communis eloquiorum Dei, quæ spiritus sanctus ita vult constituta, ut animos « non tantum manifesta pascant, sed etiam secreta exerceant veritate[2]. » Sic Augustinus. Quo fit ut præter obvios sensus, alii intus, et in ipsa veluti medulla delitescant. Quid enim planius quam illud : « Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina[3]? et tamen videre est, quam hunc locum versando et scrutando penitus, sanctus ille Abbas apud Cassianum miros verosque sensus, velut reconditos thesauros eruerit? « Habet ille versiculus adversus discrimina invocationem Dei; habet humilitatem piæ confessionis; habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam; habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis præsidii : habet amo-

[1] Ps. LXXVII, CIV, CV, CVI. — [2] Epist. ad Volus. CXXXVII, n. 18. — [3] Ps. LXIX. 2.

ris ardorem, insidiantium formidinem, quibus perspiciens se noctu diuque vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari [1]. Hactenus Cassianus; tu ipse vide reliqua : et unius versiculi divitias inexhaustas fatebere. Cujus generis profunditatem in omnibus Psalmis, non commentatorum diligentia, sed recitantium pietas, et in meditatione exardescens ignit inveniet.

XXIII. — Altera causa; ratio prophetici sermonis; tertia ex sublimitate poeseos.

Atque hæc profunditas summa cum perspicuitate conjuncta est Sunt alia in divinis eloquiis obscura, cum Dei majestas ad reverentiam sui velut nube se involvit. Quam profunditatem auget ratio prophetiæ, ubi ille « Spiritus » propheticus « scrutatur omnia, etiam profunda Dei [2] » futuraque expedit interdum per ambages, quæ non nisi summo sudio, summaque diligentia, alia ex aliis eruendo, recludantur. Huc accedit vis poetices, sensuumque sublimitas, ac pernicitas motuum : tum brevitas, atque undique emicantia fulgura, quæ segnes oculi non ferant : tum is quem diximus, odarum genius, sublimis, eruditus, rapidus, tam subitis rerum personarumque commutationibus, plerumque nec lectore admonito. Neque enim sacri vates dum Deum inducunt loquentem, id semper præfigunt : « Hæc dicit Dominus; » aut ut ipse Psalmistes : « Peccatori autem dixit Deus [3]; » hæc enim adhibent cum oscitantem quoque ac stertentem auditorem tanquam e gravi somno excitant : cæterum plerumque id aliaque ejusmodi prætermittunt, ne velut cursu suo profluens retardetur ac languescat oratio. Attentas enim aures postulant, quæ per se nec admonitæ, rerum gustum sensumque capiant. Atque id ex consuetudine sermonis illius, quem vocant ncitatum vehementemque; cui ad res ipsas citius properanti, verborum circuitus impedimento sint. Quæ vis vigilantes, aut etiam assuetos, adjuvat et arrigit; tardos desidesve aut prætervolat, aut etiam obruit.

XXIV. — Alia causa, ex linguæ sacræ ratione.

Atque hæc obscuritas plerumque oritur ex linguæ hebraicæ brevitate et genio. Sane qui diversarum gentium indolem inspexerint, ntelligunt ut ingeniis, ita linguis inesse tarditatem, aut levitatem mobilitatemque quamdam. Et quidem Hebræi, Arabes, alii, fervido sub cœlo nati, quæ volunt rapido sermone significant; plura gesti-

[1] De Orat. collat. x. c. 10. — [2] I. Cor. II. 10. — [3] Ps. XLIX. 16.

bus nutibusque, quam verbis conficiunt : in sermone multa supplent. Hinc illa in Jobo, ac persæpe in Davide obscuritas pene inextricabilis; non quod illa lingua per sese ambigua; sed quod antiquissima, atque a vicenis eoque amplius seculis obsoleta, fere nos fugiat; sintque inaccessa prorsus, quæ ipse usus aperire, quæ ipsa familiaris sermonis ratio mollire ac supplere consueverat. Quo etiam factum est, ut verborum virtus intercideret; particularum vero quibus oratio continetur, solo usu nota proprietas, atque ideo fere ignota nobis, pendentem abruptumque sermonem relinqueret. Denique occurrunt, ut in antiquissima lingua, imperfecta multa, atque in aliis linguis ipso usu perpolita. Quæ ut sacrorum librorum antiquitatem auctoritatemque commendant; ita necesse est, ut nobis maximas ac propemodum insuperabiles difficultates pariant : ac revera testatur non modo explanationum, sed versionum etiam propemodum infinita varietas, quam in exculpendis penitus hebraicarum vocum significationibus clarissima ingenia laborarint.

CAP. V. *De textu ac versionibus.*

XXV. – Monitum necessarium; in variis lectionibus ac versionibus eamdem inesse rerum et doctrinæ summam : tum de textu ac versionibus regulæ. Prima regula.

In his difficultatibus superandis, id primum : has diversitates nihil ad fidei morumque normam pertinere; namque in originali textu, inque interpretationibus Ecclesiarum usu celebratis, atque ideo in Vulgata nostra eamdem esse doctrinæ summam, ne uno quidem apice detracto; tum confutandis erroribus, ac stabiliendis, asserendisque dogmatibus idem robur : denique auctoritatem summam, veramque pietatem. Quare cum nos, reliquorum expositorum exemplo, ad hebraicos fontes, aut etiam, cum opus est, ad alias versiones recurrimus, id omnino valet non ad rerum summam, atque, ut aiunt, substantiam, sed ad illustrandam, confirmandamque veritatem; tum ad investigandos illustriores aptioresque sensus; totam denique orationis seriem suis nexibus melius componendam : quod præfari oportuit, ne quis dubitationi aut calumniæ pateret locus.

His constabilitis, de textu ac versionibus duas ponemus regulas; primam : qui litteralem sensum sectentur, ad fontes hebraicos recurrendum. Id enim Patres omnes, id Thodoretus, id Chrysostomus ubique faciunt. Hieronymus vero adeo favit hebraicæ veritati, ut post Septuaginta quos vocant interpretes, non modo catholicæ Ecclesiæ usu, verum etiam evangelicis apostolicisque litteris

consecratos, novam versionem quarto demum Ecclesiæ seculo, ex hebraicis fontibus instruere non dubitaret : cujus ex Hebræo Scripturam interpretantis tam « litteratum laborem, » teste Augustino [1], etiam « Judæi » fatebantur « esse veracem. » Quo factum ut Ecclesia latina universa, duce etiam romana omnium Ecclesiarum matre, hebraici textus fiducia, novam hanc versionem antiquæ et vulgatæ, quam tunc vocabant, tandem anteponeret; in omnibus quidem Scripturæ libris, præter unum Psalterium, ea forte causa quam postea referêmus. Tum vero evenit id, quod evenire posse nec Augustinus providerat [2], ut tot Ecclesiæ Christi quæ latinam sonarent linguam, Septuaginta interpretibus « unum interpretem » Hieronymum anteferrent. Nec puduit romanam universamque latinam Ecclesiam, aliter legere quam Lucas, quam Paulus, aliique scriptores sacri retulissent, aut Ecclesiæ ab ipsa christianitatis origine retinuissent : cujus rei exempla si referre incipiam, næ ego in re certa et comperta nimis diligens videar. Sed latini nostri his permoti non sunt, cum intelligerent, totam hanc legendi varietatem, uti prædiximus, nihil omnino pertinere ad rerum doctrinæque summam. Quin ipse Augustinus, Septuaginta interpretum tantus fautor, ut etiam Prophetis eos æquare videatur, textum tamen hebraicum, etiam a Septuaginta interpretibus dissonantem, haud minus propheticum atque integrum esse fatebatur [3]. Denique idem doctor, propter Septuaginta interpretum auctoritatem, Hieronymianæ versioni initio parum æquus, postea in libris de Doctrina christiana [4], ubi interpretandis Scripturis præfigit regulas, ita decernit : elucidari eas, facta familiaritate cum originalibus linguis : hebræos græcosque fontes necessario requirendos, atque exemplaria linguæ præcedentis; recurrendum ad ipsas linguas, ex quibus sacra Scriptura, atque interpretationes profluxerunt : qui has linguas nesciant, frequentandas illis interpretationes eorum, « qui se verbis nimis obstrinxerunt [5]. » Quibus etiam factum est, ut doctor eximius, dum Scripturæ sacræ elegantiam et vim, ex quodam loco Amos demonstrare aggreditur; locum prolixissimum referendum duxerit, prout Hieronymus ex Hebræo verterat; qui locus ab Augustino refertur ad verbum, prout nunc in nostra Vulgata legitur.

His efficitur, juxta Patrum sententiam, hebraico textui inesse aliquid verius ac certius : porro in eo textu, nihil grave commutatum ab Hieronymi Augustinique temporibus apud eruditos fere constat, dempto uno Psalmi XXI versiculo 17, de quo suo loco

[1] De Civ. lib. XVIII. cap. 43. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. II. c. 9, 10. 11, 12, 13, Edit. Bened. n. 16, 17, 18, 19 et seq. — [5] Ibid. lib. IV. c. 7, n. 15, 16, 17, 18, 19, 20.

dicemus. Quare quo jure Patres eo recurrebant, eodem quoque jure uti nos oportet; licebitque nobis exemplo Hieronymi dicere : « Sic omnino psallendum ut fit in Ecclesia, et tamen sciendum quid hebraica veritas habeat; atque aliud esse propter vetustatem, in Ecclesia decantandum, aliud sciendum propter eruditionem Scripturarum [1].

XXVI. — Altera regula, de antiquis versionibus.

Altera regula : ad antiquas etiam versiones necessario recurrendum. Hebraico enim textui longo temporum tractu irrepsisse dubia, vel ipsæ ab antiquo variæ lectiones probant : nec deesse menda constat; atque ut cætera omittamus, unum illud ineluctabile in Psalmo acrosticho CXLIV, ubi versum integrum deesse Hebræis, ipsa ratio acrostichi dubitare non sinit, prætermissa littera « Nun : » quem hebraici textus defectum, græcæ et latinæ versiones plene et accurate supplent. »

Huc accedit vocum hebraicarum obscuritas, nullo alio elucidanda clarius quam per antiquissimas versiones, ubi melius et tutius tanquam ex propinquo, originalis linguæ servatur ingenium et spiritus. Tum quibusque linguis sua inest proprietas, nec vox voci respondet ex æquo, ut notum est. Quare dum variant interpretes, aliusque alio collimat, originalis linguæ vim, atque, ut ita dicam, amplitudinem ex ipsa interpretationum varietate percipimus : unde sancti Patres, quique inter eos, vel exquisitissimi judicii, limatissimique ingenii sunt, Chrysostomus ac Theodoretus, variantes versiones, illumque originalem textum assidue memorant; non ut lectoris confundant intelligentiam, sed potius ut juvent : atque omnino vigilanter suoque more Augustinus : « Adjuvat legentes ipsa varietas [2]; » ut illa discrepantia versionum, quæ nil nisi ambiguitatem parita videbatur, intelligentiæ ac perspicuitati vertat. Quin ipsa Ecclesia catholica dissonantes versiones adeo indifferenter habet, ut cum Psalmo XCIV Vulgata legat : « Quadraginta annis offensus fui; » nos contra in nocturno canamus : « proximus : » diversissimo sensu, sed utrobique sano : quod exempli loco ponimus, ne cum lectoris fastidio omnia persequamur.

XXVII. — Harum regularum usus; versio Hieronymi ex Hebræo.

Has igitur secuti regulas, varias versiones adhibemus; parce

[1] Epist. ad Sunn. et Fretel. Edit. Bened. t. II. p. 626, quæst. de Ps. 73. — [2] Lib. II. de Doct. chr. 12.

illud quidem, ne superfluis lectorem oneremus hebraicos vero fontes, quam possumus late pandimus : idque ut felicius præstemus ac securius, Hieronymianam versionem, eam, quam ex hebraica veritate edidit, magno emolumento futuram legentibus, e regione Vulgatæ ponimus. Quod dum facimus, non nostrum, sed Ecclesiæ catholicæ judicium sequi nos credimus : quippe quæ et « in interpretandis Scripturis doctorem maximum [1] » Hieronymum prædicet : et ejus versionem in cæteris Scripturæ libris sequendam judicarit; idem, ut videtur, factura in Psalmis, nisi ex quotidiano usu tenacius inhærerent memoriæ, quam ut alteri versioni loco cederent.

Neque enim ulla ratio excogitari potest, cur in cæteris Scripturæ libris, duce Hieronymo hebraicam veritatem magis approbaret, in Psalmis vero minus : nisi forte suspicemur, ipsum Hieronymum in Psalmorum versione diligentius esse versatum, contra quod ipse profitetur præfatione ad Sophronium, quam suæ versioni præfixam esse voluit, et nos hic præposuimus.

Sane confitemur Vulgatæ nostræ, quæcumque illa sit, Psalmorum versioni, certe vetustissimæ, ac vetustissimarum Ecclesiarum auctoritate fultæ, inesse quemdam pietatis spiritum, persæpe etiam in verbis efficaciam singularem. Cæterum Hieronymianam, quam commemoravimus, versionem planiorem aptioremque esse, ac limpidius fluere, lector diligens facile animadvertet : quare in notis nostris, pars expositionis erit Hieronymianam interpretationem, hoc est, hebraicam veritatem digito indicare. Nec prætermittimus, sicubi Hieronymus pro verborum ac phrasium obscuritate, ab hebraico fonte nonnihil deflexisse videatur. Atque hæc de versionibus, quantum ad institutum nostrum, dicta sufficiant : cætera in eam rem vulgata enarrare non est animus, nullo laboris fructu nec dicendi modo.

CAP. VI. *De titulis, aliisque notis : ac de argumentis, auctoribus, et ordine Psalmorum : deque choreis et pia saltatione, ac metrorum ratione.*

XXVIII. — Tituli Psalmorum authentici.

Psalmorum titulos divinitus inditos conservatosque dicimus, ut Psalmorum auctores et argumenta noscerentur : quam Psalmorum clavim Hieronymus merito pronuntiat, nec magis licere sine titulo

[1] Coll. fest. S. Hier.

Psalmum, quam sine clavi domum ingredi [1]. Nihil enim magis adjuvat intelligentiam, quam rerum, personarum, ac temporum notæ, et ipse auctoris scopus cognitus. Nec abludit Augustinus : « Inde (ex titulo scilicet) pendet omnis versus qui cantatur. » Tum : « Si quis cognoscat quod in domus fronte positum est, securus intrabit. Nec cum intraverit, errabit : hoc enim in ipso poste prænotatum est, quomodo interius non erretur [2]. » Neque vero ulla ratio sinit, ut titulos a reliquo Scripturarum corpore amputemus, cum eodem tenore legantur cum reliquis; atque in textu pariter, et in omnibus versionibus positi reperiantur : denique ab omnibus expositoribus sive Christianis, sive etiam Judæis, pari cum Psalmis ipsis religione explicentur. Qui enim titulos non uno modo intelligant, video esse quam plurimos; qui de titulorum auctoritate dubitarit, ex antiquis omnino neminem. Et quidem expositores plurimi Psalmos non eorum esse volunt, quorum nomine inscribuntur, Asaphi, Idithuni, Mosis ipsius; de quibus dicemus postea : at illi non rejiciunt titulos, sed sententiæ suæ accommodant, et cur eorum notentur nomine, causas alias quærunt, illæsa interim tituli auctoritate : quo inviolabilem sacrosanctamque esse oportet. Quin etiam Augustinus de titulo Psalmi L sic habet : « Hoc non in Psalmo legitur, sed in titulo : in libro autem Regnorum plenius legitur : utraque autem Scriptura canonica est [3]. » En titulos pari jure vocat canonicos, quo ipsos Regum libros : quo quid clarius ? Nec aliter in Psalmum LXIV, cujus expositio sic incipit : « Agnoscenda est vox sanctæ prophetiæ, ex ipso titulo Psalmi hujus : » similia passim. Quid autem Theodoretus? Eo ab Augustino differt, quod hic quidem intentus allegoriis aut moribus, ut solebant in concionibus ad populum, titulos qui in Septuaginta tantum, quique in Hebræo etiam habeantur nullo refert discrimine. At Theodoretus ubique historiæ ac litteræ memor, non ita. Nam ipsi Septuaginta seniorum codices quos tractabat, ita quosdam titulos addebant iis quos Hebræus habet, ut etiam annotarent in Hebræo deesse, Psalmosque his titulis notatos esse anepigraphos, seu sine titulo. Id vero Theodoretus, secutus ut solet Chrysostomum, assidue notat [4] : ex quo efficit illos non in antiquis inventos codicibus, sed a studiosis quibusdam appositos; atque adeo dubios, falsos, rejectitios, quod in Hebræo non sint : quod nec in antiquis Septuaginta seniorum

[1] Præf. Comment. in Ps. qui in edit. Bened. Lib. in exposition. Psal. Proœm. et Breviarium S. Hieron. in Psalterium inscribuntur. Utrumque librum vide in Appendice t. II, p. 121 et 523 — [2] In Ps. LIII. n. 1. — [3] Ibid. L. n. 2. — [4] Ad Ps. XXVI, XXVIII, LXIV, LXV, LXIX, LXX, LXXII, XCV, XCVI, CXXXVI, CXLII.

codicibus : quod non denique in hexaplis : quæ Septuaginta senum versio, una sit accuratissima, atque Hebræis codicibus convenientissima. De titulis vero absolute hoc asserit : eos eodem cum Psalmis dictatos spiritu, codemque instigante, et ex æquo ab Esdra restitutos, et a Septuaginta senibus translatos : piaculumque esse, dubitare de titulis seque Spiritui sancto anteferre. Quo profecto testatur, id omne esse sanctum, quod illi seniores ex hebraico fonte transtulerint, adeoque titulos eodem jure censeri, quo Psalmi habentur. Ex quo illud efficitur, in titulis quidem, ut in reliquo textu, esse potuisse diversas interpretationes, variasque lectiones ; quasdam etiam studiosorum notas de latere in corpus adscriptas : cæterum titulos quos in originalibus libris fuisse constaret, a nullo unquam antiquo doctore in dubium revocatos fuisse.

XXIX. — Item de titulis, deque alia nota ad Ps. LXXI.

Est et alia nota insignis in fine Psalmi LXXI. « Defecerunt laudes David filii Jesse : » ex qua suo loco pro certo statuemus, aliam Psalmorum collectionem fuisse ante istam Esdræ quam nunc habemus : quo etiam clarum fit, ab Esdra in nova collectione veteres notas studiose retentas, in antiquitatis memoriam : unde prudens lector eliciet, ab Esdra nihil mutatum fuisse, præter Psalmorum ordinem : cæterum notas omnes adeoque et titulos vetustiores esse, Psalmisque ipsis coævos atque congeneres, aut certe paulo post recentissima memoria scriptos, neque a quoquam sine piaculo contemnendos.

XXX. — De Psalmorum auctoribus.

Hinc videtur solvi quæstio de Psalmorum auctoribus : cum aliqui Davidi, aliqui Hemano, Ethano, aliis, ipsique adeo Moysi imputentur. Nam de Asapho Idithunoque alia est ratio ; quibus attribui potuere, non ut auctoribus, sed ut cantorum præfectis : quod suo perpendemus loco. De Moyse autem quis tale quid dixerit [1]? Præterea persæpe in ipsis Psalmis videas quæ non ad Davidis, sed ad diversissima tempora manifeste pertineant, puta captivitatis aut desolati templi : in quibus proinde nulla jam arcæ mentio, quæ in antiquioribus Psalmis vel familiarissima est : quippe cum exusto templo amissa fuerit, neque unquam populo restituta. Hos Psalmos Davidi tribui, vix ratio sinat. Quæ tamen nihil prohibent, quo-

[1] Inf. ad Psalm. LXXXIX.

minus Patres varient. Quidam enim Davidi omnes attributos volunt : qui Moysi inscribatur, eum a Davide in Mosis persona compositum : quæ posteriora tempora spectent, eos a Davide prophetico spiritu conscriptos. Nos cum Hieronymo [1] planiorem secuti viam, nihil obstare videmus, quominus a diversis auctoribus scripti esse existimentur; iisque tribuantur, quorum nomen præferunt. Neque inde aliquid auctoritati detractum est, cum ea non a Davidis nomine, sed a Spiritu sancto dictante repetatur : quin etiam accedat et auctoritas et gratia, ex aliorum auctorum, puta Mosis, nomine. Quod autem de prophetia dicunt, ut non refugimus, si certa ratio addicat, ita gratis dici nolumus; aut facile referimus ad prophetiæ rationem, id, quod nihil involutum, nihil arcanum aut mysticum, sed puram planamque historiam continet, quod Prophetæ non solent.

XXXI. — Item de titulis, auctoribus et argumentis Psalmorum; horum utilitas.

Hinc certa paratur via ad argumenta Psalmorum; quippe quæ persæpe in ipso titulo declarentur : quo exemplo ad quærenda cætera, piorum studia accenduntur. Et quidem Psalmos aliquot sine titulo, puta secundum, Davidi tribuendos vel ex Actis constat [2]; sive tituli exciderint, sive alia causa subest. In his aliquid auxilii præsto esse videbatur ex ea regula quam Hieronymus tradidit : ut omnes Psalmi, qui cujus sint titulum non habent, iis deputentur quorum in prioribus Psalmis nomina continentur [3] : » quam regulam ad argumenta Psalmorum doctores Hebræorum patere volunt. Verum hanc regulam nec Patres reliqui secuti sunt, et nos ex rebus ipsis non satis certam esse comperimus. Ecce enim, verbi gratia, secundus Psalmus non habet titulum : ejus ergo sit, cujus est primus : at et primus anepigraphus. Fallit ergo regula, jam inde ab initio, neque in decursu tutior, ut consideranti perspicuum fiet. Quare ubi certa in titulis argumenta desunt, Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque Patrum et interpretum exemplo conjecturas adhibemus, ex rerum, personarum, ac temporum notis; sacra etiam historia, qua diligentia possumus, recensita. Certe in eo maxime laboramus, ut ad certum scopum lectoris dirigamus animum : quo uno maxime intelligimus adjuvari memoriam, mentemque revocari, ne per inania divagetur. Atque hæc erant, quæ de titulis et argumentis generatim diceremus : particularia suis locis posita melius intelligentur.

[1] Præf. ad Sophronium, vid. infra. — [2] Act. IV. 25. — [3] Epist. 139. ad Cypr. Presb. Ed. Bened. inter Epist. criticas. t. 2. p. 695.

XXXII. — De *sela*, nihil ad sensum pertinente.

De « sela, » uno verbo. Est quidem ea nota sæpe intertexta Psalmis : interdum etiam in fine posita : quam vocem Septuaginta et Theodotion, et Simmachus, diapsalma vertunt, eaque designari volunt canendi vices aut flexus : Aquila vero, quem Hieronymus sequitur, ubique vertit : « semper : » tanquam nota illa sit rei sempiternæ, ut idem Hieronymus interpretatur : quod tamen sensui non congruit, ut suis in locis videre est. Nos cum Theodoreto plures interpretes secuti, diapsalma intelligimus [1] : neque ad res, sed ad rationem cantus pertinere arbitramur : interim indicamus, qui sit illud, « semper, » quod in Hieronymiana versione a reliquo sermone divulsum, sæpe reperitur : in Vulgata vero nostra ubique prætermittitur : neque immerito, quippe quod nihil ad sensum faciat.

XXXIII. — De choreis ac metris.

Sane in sacris hymnis diversissimos modos fuisse adhibitos ; varia etiam instrumenta musica, seu Psalmi graviores, seu lætiores erant, et res ipsa probat, et ex Psalmorum titulis indicari videtur. In canendo quoque priscum illum populum sacras egisse choreas easque choreas in ipso maris Rubri transitu a Maria sorore Aaron, piisque mulieribus primum celebratas [2], transiisse ad posteros, atque ab ipso Davide fuisse frequentatas, sacra narrat historia [3]. Qua de saltatione præclare Gregorius ille Theologus : non eam dissolutam indecoris incompositisque motibus, qualis erat Herodiadis ; sed agilis et modesti, variisque motibus atque progressibus ad Deum incedentis animi esse mysterium : εὐκινήτου καὶ πολυστρόφου κατα θεὸν πορείας μυστήριον [4]. Cantus autem et choreas strophis antistrophisque, variisque vocum motuumque flexibus atque reflexibus constitisse, ad Psalmum LXVII ex Philonis quoque testimonio referemus [5]. Cui etiam rei inservisse ipsum « sela, » de quo modo diximus, suspicamur. Sed horum omnium vis ritusque pridem intercidit. Quin etiam excidit ipsa metri ratio : nisi quod antiquos hymnos, quos Psalmos interpretamur, plerumque trimetros fuisse idem Philo memorat : sed quæ horum ratio fuerit, ut rem vulgo notam præterit, neque ea de re Hebræorum magistri quidquam idoneum, quod sciam, tradiderunt. Clemens Alexandrinus vir doctissimus, idemque priscæ reconditæque doctrinæ studiosis-

[1] Theod. præf. in Psalm. — [2] Exod. XV. 20, 21. — [3] II. Reg. VI. 14. — [4] Orat. IV. — [5] Lib. de Vit. contemp. sub finem.

simus, ac multarum rerum scientia clarus, de Psalmis Davidicis sic memorat [1] : eos potissimum ad gravitatem Dorici cantus fuisse compositos, qui et antiquissimus fuerit, et spondæis stabilis, et ad celebrandam Dei majestatem numerosis illis sonorisque vocibus, ac deinde consecutis gravissimis motibus aptissimus. Hujus gravitatis specimen deprehendere mihi videor in ipso « hallelu-ia, » longissimis quatuor constante syllabis; si quidem antiquissimis interpretibus credimus, ita vertentibus : ἀλληλούια : quæ vox, cum populo in Dei laudes exclamanti familiarissima fuerit, ejus rei gratia præfigitur Psalmis, has laudes personantibus : gravitate pariter atque exultatione in unum temperatis, ac lætitiæ intermixto tantæ majestatis metu, juxta illud Davidicum : « Exultate ei cum tremore [2]. »

XXXIV. — De Instrumentis musicis.

De instrumentis musicis, id certum, apud Hebræos usitata in sacris sive quæ flatu aut anima, ut tubam : sive quæ percussione sola, ut cymbalum : sive quæ etiam fidibus constitissent : quod genus a tangendo seu pulsando « neghinoth » vocabatur. Hujus sunt species « kinnor » seu cinyra aut cithara; et « nebel » seu nablium, aut psalterium : quod utrumque cum voce conjunctum memoratur Psal. LVI, 9. « Exsurge, lingua mea, exsurge, psalterium et cithara : » et alibi passim. Psalterium autem fuisse decachordum patet Ps. XXXII, 2. « In psalterio decem chordarum psallite illi : » aliisque in locis : ut illud Ps. XCI, 4. « In decachordo psalterio, » quod in Hebræo legitur, non ad distinguenda organa, sed ad unum idemque organum describendum pertinere intelligatur; nam « citharam, » quæ in eodem versu memoratur, octochordam fuisse tradunt. Certe reperitur in titulis Psalmorum, « scheminith [3], » quod nostri « pro octava » vertunt : Chaldæus, eumque secuti gravissimi auctores, octo chordarum citharam interpretantur; quanquam alii ad tonos magis quam ad numerum chordarum referunt. Pulsabant autem digitis, non plectro, ut videtur, de quo nulla mentio in Scripturis. Atque id genus quod fidibus constaret, duplex recensetur : alterum quod ex inferiori; alterum quod ex superiori parte, tonorum modulos discriminaret : ac posterioris generis psalterium sive nablium fuisse, Basilius [4] aliique ex traditione referunt : nobis ea omnia, ut parum necessaria, ita non plane comperta ingenue profitemur.

[1] Lib. IV. Strom. — [2] Ps. II, 11. — [3] Ps. VI et XI. — [4] Basil. homil. in Psalm. I. n. 2.

XXXV. — Psalmorum ordo incompertus.

De Psalmorum ordine fixum illud, in collectione nostra, nullam temporis haberi rationem. De rerum ordine, nihil certi compertum habemus, præter illud Chrysostomi : Tristiores Psalmos fere primo ordine collocatos; lætiores et qui laudem sonent, ad finem reservatos; ut laboribus doloribusque exercitatus animus, in Dei laudes, inque ipsum « halleluia » desineret, ibique facto fine conquiesceret [1].

CAP. VII. *De ratione legendi et intelligendi Psalmos.*

XXXVI. — Utilis obscuritas; ex fide intelligentia.

Psalmos ut et cæteras Scripturas, divino Spiritu id agente, ita compositos esse constat, ut plana et aperta obscuris implicitisque interjecta sint : quam in rem egregie Augustinus : « Locis apertis fami : obscuris fastidio occurritur [2]. » Id ergo agat vir pius, ut claris et apertis fidem, spem, caritatem alat : hæc infigat memoriæ : his se extollat ad Deum. In obscuris id primum cogitet, quod idem Augustinus ait : « Si parum intelligit populus christianus Psalmos quos cantat, credit bonum esse quod cantat [3]. » Hac fide viam paret ad intelligentiam, eodem Augustino teste : « Gradus intellectus fides; fidei fructus intellectus [4]. Hinc reconditos sensus pio labore quærat : et quasi medullam fracto nucleo suavius gustet.

XXXVII. — Ratio legendi Psalmos ; pauca de auctoribus quos maxime secuti sumus, ac de Commentario Hieronymi in Psalmos.

Nos pium hunc laborem adjuvandum suscepimus : dum constitutis argumentis scopum attentioni figimus : dum scrutamur litteram, et ex sacra historia, quantum possumus, omnia repetimus : dum interdum annotamus quæ pietatem inflamment; alia eo exempio quærenda indicamus. Occurrunt sane in Psalmis magnæ difficultates. Tu his superandis nostras notas adhibe, breves illas ac parabiles, quoad ipso usu doctus, meliora assequare. Nec tamen hic subsistas velim : non enim delectabit Psalmus per singulos versiculos anxie excussus, ac velut articulatim incisus : tu mihi Psalmi scopum, tu tenorem universum mente complectere. Ac si quidem in Psalmorum titulis præfixa argumenta repereris, recte : sin mi-

[1] Chrys. in Ps. LI, p. 1021, edit. Bened. t. 5. — [2] Lib. II de Doct. Chr. c. 6. n. 7 et 8. — [3] Tract. XXII. in Joan. n. 5. — [4] Ibid. n. 1 et 2.

nus, vel nostris utere, vel horum exemplo alia ipse conquire : huc deinde collima, huc omnia refer. Neque hic gradum figito : quin Davidem secutus, ac pias in laudes effusus, sancto amori vela pandas : ibi agente intus spiritu, tanta illa, tam mira, tam beata fient, quanta nos nec docere nec scribere, ac ne quidem animo providere possumus.

Huc ut te perducamus, optimos quosque ac sanctissimos interpretes sequimur; e Græcis Chrysostomum, Theodoretum; e Latinis Ambrosium, Augustinum; alios ejusdem notæ : certe Hieronymum hac in re eminentissimæ auctoritatis virum, non modo perpetuum interpretem, ac per aspera quæque viæ ducem damus : verum etiam ex doctissimis ejus lucubrationibus atque ex ipsis Commentariis in Psalmos, selectissima quæque proferimus.

Neque nos fugit hos Commentarios a Sixto Senensi et aliis, sancto viro abjudicatos. Nos ejus esse dicimus, qui quadringentesimo fere Christi anno scriberet : qui nullam memoraret hæresim quæ non quarto seculo extitisset : qui monachi proposito viveret : qui Hierosolymitanum solum rusque Bethlemicum præsepi Dominico delectatus, incoleret : qui ea, quæ ex hebraica eruditione promeret, Hieronymo proferret ubique gemina. Sin autem sæpe allegorica, et alia quæ ab Hieronymi consuetudine ac sensu abhorrere viderentur : nihil mirum, cum in ipsa præfatione testetur, a se quidem tradi magis Origeniana quam sua [1] : quod et ipsum Hieronymus sæpe fecerit, ne quidem admonito lectore [2]. Quin etiam in Psalmum XCIII, longam interpretationem referemus, quam ipse Augustinus ex Hieronymi Commentariis in Psalmos sumptam esse testetur, tam reliquis similem, ut nihil supra. Refert et Gregorius ex eo Commentario quædam sub Hieronymi nomine. Quin ipse Hieronymus eas interpretationes a se in Psalmos editas memorat [3], quæ in hoc libro reperiantur. His victi fatentur hos Commentarios ex Hieronymo potissimum esse consarcinatos; quod nobis sufficit.

XXXVIII. — Ordo versuum; Vulgatæ glossemata, quorum hic pleraque referuntur.

Cæterum ad intelligendam Vulgatam versionem, non parum hæc conferant. Primum, si restituas, ut fecimus, versuum distinctionem interdum perturbatam : alterum, si annotaveris quædam Vulgatæ glossemata, ut est, benedicere Dominum, pro laudare, celebrare : item, exultare, eodem fere sensu : ut, « exultabit lingua mea justitiam tuam : et exultabo mane misericordiam tuam [4]; » pro

[1] Præf. in Ps. — [2] Lib. I adv. Ruf. — [3] Comm. in Ps. II. — [4] Ps. L. 16, LVIII. 17.

laudabo, celebrabo cum gaudio; quo fere sensu confiteri, pro laudare : confessio pro laude; quanquam suo quoque sensu, ponitur pro confiteri peccata : mortifico pro morti dedo : mortificati pro cæsis : malignari pro male agere : zelare pro invidere, sive æmulari : redimere pro liberare; aut etiam pro emere, comparare seu sibi vindicare : furor pro ira vehementi : salutare Domini, pro salute quæ ab ipso sit : cornu pro superbia, sive etiam pro robore : in idipsum pro simul, ut est, « exaltemus nomen ejus in ipsum [1], » id est, simul, pariter : peccatores pro impiis, interdum pro inimicis : in finem, pro admodum, alias pro in perpetuum : legem dare, statuere, ponere, pro docere : moveor pro cado vel labasco : calix pro portione alicui attributa : funes seu funiculi, pro eodem comparatione ducta ab agris metandis et dividundis : ossa pro viribus; sæpe pro interioribus : quo ultimo sensu, et venter et renes : adinventiones pro studiis, cogitationibus : mansueti pro piis : pauper pro afflicto et calamitoso; interdum pro viro bono ac modesto, nec inflato opibus. Jam illa notiora, usquequaque pro semper : infernus pro sepulcro : framea pro gladio : scandalum pro offendiculis : spiritus pro flatu et vento : humilis pro vili, atque eodem exemplo humilitas pro vilitate atque infirmitate : reverentia pro ignominia et confusione : necessitates pro angustiis : exercitatio pro meditatione passim. Jam, dirigere pro rectum facere : corrigere pro regere vel dirigere : quod est ipsum persæpe appendere, ut « correxit orbem terræ [2], » id est, dirrexit, libravit quasi utrinque appenso pondere, atque eodem sensu correctio, directionis ac firmamenti loco : convertere pro reverti, sæpe pro avertere, aut simpliciter vertere, vix ullo persæpe præpositionum discrimine, non modo in verbis compositis, sed etiam in universa phrasi : quale est illud, « averte mala inimicis meis [3]; » hoc est, adversus inimicos. Denique causales particulæ, quia, quoniam; sæpe pro etenim, pro tamen, pro quamvis, pro cum; quale est illud specie obscurissimum, re planissimum : « Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea [4] : » quo quid obscurius? at verte sic : Tu quidem, o Deus, omnes cogitationes meas prospexisti, cum ne verbum quidem proferrem ullum : plana sunt omnia, significaturque nihil opus verbis, arcana omnia in ipso mentis nostræ sinu intuenti. Interjectiones quoque : euge, quod est animantis, pro vah, quod magis est indignantis et exprobrantis. Atque hæc ex eo orta, quod ejusmodi in hebraica lingua suam proprietatem habent, cui latina non respondeant. Mitto hebraismos in sacris versionibus frequentissimos, dum interpretes anxie metuunt, ne verbo Dei aut addant, aut de-

[1] Ps. XXXIII. 4. — [2] Ibid. XCV. 10. — [3] Ibid. LIII. 7. — [4] Ibid. CXXXVIII. 4.

trahant vel apicem unum, suaque interserant; atque ideo obscura malunt quam aliena tradere. Hinc ergo hebraismi suis annotandi locis : frequentiores hi : verbum, pro ipsa re : anima, pro persona tota, seu pro supposito, ut aiunt, atque ipso individuo, anima simul et corpore, ut cum de Josepho scribitur; « ferrum pertransiit animam ejus [1] : » id est, personam, corpus. Sic est anima : « nephesh : » aliud est, « rouach, » spiritus, mens ipsa sive anima rationalis. Alius hebraismus frequens; « hæc facta est mihi [2] : » absolute ut nos dicimus :. hoc factum est mihi : Latini negotium subintelligunt, ac neutro vertunt : Hebræi fœmininо. Item tabernaculum pro domo, frequens : forte ex antiquo ac pastoritio ritu habitandi sub pellibus : decor pro templo, seu tabernaculo, pro area, pro sacro monte in quo collocata erat : quod ea terræ sanctæ, ipsisque Israelitis, decori et ornamenta essent. Pariunt etiam obscuritatem in verbis conjugandis, temporum non satis observata discrimina, cum præteritum pro futuro, aut vicissim ponunt : præsentis quoque temporis ambigua plerumque apud Hebræos nota. His qui insueverit, non levi in Psalmis exponendis labore levabitur. Illud interim admoneo, ne solœcismos nimis horreant. Nostri enim interpretes, quod fatendum est, dum se plebeio sermoni ac vulgi captui accommodant, nihil barbarismos aut solœcismos veriti, atque omnino ex græco malo latinum pejus fecere : quem in locum præclare Augustinus : Qui sunt in stylo delicatioris fastidii, « eo sunt infirmiores quo doctiores videri volunt... Bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba [3]. »

CAP. VIII. *De usu Psalmorum in quocumque vitæ statu.*

XXXIX. — Ut in Davidis rebus, seipsum quisque cogitet; ex sancto Athanasio.

Jam eo devenimus, cujus gratia cætera instituta sunt, nempe ut Psalmis recte et ex Spiritus sancti magisterio utamur. Eum in locum exstat magni Athanasii epistola ad Marcellinum, cujus hæc summa est : Psalmos ad omnem pietatis usum esse accommodatos, tribus maxime causis : primum, quod reliqui libri singulare quoddam argumentum habeant, cum Psalmi omnia complectantur, historiam, mores, legem universam; Christum, ejusque gesta ac mysteria : veteris denique novique Testamenti partes omnes, quotquot essent, ut supra vidimus : alterum, quod in Psalmis omnem humanam vitam, omnes casus adversos prosperosque videas. Recte

[1] Ps. CIV. 18. — [2] Ibid. CXVIII. 56. — [3] De Doct. Chr. II, 13. n. 20, et IV. n. 26.

omnino, cum David proponatur unus omnium exemplum : pastor ignobilis : rex a Deo designatus ; tum singulari prælio victor; dux belli, regis gener atque aulæ miraculum : postea infesto rege vagus, inops, nulla apud cives, nulla apud exteros sede. Quin etiam idem David jam rex, stabili jam imperio, totque victoriis propagato, iterum insectante Asalomo filio profugus ac despectus, ubique spectaculum rerum humanarum; atque ut ipse de se cecinit, ut portentum factus [2] : unus omnia expertus, regum fluxam gratiam et acerba odia : plebem instabilem : infidos amicos : filium quoque infensum : hoc est, domi forisque intuta omnia et adversa; animo interim divinis imperiis ubique obsecundante, atque adeo inconcusso. In hoc ergo intuere, tanquam in speculo, omnes fortunæ vices; fortunam autem atque humanas res quid loquor? Sunt et rebus divinis suæ vicissitudines, non Deo sed homine variante, atque ad mutationes suas quodammodo inflectente divinum illud. Ecce enim sanctus David, ab innocentia in peccatum, a peccato ad pœnitentiam versus, te docebit, castæ ac puræ animæ quam se amicum Deus præbeat : quam offensus territet, et quas intentet minas : quanto solatio sit peccata deploranti ac deprecanti veniam. Hæc igitur meditare, resque Davidis tuis rebus accommoda : sic ad veram pietatem, et ad veram rerum divinarum humanarumque notitiam, proficere poteris.

XL. — Cum Davide expurgandi et ad Deum transferendi affectus : ex eodem Athanasio.

Huc accedit tertium, his fere consectaneum : in uno Davide, animi affectus omnes, cuicumque scilicet fortunæ accommodati. Neque enim David, aut ullus vere pius, affectavit unquam stultam illam fictitiamque « apathiam, » hoc est, imperturbabilitatem, sive potius indolentiam aut insensibilitatem, si ita loqui fas est, quam Stoici jactant. Vis metum? « Considerabam ad dexteram, et videbam; et non erat, qui cognosceret me : periit fuga a me; et non est, qui vitæ meæ curam gerat [2]. » Vis animum dolore mersum? « Tribulationes inferni invenerunt me : præoccupaverunt me laquei mortis [3]. » Vis post pericula exultantem? « Circumdantes circumdederunt me : et in nomine Domini ultus sum eos. » Et : « Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino : » et, « Hæc dies quam fecit Dominus [4] : » talia ubique inveneris : ubique spes, metus, dolores, gaudia, eaque omnia ad summum. Quorsum igitur ista? nempe huc : ut affectus purgentur, ac Deo serviant:

[1] Ps. LXX. 7. — [2] Ibid. CXLI. 5. — [3] Ibid. XVII. 6. — [4] Ibid. CXVII. 11, 19, 24.

spes ab humanis rebus ad eum traducatur : metus ac tristitia gravibus in periculis frangant superbiam, Deumque ultorem in animum reducant : gaudia ad verum revocentur usum, quod est gaudere in Domino, exultare in Deo salutari suo : ut quocumque in affectu verseris, sive læteris, sive metuas, sive supplices, sive gratias agas, exemplum habeas quid canas : Psalmorumque verba tibi aptes : imo non alium, sed te ipsum loqui sentias. Hæc suadet Athanasius : eam enim Psalmorum esse vim, ut cum cæteri libri diligendum Deum, orandum atque ad veniam inflectendum, deploranda peccata, eorumque agendam pœnitentiam doceant : sit in Psalmis formula orandi, pœnitendi, exultandi, in Domino, et in quocumque statu acceptæ, amissæ, recuperatæ gratiæ, ea exequendi quæ Deo placeant; quo nihil promptius ad corrigendos mores, atque affectus omnes submittendos Deo : hinc illud effici, ut animus diversis affectibus veluti chordis intensis et in perfectissimum concentum temperatis, homo ipse sub Dei manu sit organum musicum, in quo nihil inveniatur dissonum ac discordans : non idem recte sentiat, ac prave agat ; vel in uno genere rectus, in alio pravus sit : in quo denique nulla sit perturbatio, nullus inordinatus affectus, sed totus homo recta ratione ductus, ac divinæ serviens voluntati : ex quo existat illa euthymia, sive recta et æquabilis animi compositio, de qua Apostolus : « Æquo animo » aliquis in vobis « est? psallat [1] : » quo etiam intelligimus Deo psallere, aut canere posse neminem, qui non in Deum tendat, omnibus animi affectibus ex rationis præscripto aptis et ordinatis.

Hæc fere Athanasius ille magnus, quæ a sene quodam viro venerabili accepisse se refert : cætera quæ ad singulorum Psalmorum in quocumque vitæ statu vim usumque memorat, hic prætermittimus, quod in singulis quibusque Psalmis observare ea, magis e re arbitramur.

XLI. — Vera psalmodia ex S. Augustino.

His consentanea scripsit Augustinus : « Qui sunt, inquit, qui psallunt? qui operantur. Parum est. Qui operantur cum tristitia, nondum psallunt. Qui sunt qui psallunt? qui cum hilaritate faciunt bene. In psallendo enim hilaritas est. Et quid dicit Apostolus? Hilarem enim datorem diligit Deus [2]. » Is igitur est uberrimus sanctæ psalmodiæ fructus, ut bene facientes, cum beato Davide lætemur in Domino; quod a sancto viro præstitum in summis etiam calamitatibus. His institutus, christiane lector, perge ad intelligen-

[1] Jac. v. 13. — [2] In Ps. XCI. n. 5.

dos canendosque Psalmos : perge ad psallendum Domino, quæ vel maxima pars est christianæ pietatis. Atque ut id præstes, Davidem induito, ejusque intimis sensibus imbuare. Ac primum quidem verba perpende, singulisque teipsum apta. Exemplum demus vel unum cujus ad normam exigas reliqua. Jaces in miseriis, qui frequentissimus est vitæ humanæ status : arripito Psalterium solatii loco. Ibi occurrat illud : « Obmutui, et non aperui os meum [1] : » quibus in verbis quanta vis? Non enim obmutui tantum, sed ne « os » quidem « aperui : » non verba, non querelæ, non denique gemitus, aut inconditæ voces erumpunt doloris testes : cohibita intra pectus suspiria. Hæc extra; intus autem, « humiliatus sum : » non superbia, aut contemptu conticesco, quod est dedignantis, nec metu, quod est prementis magis ac dissimulantis, quam continentis iram; sed reverentia ulciscentis Dei. Causa enim tam humilis silentii, « quoniam tù fecisti : » non Saul, non alii obtrectatores : sed tu qui hominum voluntates perversas regis. Nec interim patientissimo quamvis deest acerrimus doloris sensus, quo victus exclamat : « amove a me plagas tuas : » abstine manum, cujus impetum jam ferre non possum : nam « a fortitudine manus tuæ ego defeci : » nec vires ullæ suppetunt. Nec tamen succenseo sævienti quamvis : nam « in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem : » non ira, non odio, aut libidine abreptus, increpas homines; sed justissimo quidem, licet intolerando judicio. « Et posuisti ut tineam omnia desiderabilia ejus : » omnes spes, opesque ejus corrupisti; quibus malis propulsandis homines frustra laboramus : omnino enim « vane conturbatur omnis homo, » neque ulla ratio expediendæ salutis, aut ullum a te nisi ad te perfugium. Quare ad divinam benignitatem totum se convertit : « Exaudi.... Domine.... auribus percipe lacrymas meas; » est namque vox in lacrymis : sunt tibi aures luctuum lamentorumque audientes. Atque hinc spes solatii : « remitte ut refrigerer, priusquam abeam; » non a te voluptatem, non felicitatem postulo in hac umbra vitæ fragilis; sed statim abituro breve refrigerium. Vita enim evanescit : vix respiravero cum ecce mors aderit, « et amplius non ero. » Hujus exemplo cæteros non jam interpretare, sed imitare Psalmos, translatis ad te sancti Davidis sensibus. Hæc autem et similia si meditando et orando ex Psalmis exculpseris, fiet illud quod ait Paulus : « psallam spiritu, psallam et mente [2] : fiet illa sancta et perfecta psalmodia, quam Augustinus docuit, ad quam te manu ducimus.

Quis autem nobis dederit, ut cantando liceat suave illud expe-

[1] Ps. XXXVIII. 10 et seq. — [2] I. Cor. XIV. 15.

riri quod est apud Joannem : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum [1] : » quodque est his consectaneum : « et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo, facimus : » qua fiducia exclamemus cum beato Davide : « ab omni via mala prohibui pedes meos [2] : » et illud : « et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus [3] : » neque interim in nobis, sed caste et sincere gloriemur in Domino, cujus misericordia stamus.

XLII. — Optimus psalmodiæ usus ; ex eodem Augustino.

Neque prætermittendum illud ejusdem Augustini passim ; tunc Psalmos videri suavissimos, ac divinissima luce perfusos, cum in his caput et membra, Christum et Ecclesiam, sive aperte propalatos, sive latenter designatos intelligimus. Neque propterea ab historico, sive litterali atque immediato, ut aiunt, sensu aberrare nos oportet : quin eo erit clarior ac fundatior secretioris illius intelligentiæ sensus, quo typum ipsum, hoc est, historiam ac litteram figemus certius. Quare iterum atque iterum erigamus animos : atque ubi Davidem atque Salomonem ; tum Davidis hostes, Saulem ; Achitophelem, alios ; ubi bella et pacem, captivitatem, libertatem, ac cætera ejusmodi audimus ; tum animo infigamus Christum, et Ecclesiam laboribus periculisque exercitam, atque inter adversa et prospera peregrinantem ; tum sanctorum persecutores, non modo visibiles, sed etiam invisibiles illos atque aereas potestates, pugnasque in hac vita perpetes, ac secuturam postea pacem sempiternam.

[1] I. Joan. III. 21, 22. — [2] Ps. CXVIII. 101. — [3] Ibid. XVII. 25.

SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI IN PSALMOS

JUXTA HEBRAICAM VERITATEM,

AD SOPHRONIUM PRÆFATIO.

Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum, ut ubicumque apud Septuaginta interpretes scriptum est, γένοιτο γένοιτο, id est, fiat fiat, finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur, amen amen. Nos autem Hebræorum auctoritatem secuti, et maxime Apostolórum, qui semper in novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus. Psalmos quoque omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, et Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Mosi et Salomonis, et reliquorum quos Esdras uno volumine comprehendit. Si enim, « amen, » pro quo Aquila transtulit πεπιστωμένως in fine tantum librorum poneretur, et non interdum aut in exordio, aut in calce sermonis sive sententiæ, nunquam Salvator in Evangelio loqueretur : « Amen amen dico vobis ; » et Pauli epistolæ in medio illud opere continerent. Moses quoque, et Jeremias et cæteri in hunc modum multos haberint libros, qui in mediis voluminibus suis, « amen, » frequenter interserunt. Sed et numerus viginti duorum hebraicorum librorum, et mysterium ejusdem numeri commutabitur. Nam et titulus ipse hebraicus, « Sephar thallim, » quod interpretatur, volumen hymnorum, apostolicæ auctoritati congruens, non plures libros, sed unum volumen ostendit. Quia igitur nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat non ita haberi in hebræo, ut tu de Septuaginta interpretibus opponebas ; studiosissime postulasti, ut post Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem, novam editionem latino sermone transferrem. Niebas enim te magis interpretum varietate turbari, et amore quo laberis, vel translatione, vel judicio meo esse contentum. Unde impulsus a te cui et quæ possum negare non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quam voluntatem in amicitia requirere. Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil duntaxat scientem de hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebræorum, et liquido pervidebis me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quam discere. Perversissimi homines. Nam cum semper novas expetunt voluptates, et gulæ eorum vicina maria non sufficiant ; cur in solo studio Scripturarum, veteri sapore contenti sunt ? Nec hoc dico, quo prædecessores meos mordeam, aut quidquam his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam, olim meæ linguæ hominibus dederim ; sed quod aliud sit in Ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere. Quod opusculum meum, si in Græcum, ut polliceris, transtuleris, et imperitiæ meæ doctissimos quosque viros testes facere volueris, dicam tibi illud Horatianum : « In sylvam ne ligna feras. » Nisi quod hoc habebo solamen, si in labore communi intelligam, mihi et laudem et vituperationem tecum esse communem. Valere te in Domino Jesu cupio, et meminisse mei.

NOTÆ ABBREVIANTES.*

Hier. *Hieronymus :* qua item nota hebræus textus intelligitur : ubi autem Hieronymus ab hebræo deflectere visus, *Hebræum* sic notamus : Heb. Vulg. *Vulgata.* Ch. *Chaldæus :* seu chaldaica paraphrasis. Syr. *Syrus*, seu antiqua versio syriaca. Antiqui autem interpretes ex hebræo in græcum sic notantur : Aq. *Aquila :* Symm. *Symmachus.* Theodot. *Theodotion.* Theodor. *Theodoretus.* Comm. Hier. *Commentarius Hieronymi in Psalmos :* cætera obvia.

LIBER PSALMORUM.

LIBER PRIMUS PSALMORUM SECUNDUM HEBRÆOS,

USQUE AD PSAL XLI.

PSALMUS I. MORALIS. SINE TITULO.

Vir bonus idem beatus; contra malus idem miser. Præclarissimum sanctæ cantionis exordium, ut beatæ vitæ fine constituto, animus ad pietatis studium Deique laudes incitetur. Hic Psalmus licet inscriptione careat, tamen, cum primus sit in libro Davidi potissimum attributo, videtur ejus esse, ut et sequens, æque sine titulo, quem tamen ejus esse constat ex Act. IV, 25.

VERSIO HIERONYMI PRESBYTERI. — Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra derisorum non sedit :

Sed in lege Domini voluntas ejus et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum transplantatum juxta rivulos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

VERSIO VULGATA. — 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit :

2. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo :

1 « Non abiit... non stetit... non sedit... » Nota tres gradus. Primus est ire ad impios, et eorum consiliis aures præbere, contra vetitum illud : « Fili, ne ambules cum eis. » Prov, I. 15. Secundus, cum peccatoribus progredi, eorumque vestigiis insistere. Tertius, in peccandi consuetudine acquiescere, et aliis corrumpendis operam dare. Quare Theodor. tria hic notat, 1. motum in malum : 2. statum, 3. habitum, sive obdurationem. Cathedra, alii, consessu. « Pestilentiæ, » pestilentium hominum, qui alios corrumpunt. Hieron. derisorum, alibi illusorum. Comm. in Ps. quo nomine passim perversi homines designantur in Scripturis, ut est illud. « Parata sunt derisoribus judicia. » Prov. XIX. 29, etc.

2 « Voluntas ejus, » Studium. Deum ejusque legem amat et assidue meditatur, sicut scriptum est : « Erunt verba hæc in corde tuo : meditaberis in eis, sedens in domo, et ambulans in itinere. » Deut. VI. 6, 7, etc.

3 « Et erit : » Primo docuit divertere a malo, secundo facere bonum, juxta illud Ps. XXXVI. 27. « Declina a malo, et fac bonum : » tertio his transactis, nunc mercedem proponit. « Tanquam lignum; » hæc est « arbor bona, quæ bonum fructum facit. » Matth. VII. 17.

Et folium ejus non defluet, et omne quod faciet, prosperabitur.

Non sic impii; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus.

Propterea non resurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.

Et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

4. Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

5. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

6. Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.

PSALMUS II. PROPHETICUS. SINE TITULO.

Pilati, Herodis, Gentium et Judæorum conjuratio in Christum. Act. IV, 25, 26, 27. Christi deinde victoria, et imperium toto orbe propagatum.

V. S. H. — Quare turbabuntur gentes, et tribus meditabuntur inania?

Consurgent reges terræ, et principes tractabunt pariter adversum Dominum, et adversum Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis laqueos eorum.

Habitator cœli ridebit, Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem ordinavi regem meum super Sion montem sanctum meum.

Annuntiabo Dei præceptum. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gen-

V. V. — 1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

2. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.

3. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

7. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

8. Postula a me, et dabo tibi gen-

4 « Non sic : » Repetitio deest Hier.

5 « Non resurgent: » Non subsistent. Heb. non justificabuntur impii, Deo judice. Ch. causa cadent.

6 « Novit Dominus : » Probat, diligit. Sic : « Novi te ex nomine. » Exod. XXXIII. 17.

1 « Quare fremuerunt gentes, » Romani : « et populi, » Judæi ; Spiritu sancto interprete. Act. IV. 25, 27.

2 « Astiterunt reges... et principes... » Herodes et Pontius Pilatus : ibid. una cum principibus sacerdotum, et aliis Judæorum primoribus.

3 « Dirumpamus. » Ex persona impiorum, qui Dei et Christi jugum excutere conantur. « Jugum : » Laqueos. Hier. Funes. Heb. præcepta quibus nos obligant. Jugum Christi suave, durum impiis videtur.

6 « Ego autem constitutus : » Christus loquitur. At in Heb. Deus : « Ego autem ordinavi regem meum : » ut apud Hier. « Super Sion. » Hæc quidem utcumque Davidi congruunt, sed melius Christo. De quo ipse David ait : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : » Ps. CIX. « ; et Isaias ; » De Sion exibit lex », II. 3. « Prædicans : Annuntiabo Dei præceptum. » Heb. ex persona Christi, ut statim Hier.

7 « Filius meus es tu : » Hic totus assurgit in Christum, ut Ps. LXXXVIII. 27. « Ipse invocabit me ; pater meus es tu, » etc. et Ps. CIX. 3. « Ex utero ante luciferum genui te. Hodie : » quam diem non modo ad æternam generationem, verum etiam ad temporalem Christi manifestationem pertinere Patres docent. Etiam Paulus : Act. XIII. 33.

8 « Gentes hæreditatem : » congruit Ps. XXI. 29. « Et ipse dominabitur gentium : » et Ps. LXXI 11. « Omnes gentes servient ei. »

tes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

Pasces eos in virga ferrea; ut vas figuli conteres eos.

Nunc ergo, reges, intelligite; erudimini, judices terræ.

Servite Domino in timore, et exultate in tremore.

Adorate pure, ne forte irascatur, et pereatis de via.

Cum exarserit post paululum furor ejus, beati omnes qui sperant in eum.

tes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

9. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.

10. Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

11. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore.

12. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.

PSALMUS III. HISTORICUS ET MORALIS.

V. S. H. — *Psalmus David, quando fugit a facie Absalomi filii sui.*

Domine, quare multiplicati sunt hostes mei? multi consurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus huic in Deo. Semper.

Tu autem, Domine, clypeus, circa me, gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamabo, et exaudiet me de monte sancto suo. Semper.

Ego dormivi et soporatus sum, et vigilavi, quia Dominus sustentavit me.

Non timebo millia populi, qui circumdederunt me.

V. V. 1. *Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.* Vide II. Reg. XV. 14.

2. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

3. Multi dicunt animæ meæ. Non est salus ipsi in Deo ejus.

4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

5. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.

6. Ego dormivi, et soporatus sum: et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

7. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

9 « Reges eos: » Pasces. Hier. et 70. alii ex Heb. conteres. « Virga ferrea: » idem Christo tribuitur. Apoc. XIX. 15. imo et membris Christi in regni societatem assumptis. Apoc. II. 27.

12 « Apprehendite disciplinam. Adorate pure. » Hier. « Osculamini Filium. Ch. id est, adorate: ut etiam notat Hieronymus Comm. Ps. 2. « Edit. Bened. » tom. II. Append. p. 124; et 1 adv Ruf. c. 5.; « Edit. Bened. » tom. IV. p. 2, p. 371. « quo sensu ordo sit: » Adorate Filium ne forte irascatur Dominus, » hoc est « ,Pater. » Hier. ibid. qui enim « non honorificat Filium, non honorificat Patrem: » ait ipse Filius. Joan. V. 23.

2 « Quid multiplicati sunt.... multi insurgunt. » Populus enim concurrens augebatur cum Absalom. II. Reg. XV. 12.

3 « Animæ meæ. » Mihi. Notus hebraismus et in Psalmis frequens. « In Deo ejus. » Ejus deest in Heb. sed habet vocem, Selah, quam Hieronymus post Aquilam ubique vertit, Semper: voluntque esse firmantis in sempiternum. Vide Hier. Epistolam. 138 ad Marcellam. At 70. per διαψαλμα reddunt, voluntque Græci, post Origenem, esse notam inflectendæ vocis in cantu. Vulgata ubique omittit: nec immerito, cum nihil ad sensum pertineat.

4 « Susceptor, » Clypeus. Hier. et ita Heb. passim.

6 « Exsurrexi, » evigilavi, te protegente securus. Hunc versum Ecclesia Christo resurgenti aptat.

7 « Non timebo millia populi, » cum ad eum veniret nuntius dicens: « Toto corde universus Israel sequitur Absalom. » II. Reg. XV. 13.

Surge, Domine, salvum me fac, Deus meus, quia percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes impiorum confregisti.

Domini est salus : super populum tuum benedictio tua. Semper.

8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

9. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

PSALMUS IV. HISTORICUS ET MORALIS.

Ejusdem argumenti cum præcedente, sed rebus in melius versis. Ita Theodor. Hic porro ad precem vespertinam pertinet, propter vers. 9. ut sequens Psalmus ad matutinam.

V. S. H. — *Victori in canticis : Psalmus David.*

Invocantem me exaudisti me, Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi : Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Filii viri, usquequo inclyti mei, ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? Semper.

Et cognoscite, quoniam mirabilem reddidit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini et nolite peccare : loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Semper.

Sacrificate sacrificia justitiæ, et fidite in Domino.

V. V. — 1. *In finem in carminibus : Psalmus David.*

2. Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5. Irascimini, et nolite peccare quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

8 « Percussisti... sine causa » deest. Heb. Percussisti maxillam. Hier.

1 « In finem. » Victori. Hier. Præcentori, ut Hebræi exponunt. « In carminibus, » Neghinoth, instrumenti musici genus, a tangendo sic dictum. Quod autem habent 70. « in finem, » Patres interpretantur in Christum : « Finis enim legis Christus. » Rom. x. 4. « Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus, et cum ad eum pervenerimus, ultra, quod quæramus, non habebimus. » Aug. in Ps. XIV.

2 « Cum invocarem, » Invocantem me exaudisti. Hier. exaudi. Heb. « Deus justitiæ meæ » auctor et testis. « In tribulatione. » In angustia. Heb. in angustiis latam viam et facilem aperuisti. « Miserere mei. » Recte, quantumvis enim justus, tamen misericorditer exauditur. Chrys.

3 « Filii hominum. » Filii viri. Hier. id est nobiles. Vide Ps. XLVIII. 3. « Usquequo, » usquequo gloria mea in ignominiam? Diligitis vanitatem et quæritis mendacium. Heb. id est, cur me contemnitis, et vana sequimini? ad Principes loquitur Absalomum secutos. Præclare Hier. Usquequo inclyti mei, etc. Vulgatæ sensus ortus est, ut alibi passim, ex alia lectione. « Usquequo gravi corde, » tardi ad intelligendum quæ sit voluntas Dei.

4 « Mirificavit, alii ex Heb. segregavit pium sibi; quod eodem recidit. « Sanctum suum, » me Christum ejus.

5 « Irascimini, » ita et Paulus Eph. IV. 26. ubi hoc testimonio utitur. Suos alloquitur David ne in perduelles acrius irascantur. Cum irascimini, tamen nolite peccare. « Quæ dicitis, » loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Hier. Examen conscientiæ, ut vocant. Deum apud vos cogitate. Ch.

6 « Sacrificate sacrificium justitiæ; » quod verum est sacrificium. Ps. XLIX. 14. et I. 19. « Sperate in Domino. » Hæc et reliqua usque ad Psalmi finem, ita contexenda sunt : Sperate in Domino : neque exaudite dicentes, præ hostium multitudine spem nobis superesse nullam. Tu

Multi dicunt : Quis ostendit nobis bonum ? Leva super nos lucem vultus tui, Domine.

Dedisti lætitiam in corde meo : in tempore frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt.

In pace simul requiescam, et dormiam, quia tu, Domine, specialiter securum habitare fecisti me.

7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo.

8. A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.

9. In pace in idipsum dormiam et requiescam.

10. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

PSALMUS V. HISTORICUS ET MORALIS.

Inimicorum calumniis ac Saulis odiis vexatus, statim atque expergiscitur, ad Deum se erigit. Oratio ex persona Ecclesiæ, cum mane adit domum Domini. Syrus, propter vers. 4.

v. 3. II. — *Victori pro hæreditatibus, Psalmus David.*

Verba mea audi, Domine, intellige murmur meum.

Adverte ad vocem clamoris mei, rex meus, et Deus meus, quia te deprecor.

Domine, mane audies vocem meam, mane præparabor ad te, et contemplabor.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, nec habitabit juxta te malignus.

Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum, odisti omnes operantes iniquitatem.

Perdes loquentes mendacium, vi-

v. v. — 1. *In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*

2. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

3. Intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus.

4. Quoniam ad te orabo : Domine, mane exaudies vocem meam.

5. Mane astabo tibi : et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

6. Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

7. Odisti omnes qui operantur ini-

enim, Domine, favorem tuum in nos explicas : neque data victoria lætificas : et iis qui in te sperant, omnia ad vitam præsidia copiose et opportune præstas. Itaque in pace requiescam, tua singulari misericordia fretus. Hic universim sensus : jam ad singula.

7 « Signatum est super nos, » leva super nos. Hier. Vocem heb. Nesah. 70. acceperunt quasi ductum a Nasas : unde Nes vexillum : quare verterunt ἐσημιώθη, signatum est lumen vultus tui, quod favorem significat. Sic Prov. XVI. 15. « In hilaritate vultus regis, vita : » Heb. in lumine vultus regis : et ita passim in Scripturis.

8 « A fructu frumenti. » In tempore frumentum eorum et vinum eorum multiplicata sunt. Hier. Hæc evenient justis Deum cogitantibus. Posset verti ex 70. repleti sunt, id est, saturati. « Olei sui, » deest Heb.

9 « In pace in idipsum, » In pace simul requiescam et dormiam. Hier. jacebo et obdormiam. Heb.

10 « Singulariter, » Specialiter securum habitare fecisti me. Hier. cum sim solus, tamen confidenter habitabo.

1 « In finem pro ea, quæ hæreditatem, » Ecclesia scilicet. At Heb, Præcentori super Nehillot, instrumenta musica sic dicta, quod perforata essent.

5 « Astabo tibi, » Præparabor ad te, Hier. Quod est studiose et attente precantis. « Non » Deus volens iniquitatem. » Prima præparatio precaturi, a peccatis abhorrere : atque inde ordiri hem, ut facit Ecclesia prima hora sic orans : « ut in hac die ad nullum declinemus peccatum. »

6 « Neque permanebunt, » non stabunt. Hier. non consistent : te judicem non sustinebunt.

7 « Perdes omnes, » deest, omnes, Heb.

rum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua propter insidiatores meos, dirige ante faciem meam viam tuam.

Non est enim in ore eorum rectum : interiora eorum insidiæ : sepulcrum patens guttur eorum, linguam suam lævificant.

Condemna eos, Deus, decidant a consiliis suis, juxta multitudinem scelerum eorum expelle eos : quoniam provocaverunt te.

Et lætentur omnes, qui sperant in te, in perpetuum laudabunt : proteges eos, et lætabuntur in te qui diligunt nomen tuum.

Quoniam tu benedices justo, Domine, ut scuto placabilitatis coronabis eum.

quitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9. Domine, deduc me in justitia tua : propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

11. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant ; judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.

12. Et lætentur omnes, qui sperant in te ; in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, 13. quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

PSALMUS VI. MORALIS.

Cum gravi morbo laboraret, Dei manum agnoscit, et peccata deflet. Unde pœnitentibus accommodat Ecclesia, cum peccatum et animi sit morbus, et sæpe morborum corporalium causa.

V. S. II. — *Victori in cantibus super-octava. Psalmus David.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

V. V. — 1. *In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.*

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

8 « Templum sanctum suum. » Templum et domus Domini, ante Salomonem, dicebatur locus ubi erat arca. I. Reg. I. 9. III. 3. Prima igitur cura evigilantis adire templum.

9 « Dirige in conspectu tuo viam meam, » ante faciem meam viam tuam. Hier. sit mihi via tua ante oculos recta et patens : fac voluntatis tuæ rectitudinem intelligam. Tempore Theodoreti non deerant exemplaria græca in quibus ut in Hebræo haberetur.

10 « In ore eorum veritas. » In ore eorum rectum. Hier. « Cor eorum vanum est, » leve, infidum, mendax. Interiora eorum insidiæ. Hier.

11 « Linguis suis dolose agebant » : Linguam suam lævificant. Hier. Expoliunt ut adlambant lenius : summa arte blandiuntur.

12 « Et habitabis in eis, » in corde eorum vel in medio eorum : proteges eos. Hier.

13 « Coronasti nos, » coronabis eum. Hier. circumcinges : proteges.

1 « In carminibus... pro octava. » In Neghinoth super Hascheminith : Heb. De Neghinoth dictum supra, IV. 1. Hascheminith Chaldæo, hic est cithara octo chordarum : aliis, octo tonos continens. Hæc verba sæpius occurrent in inscriptionibus Psalmorum. Vide I. Par. XV. 21

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ego : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea conturbata est valde : et tu, Domine, usquequo ?

Revertere, Domine, erus animam meam, salva me propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte recordatio tui : in inferno quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo : natare faciam tota nocte lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Caligavit præ amaritudine oculus meus : consumptus sum ab universis hostibus meis.

Recedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quia audivit Dominus vocem fletus mei.

Audivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Confundantur et conturbentur vehementer omnes inimici mei, revertantur et confundantur subito.

3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.

4. Et anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo ?

5. Convertere, Domine, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

8. Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

9. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

10. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

11. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.

PSALMUS VII. HISTORICUS ET MORALIS.

A Saule ad necem usque vexatus, Deo adjutore, nihil metuit.

V. S. ℣. — *Psalmus David quem cecinit Domino super verbis Chus filii Jemini.*

Domine Deus meus, in te speravi : salva me ab omnibus persequentibus me, et libera me.

V. V. — 1. *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* II. Reg. XVI.

2. Domine Deus meus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

4 « Usquequo . » irascaris, scilicet.

5 « Convertere, » ad me, a quo aversus videris.

6 « In inferno autem quis confitebitur : » in sepulcro quis laudabit ? et ita passim hæ voces exponendæ. His et similibus pessime abutuntur qui animos post mortem aut extingui, aut penitus consopiri putant, neque rerum nostrarum quidquam ad eos pertinere. Loquitur enim David cum de statu mortuorum naturali, tum de laudibus canendis in cœtu piorum.

7 « Lavabo : » natare faciam. Hier.

8 « Turbatus est, » Caligavit præ amaritudine. Hier. Præ lacrymarum copia. « Inveteravi, » consenui, contabui inter hostes meos de meo morbo et interitu lætantes.

9 « Discedite : » Vel se a peccatoribus segregat pœnitens ; vel eorum de se spem frustratam iri significat.

11 « Erubescant et conturbentur... Convertantur... valde velociter. » Non contra inimicos, sed pro inimicis orat, ut convertantur et erubescant non leniter, sed vehementer, nec recrastinato tempore, sed cito. Comm. Hier. Vide Præf. c. I. n. 14.

1 « Chusi filii Jemini, » Ducis Saul cui mandaverat persequendum Davidem. Ch. quidam referunt ad historiam Chusai Arachitæ. II. Reg. XV, XVI. quos confutat Hieronymus.

Ne forte capiat ut leo animam meam, laceret, et non sit qui eruat.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :

Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos :

Persequatur inimicus animam meam, et apprehendat et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem collocet. Semper.

Surge, Domine, in furore tuo, elevare indignans super hostes meos, et consurge ad me judicio quod mandasti.

Et congregatio tribuum circumdet te, et pro hac in altum revertere.

Dominus judicabit populos : judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum simplicitatem meam quæ est in me.

Consummetur malum iniquorum, et confirmetur justus, probator cordis et renum Deus justus.

Clypeus meus in Deo, qui salvat rectos corde.

Deus judex justus et fortis, comminans tota die.

Non convertenti gladium suum

3. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

4. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

6. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

7. Exsurge, Domine, in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti : 8. Et synogoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere.

9. Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

11. Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

12. Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies?

13. Nisi conversi fueritis, gladium

3 « Dum non est qui redimat; » laceret, et non sit qui eruat. Hier. « Neque qui salvum faciat » deest Heb.

4 « Si feci istud. » Quod suspicatur Saul ut quæram ei malum; quod ipse David a se amolitur. I. Reg. XXIV. 10, 12.

5 « Si reddidi retribuentibus. » Si pro bonis mala retribuentibus reddidi vices. « Decidam merito ab inimicis meis inanis. » Sint irriti conatus mei adversus eorum insidias. At Hieronymus : Si dimisi hostes meos vacuos : Si spoliavi rebus suis : Si reddidi benefacienti mihi mala : et oppressi eos qui mihi adversabantur sine causa. Ch. Syrus : Et hoc est parcentis hostibus et ultionem Domino reliquentis : quo animo David adversus Saulem fuit. I. Reg. XXIV, XXVI.

6 « Persequatur inimicus et conculcet in terra vitam meam. » Peream absque ulla spe, neque mihi opituletur Deus cujus potestatem in ulciscendis inimicis mihi vindicassem.

7 « Exsurge, Domine, in ira. » Ulciscere tu, Domine, injuste læsum, neque se ulciscentem.

8 « Synagoga populorum. » Cœtus populorum tuum judicium expectantium : ut fit in publicis judiciis. Præclara hypotyposis judicantis Dei. « Et propter hanc : » Rem : propter hunc cœtum ascende iterum tribunal tuum, ut judices impios sub Saule grassantes.

10 « Consumetur nequitia peccatorum. » Consumat malum impios. Heb. « Et diriges justum. » Et confirmetur justus; Hier. « Scrutans corda et renes. » Intima arcana mentis : ita passim : Probator cordis et renum, Deus justus. Hier.

11 « Adjutorium meum » secundum Vulgatam : « justum adjutorium meum : » Juste, hoc est merito, a Deo justo expectatum.

12 « Et patiens. » Deest Heb. « Numquid irascitur... » comminans tota die, Hier. sine interrogatione : diutissime comminans, ne tandem ferire cogatur.

13 « Gladium suum vibrabit. » Acuet Hier. nisi peccator convertatur.

acuet : arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in ipso præparavit vasa mortis, sagittas suas ad comburendum operatus est.

Ecce parturiit iniquitatem : concepto dolore peperit mendacium.

Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in interitum quem operatus est.

Revertetur dolor suus in caput ejus : et super verticem ejus iniquitas sua descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et cantabo nomini Domini altissimi.

suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum.

14. Et in eo paravit vasa mortis sagittas suas ardentibus effecit.

15. Ecce parturiit injustiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

16. Lacum aperuit, et effodit eum: et incidit in foveam, quam fecit.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS VIII. LAUDIS ET ADMIRATIONIS.

Dei majestatem, hominis dignitatem commendat.

V. S. II. — *Victori pro torcularibus, Psalmus David.*

Domine Dominator noster, quam grande est nomen tuum in universa terra ! qui posuisti gloriam tuam super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter adversarios tuos, ut quiescat inimicus et ultor.

Videbo enim cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ fundasti.

Quid est homo, quoniam recordaris ejus ! vel filius hominis, quoniam visitas eum ?

Minues eum paulo minus a Deo, gloria et decore coronabis eum.

V. V. — 1. *In finem pro torcularibus, Psalmus David.*

2. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !

Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

3. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?

6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum;

14 « Ardentibus effecit. » Ad comburendum operatus est. Hier. Ignitas sagittas historiæ memorant.

15 « Perperit iniquitatem. » Peperit mendacium. Saul scilicet summo nisu et labore malo molitur, sed frustra : nulli enim, nisi sibi nocuit, ut sequentes versus demonstrant.

17 « Convertetur dolor ejus... in verticem ipsius iniquitas ejus... » Dolor ille quem in me effundendum conceperat, et ejus iniquitas quam pariturus erat, in idipsum denique recidit quod Regum docet historia.

1 « Pro torcularibus. Ghittit, instrumenta musica, quæ tribus Psalmorum titulis tantum memorantur : hic : LXXX, LXXXIII. an calcatis torcularibus peracta vindemia, in tabernaculorum festo ?

3 « Ex ore infantium... » Tanta est hujus operis pulchritudo, ut vel infantes eam perspicere et celebrare possint, ad impios et violentos homines confundendos. Hunc sibi locum ipse Christus accommodat. Matt. XXI. 16. cum revera puerorum ore laudaretur. « perfecisti laudem » fundasti robur. Hebr. demonstrasti virtutem tuam.

6 « Ab angelis, » 70. et post eos Vulgata ; ab angelis : recte, ut patet ex Paulo Heb. II.

Dabis ei potestatem super opera manuum tuarum. Cuncta posuisti sub pedibus ejus :

Oves et armenta omnia, insuper et animalia agri;

Aves cœli et pisces maris, qui transeunt semitas ponti.

Domine Dominator noster, quam grande est nomen tuum in universa terra!

7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi.

9. Volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS IX. HISTORICUS ET MORALIS.

V. S. H. — *Victori super morte filii, Canticum David.*

Confitebor Domino in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et gaudebo in te : canam nomini tuo, Altissime,

Cum ceciderint inimici mei retrorsum, et corruerint, et perierint a facie tua.

Fecisti enim judicium meum et causam meam : sedisti super solium judex justitiæ.

Increpasti gentes, periit impius : nomen eorum delesti in sempiternum et jugiter.

Inimici completæ sunt solitudines in finem : et civitates subvertisti. Periit memoria eorum cum ipsis.

Dominus autem in sempiternum sedebit : stabilivit ad judicandum solium suum.

Et ipse judicabit orbem in justitia, judicabit populos in æquitatibus.

V. V. — 1. *In finem pro occultis filii, Psalmus David.*

2. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua.

3. Lætabor et exultabo in te : psallam nomini tuo, Altissime,

4. In convertendo inimicum meum retrorsum : infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

5. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam : sedisti super thronum qui judicas justitiam.

6. Increpasti gentes, et periit impius : nomen eorum delesti in æternum, et in seculum seculi.

7. Inimici defecerunt frameæ in finem : et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu : 8. Et Dominus in æternum permanet.

Paravit in judicio thronum suum : 9. Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

6 « etc. Paulo minus. » Est enim homo angelis inferior, sed paulo : ad eamdem scilicet vocatus beatitudinem, et pari jure Deo potiturus.

8 « Omnia subjecisti. « Id Paulus uni Christo perfecte convenire docet. Heb. II. 5, 6, etc.

1 « Pro occultis filii. » Super morte filii. Hier. Labben. Heb. quod videtur esse initium cantilenæ. Patres de triumphali Christi morte interpretantur. Cum autem v. 12, loquatur de Sion, ut arca jam eo translata; recte refertur ad aliquam Davidis jam in Jerusalem regnantis de gentibus victoriam. Vide II. Reg. VII.

4 « In convertendo. »Cum ceciderint inimici, Hier. in evertendis inimicis. Ita « in convertendo»sæpissime accipitur. « Infirmabuntur. » Et corruerint, Hier.

5 « Qui judicas justitiam. » Judex justus, Heb.

6 « Periit impius. » Hostis scilicet populi Dei.

7 « Inimici defecerunt frameæ : » gladius hostilis consumptus est. « Framea » genus est teli Germanici, quod passim in hac Psalmorum versione pro ense vel gladio sumitur. « Inimici » est genitivus singularis, τοῦ ἐχθροῦ. « Cum sonitu : » cum ingente rerum gestarum fama. At Hier. cum ipsis. Omnia sustulisti, arma consumpta, munitiones destructæ memoria ipsa deleta.

Et erit Dominus elevatio oppresso : elevatio opportuna in angustia.

10. Et factus est Dominus refugium pauperi : adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et confident in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum : quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

Cantate Domino habitatori Sion, annuntiate in populis cogitationes ejus.

12. Psallite Domino qui habitat in Sion : annuntiate inter gentes studia ejus.

Quoniam quærens sanguinem eorum recordatus est : non est oblitus clamoris pauperum.

13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est : non est oblitus clamorem pauperum.

Miserere mei, Domine, vide afflictionem meam ex inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis ;

14. Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

Ut narrem laudes tuas in portis filiæ Sion : exultabo in salutari tuo:

15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Demersæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In reti quod absconderunt, captus est pes eorum.

16. Exultabo in salutari tuo : infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Agnitus est Dominus judicium faciens : in opere manuum suarum corruit impius. Meditatione. Semper.

17. Cognoscetur Dominus judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Convertantur impii in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quoniam non in æternum oblivioni erit pauper : expectatio pauperum non peribit in perpetuum.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Surge, Domine, non confortetur homo ; judicentur gentes ante faciem tuam.

20. Exsurge, Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo.

Pone, Domine, terrorem eis : sciant gentes, homines esse se. Semper.

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

10 « Refugium pauperi : » oppresso : Israelitis scilicet toties victis et oppressis per arma Philistinorum. « Adjutor in opportunitatibus, » subsidium opportunum in angustia. Vide Hier.

12 « Qui habitat in Sion : » arca eo translata. « Inter gentes : » in populis. Hier. « Ammim, » quæ vox etiam familias populi Dei significat ; non « Goim » quæ significat gentiles. « Studia ejus : » voluntates.

14 « Miserere... vide humilitatem... » afflictionem. « Hier. « de inimicis meis. In quam inimicorum me conjecit improbitas. Videtur David, pristinæ sub Saule calamitatis memor ex persona pauperis hunc et sequentes versus promere. Est autem omnis homo coram Deo pauper et miserabilis.

15 « De portis mortis, » de inferis, de sepulcro, de potestate mortis. Porro videntur portæ mortis portis Sion opponi.

16 « Infixæ sunt gentes : » a nobis victæ ; « In interitu, » in fovea : Heb. Redit Propheta ad victorias suas et divinam ultionem exponit.

17 « Cognoscetur, » Agnitus est, Hier. « In operibus manuum... » propriis machinis oppugnati sunt. « Peccator. » Hic in Heb. adduntur « higghaon selah, » voces ignotæ, quas Hier. reddit, « meditatione semper. » 70. ὠδὴ διαψάλματος. Vulgata omisit, ut solet. Vide Ps. III. 3.

18 « In infernum : » sepulcrum Heb. et ita semper.

21 « Legislatorem, » Doctorem : at Hier. terrorem : potestatem scilicet cujus cohibeantur metu. « Quoniam homines sunt, » Deo nempe subditi, ordine et legibus gubernandi.

PSALMUS X. SECUNDUM HEBRÆOS MORALIS.

Deus unicum præsidium pauperi adversus oppressores qui Deum obliti sine more sæviunt. Licet hic Psalmus titulo careat in Heb. quemadmodum et primus et secundus, diversum tamen esse a superiori vel stylus indicare videtur; hic enim sublimior et ab animo oppresso; ille non tam sublimis at lætus. Quamquam et fieri potuit ut repente stylus assurgeret, quod fit in odis.

v. s. H. — Quare, Domine, stas a longe, despicis in temporibus angustiæ?

In superbia impii ardet pauper: capiuntur in sceleribus quæ cogitaverunt.

Quia laudavit impius desiderium animæ suæ; et avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum.

Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret: nec Deus in omnibus cogitationibus ejus.

Parturiunt viæ ejus in omni tempore: longe sunt judicia tua a facie ejus: omnes inimicos suos despicit.

Loquitur in corde suo: Non movebor: in generatione et generatione ero sine malo.

Maledictione os ejus plenum est, et dolis et avaritia: sub lingua ejus dolor et iniquitas.

Sedet insidians juxta vestibula in

v. v. — 1. Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione?

2. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

3. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: et iniquus benedicitur.

4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

5. Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus: omnium inimicorum suorum dominabitur.

6. Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

7. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo: sub lingua ejus labor et dolor.

8. Sedet in insidiis cum divitibus

1 « In opportunitatibus. « Cum tuo maxime opus est auxilio.

2 « Inceaditur pauper, » uritur, torquetur, vel ex Heb. insequitur pauperem. Supple, impius in superbia sua « Comprehenduntur in consiliis, » capiuntur in sceleribus quæ cogitant. Heb. cui congruit Hier.

3 « Quoniam laudatur peccator... » laudavit impius desiderium animæ suæ. Hier. laudat se. Heb. « et iniquus benedicitur » Avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum. Hier.

4 « Secundum multitudinem. » Hier. impius secundum altitudinem furoris sui non requiret, Deum scilicet.

5 « Non est Deus in conspectu ejus. » Nec Deus in omnibus cogitationibus ejus. Hier. Nota progressum impietatis. Sibi placet peccator superbus; Deoque contumeliam facit: quo recedente, iræ ac cæteris animi perturbationibus traditur; nec Deum requirit ultra, nec cogitat: quo fit ut in omnem proruat nequitiam, quasi ultor nullus aut Judex futurus sit. « Inquinatæ sunt viæ illius. « Parturiunt. Hier. iniqua omnia difficultatibus ac laboribus plena « Auferuntur... » procul ab oculis ejus judicia tua. « Omnium inimicorum suorum dominabitur. » Nihil enim inausum relinquit, quem neque Dei, neque hominum metus cohibet. Omnes inimicos suos despicit. Hier. exsufflabit. Heb. Videtur Deus interdum favere impio prospere agenti.

6 « Non movebor a generatione in generationem. « Inconcussæ res meæ. « Sine malo: » supple, ero. Hier. ero sine malo. Chrys. etiam ex 70.

7 « Et amaritudine, et dolo » et dolis et fraude. Heb. « Sub lingua ejus, » in dictis ejus labor et dolor, quos in hostes promat. Labor et iniquitas; Heb.

8 « Cum divitibus » æque violentis. Juxta vestibula. Hier. Circa atria et aditus domorum.

absconditis, ut interficiat innocentem : oculi ejus robustos circumspiciunt :

Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili, insidiatur ut rapiat pauperem : rapiet pauperem, cum attraxerit eum ad rete suum.

Et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter.

Dixit in corde suo : Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum.

Surge, Domine Deus, leva manum tuam : noli oblivisci pauperum.

Quare blasphemat impius Deum, dicens in corde suo quod non requirat ?

Vides, quia tu laborem et furorem respicis ; ut detur in manu tua. Tibi relinquuntur fortes tui : pupillo tu es factus adjutor.

Contere brachium impii et maligni : quæres impietatem ejus, et non invenies.

Dominus rex seculi et æternitatis ; perierunt gentes de terra illius.

Desiderium pauperum audisti, Domine ; præparasti ut cor eorum audiat auris tua.

Ut judices pupillum et oppressum ; et nequaquam ultra superbiat homo de terra.

in occultis, ut interficiat innocentem.

9. Oculi ejus in pauperem respiciunt ; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.

10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperum.

11. Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12. Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua : ne obliviscaris pauperum.

13. Propter quid irritavit impius Deum ? dixit enim in corde suo : Non requiret.

14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras : ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.

15. Contere brachium peccatoris et maligni ; quæretur peccatum illius, et non invenietur.

16. Dominus regnabit in æternum, et in seculum seculi : peribitis gentes de terra illius.

17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

18. Judicare pupillo et humili : ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

9 « In pauperem respiciunt. » Clam observant. « Rapere pauperem, » rapiet pauperem, cum attraxerit eum ad rete suum : Hier. qua vi, qua blanditiis et dolis.

10 « In laqueo suo : » quod Hier. ad præcedentem versum retulisse vidimus. Humiliabit eum, prosternet. « Inclinabit se et cadet » pauper, scilicet cum ei dominabitur impius. Alii : cadet in viribus ejus pauper : at Hier. et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter ; quod non de paupere capto, sed de invasore dicitur.

11 « Ne videat in finem, » in perpetuum. Et ita semper reddendum illud : « in finem. »

14 « Vides, quoniam... » vides tu, o Deus, quippe qui laborem et indignationem respicis eorum qui opprimuntur ; ut eos sub manu ac tutela tua recipias.

15 « Quæretur peccatum illius... » quæ tot sceleribus quæsivit, ita peribunt, ut ne vestigium quidem eorum supersit. Vide Ps. xxxvi. 36.

16 « Peribitis gentes, » Philisthæi vel quilibet alii Gentiles in Judæa, et terra Israel relicti.

17 « Præparationem... » nosti cor quo propensurum sit, et audis preces nondum conceptas. At Hier. præparasti ut cor eorum audiat auris tua. Vel, ipse ita præparas cor eorum, ut quæ volunt approbes.

PSALMUS. X. CONSOLATORIUS.

Cum Davidem in deserto latitantem ob Saulis insidias hortarentur amici, ut fuga salutem quæreret. Theodoretus.

V. S. H. — *Victori, Psalmus David.*

In Domino speravi, quomodo dicitis animæ meæ : Transvola in montem ut avis?

Quia ecce impii tetenderunt arcum : posuerunt sagittam suam super nervum, ut sagittent in abscondito rectos corde.

Quia leges dissipatæ sunt : justus quid operatus est?

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo thronus ejus : oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum.

Dominus justum probat; impium autem et diligentem iniquitatem odit anima ejus.

Pluet super peccatores laqueos : ignis et sulphur, et spiritus tempestatum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus justitias dilexit : rectum videbunt facies eorum.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer?

3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

4. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : justus autem quid fecit?

5. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in pauperem respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6. Dominus interrogat justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7. Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8. Quoniam justus Dominus et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

PSALMUS XI. CONSOLATORIUS.

Contra mendaces ac perfidos undique circumfusos, dum esset in aula Saulis, quibus ille mandabat ut clam Davidi dicerent : « Ecce places regi, et omnes » servi ejus diligunt te : I. Reg. XVIII. 22. cum necem pararent. »

V. S. H. — *Victori pro octava, Psalmus David.*

Salva, Domine, quoniam defecit sanctus : quoniam imminuti sunt fideles a filiis hominum.

V. V. — *In finem pro octava, Psalmus David.*

2. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus : diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

2 « Sicut passer : « ut avis, Hier.

3 « Peccatores : » iniqui : violenti. « In pharetra, super nervum (arcus, scilicet.) Hier. jam intento arcu, sagitta jam jam emittenda.

4 « Quæ perfecisti destruxerunt, » leges dissipatæ sunt. Hier. « Justus autem quid fecit? » Quid faciet justus, ubi nullæ sunt leges?

5 « In pauperem respiciunt : » in pauperem » deest Heb.

6 « Dominus interrogat, » quasi judicaturus. Dominus justum probat; impium autem et diligentem iniquitatem odit anima ejus. Hier. et alii apud Chrys. « Anima ejus : » ipse Deus. Recte etiam 70. et Vulgata : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam : » omnis enim iniquus sibi pessimus.

7 « Pars calicis : » Sors mea : ut est Ps. XV. 6. A calice, unde sortes ducebantur. Vel ut alii, metaphora ducta a conviviis, in quibus sua cuique potus mensura dividebatur.

8 « Et justitias. » Et deest Hebr.

2 « Defecit sanctus : » tanta undique circumstat iniquorum turba. « Diminutæ sunt

Frustra loquuntur unusquisque proximo suo : labium subdolum in corde et corde loquuntur.

Disperdat Dominus omnia labia dolosa, linguam magniloquam.

Qui dixerunt : Linguam nostram roboremus; labia nostra nobiscum sunt : quis noster Dominus est?

Propter vastitatem inopum a gemitu pauperum, nunc consurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari auxilium eorum.

Eloquia Domini, eloquia munda : argentum igne probatum, separatum a terra, colatum septuplum.

Tu, Domine, custodies ea, servabis nos a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulabunt : cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : labia dolos in corde et corde locuti sunt.

4. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

5. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?

6. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari : fiducialiter agam in eo.

7. Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8. Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.

9. In circuitu impii ambulant : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

PSALMUS XII. MORALIS, CONSOLATORIUS.

Ab hominibus ipsoque Deo quodam modo destitutus, animum tamen non despondet.

V. S. H. — *Victori, Psalmus David.*

Usquequo, Domine, oblivisceris mei penitus? usquequo abscondis faciem tuam a me?

Usquequo ponam consilia in animam meam, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

veritates... » imminuti sunt fideles. Hier. Rari sunt veraces ac sinceri homines; fraus ubique et doli.

3 « Vana, » mendacia. « In corde et corde... » fallaci sunt et duplici corde, nec sibi constant.

5 « Linguam nostram magnificabimus : » magna jactabimus : metuendos nos præstabimus. « Labia nostra a nobis sunt : » nobiscum sunt. Hier. penes nos sunt; nostra sunt. Syr. Quidquid libuerit de Davide comminiscemur ac Sauli persuadebimus, neque quisquam nos prohibere poterit.

6 « Ponam in salutari : » ponam in tuto. Supp. virum bonum. « Fiducialiter agam, in eo : » fortiter et incunctanter eum tuebor. At Heb. illaqueabit, vel exsufflabit eum; nempe vir bonus improbum inimicum.

7 « Eloquia Domini : » ab hominum mendaciis ad eloquii divini sinceritatem convertitur. « Probatum terræ : » separatum a terra metallo immixta.

8 « A generatione hac : » prava scilicet.

9 « In circuitu impii ambulant, » me undique obsident. « Secundum altitudinem tuam, » altissimo et occultissimo judicio tuo : « Multiplicasti filios hominum : » tot iniquos scilicet. At Hier. cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum; hoc est, undique circumfluunt improbi, ut exaltatis vel vilissimis hominibus adulentur.

2 « Ponam consilia : » quamdiu variis curis agitabor? « Per diem, » tota die.

Convertere, exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte :

Nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. Hostes mei exultabunt si motus fuero.

Ego autem in misericordia tua confido, exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui reddidit mihi.

4. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte : 5. Nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.

6. Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo ; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS XIII. MORALIS.

Dei contempores ubique diffusi eum ultorem sentiunt. Scriptus, cum populus gravi tyrannide vexaretur, Absalomi tempore, ut videtur ex ℣. ult. Psalmus LII. huic persimilis.

V. S. H. — *Victori, Psalmus David.*

Dixit stultus in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, abominabiles facti sunt studiose : non est qui faciat bonum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes recesserunt, simul con-

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

3. Omnes declinaverunt, simul

4 « Obdormiam... » dormiam mortem. Heb. in mortem. εἰς θανατον 70 id est, moriar : morali sensu : ne nobis æterna nox, ne mortis æternæ obrepat somnus. Comm. Hier.

6 « Et psallam... » Desunt hæc in Hebr.

1 « Dixit insipiens... Non est Deus. » Hoc dicunt non modo qui negant Deum esse, sed etiam qui negant curare quidquam, aut usquam animadvertere in impios : sic illi apud Prophetam defixi in fæcibus suis, qui dicunt in corde suo : « Non faciet bene Dominus, et non faciet male : » Soph. I. 12. et Mal. III. 14 « Dixistis : vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino exercituum ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes... Tentaverunt Deum et salvi facti sunt. » Et Jerem. V. 12, 13. « Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse : neque veniet super nos malum... Prophetæ fuerunt in ventum locuti. » Nec minus insipientes illi, II. Pet. III. 4 « dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus ? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ : » Quibus insipientiores sunt qui cum ea dicere aut cogitare non audeant, tamen ita vivunt, ac si pro certis habeant. « Non est usque ad unum : » Sumptum ex ℣. 3.

3 « Inutiles facti sunt : » obtorpuerunt : ad bonum scilicet : vel putruerunt, Heb. id est, corrupti sunt. « Sepulcrum patens : » Hæc et sequentia, usque ad versum quartum, desunt in Hebr et in 70. apud Chrysost. et Theodoret. Habet Paulus, Rom. III 13. etc. Quem locum Comm Hier. hic ait Apostolum ex variis Scripturæ locis texuisse, ac forte ex ejus Epistola huc translatis.

glutinati sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum, ut cibum panis? Dominum non invocaverunt.

4. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut escam panis?

Ibi timebunt formidine; quoniam Deus in generatione justa est.

5. Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Consilium pauperum confudistis: quoniam Dominus spes ejus est.

6. Quoniam Dominus in generatione justa est; consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes ejus est.

Quis dabit de Sion salutare Israel? quando reduxerit Dominus captivitatem populi sui, exultabit Jacob, lætabitur Israel.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

PSALMUS XIV. MORALIS.

Boni viri ac sacros conventus pure adituri, mores: Veri cœlorum cives.

V. S. H. — *Psalmus David.*

Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo, et quis habitabit in monte sancto tuo?

V. V. — 1. *Psalmus David.*

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam: loquiturque veritatem in corde suo.

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam:

Qui non est facilis in lingua sua, nec fecit amico suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicino suo.

3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Despicitur in oculis ejus improbus: timentes autem Dominum glo-

4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timen-

4 « Nonne cognoscent omnes, » Supp. Deum. Nonne malo suo experientur Deum esse?

5 « Ubi non erat timor: » Deest Heb. Habetur Ps. LII. 6. etiam in Heb. unde videtur huc translatum. Vana pavent, imo nulla, qui non inniituntur Deo.

6 « Dominus in generatione justa est: » habitat inter justos. « Quoniam Dominus spes... » Alii, sed Deus spes ejus est.

7 « Ex Sion. » Ergo David jam in Sion regnabat. « Averterit captivitatem, » reduxerit reductionem. Heb. populum suum ab Absalòmo divisum.

1 « Habitabit: » peregrinabitur: Hier. 70. ἐξουδένωται Allusum ad vocem tabernaculi seu tentorii, quod est peregrinantis. Sensus est: quis adibit Sancta tua?

4 « Ad nihilum: » Despicitur, Hier. 70. ἐξουδένωται « Proximo suo... jurat ut se affli-

rificabit : jurat ut se affligat, et non mutat.

Pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera adversum innoxium non accepit : qui facit hæc, non movebitur in æternum.

tes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit :

Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem, non accepit,

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

PSALMUS XV. HISTORICUS ET PROPHETICUS.

David exul Deo vero adhærere se profitetur, falsis repudiatis : tum in persona Christi loquens, ejus resurrectionem prædicit : teste Petro, Act. II. 25. et Paulo, Act. XIII. 35. Ideo stelographia seu tituli inscriptio est Psalmus scilicet monimento æterno insculpendus. Vide titulum Psalm. LV, LVI, LVII, LVIII, LIX.

V. S. H. — *Humilis et simplicis David.*

Custodi me, Deus, quoniam speravi in te.

Dixi Deo, Dominus meus es tu, bene mihi non est sine te.

Sanctis qui in terra sunt et magnificis, omnis voluntas mea in eis.

Multiplicabuntur idola eorum, post tergum sequentium : non libabo libamina eorum de sanguine; neque assumam nomina eorum in labiis meis.

Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu possessor sortis meæ.

Lineæ ceciderunt mihi in pulcherrimis, et hæreditas speciosissima mea est.

V. V. — 1. *Tituli inscriptio ipsi David.*

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.

2. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

3. Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus; nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.

gat : et non mutat, Hier. id est : vovet jejunium, et propositum non mutat, Lectio Vulg. orta ex unius transpositione litteræ.

2 Dixi Domino . . » Dixi Deo, Dominus meus es tu : Jehova. « Bonorum meorum. . . » Bene mihi non est sine te, Hier.

3 « Sanctis, qui sunt. . . » Sanctuario quod vocabatur « Sancta. » Hebræi neutro carent; quod sæpe exprimunt per fœminnum. Sanctis qui in terra sunt et magnificis, omnis voluntas mea in eis. Hier. Omnis affectus meus sanctuario et inclyto tabernaculo inhæret, quod est in terra sancta : vel juxta Vulg. mirum mihi Deus sanctuarii affectum indidit. Sic David exul loquitur. Vide Ps. XLI. 4. XLIII. 3.

4 « Infirmitates, » vanitates. Heb. Idola eorum. Hier. Syrorum scilicet et aliorum gentilium, apud quos exulabat. I. Reg. XXVII. Postea acceleraverunt : » ad alinum (Deum) festinaverunt, Heb. illi, scilicet, gentiles. Illi quidem multiplicant idola; nobis ut unus Deus est, ita unum sanctuarium. « Non congregabo... « non libabo libamina eorum, etc. Hier. non participabo eorum sacris, « Nec memor, » ne nominabo quidem Deos falsos; ut lex vetabat.

5 « Pars calicis mei, » vide supra X. 7. « Tu es qui restitues, » tu sustentans. Heb. assertor sortis meæ.

6 « Funes ad agrum scilicet metandum et dividendum, quod ad erciscundam sive dividendam hæreditatem pertinet.

Benedicam Dominum qui dedit mihi consilium; insuper et noctibus erudierunt me renes mei.

Proposui Dominum in conspectu meo semper; quia a dextris meis est, ne commovear.

Propterea lætatum est cor meum et exultavit gloria mea; et caro mea habitavit confidenter.

Non enim derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Ostendis mihi semitam vitæ, plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua æternos.

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum; insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

8. Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.

PSALMUS XVI. MORALIS.

Orat ut ab inimicorum insidiis et crudelitate liberetur: Dei protegentis bonitatem et patientiam commendat.

V. S. H. — *Oratio David.*

Audi, Deus, justum, intende deprecationem meam; auribus percipe orationem meam, absque labiis mendacii.

De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, visitasti

V. V. — *Oratio David.*

Exaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

2. De vultu tuo judicium meum, prodeat: oculi tui videant æquitates.

3. Probasti cor meum, et visitasti

7 « Intellectum, » consilium. Hier. « usque ad noctem, » noctibus erudierunt me renes mei. Hier. cum noctu curis angerer, pii motus ad interiora penitus immissi a Deo me erudierunt: per noctem, ut curæ remordent, ita sæpe subit dulcior Dei recordatio.

8 « Providebam Dominum: » hæc et sequentia in persona Christi: teste Petro, Act. II. 25.

9 « Lingua mea. » gloria, Hier. quod sæpe linguam significat; ac sic refertur hic locus, Act. I. 26. Certe per linguam Deo redditur gloria, quod est piis gratissimum et gloriosissimum. « In spe, » resurrectionis statim adventuræ.

10. « Animam meam, » meipsum. Unde Petrus: « Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno: » Act. II. 31. Quanquam anima Christi descendit ad inferos, non ibi derelicta est, ut cæteræ animæ piorum. « In inferno: » in sepulcro, teste Petro, Act. II. 29. et Paulo, Act. XIII. 36. « Corruptionem. » Foveam. Heb. Ch. ut Vulg. ac sic Petrus et Paulus locis citatis.

11 « Notas mihi, » in sepulcro jacenti: « fecisti vias vitæ: » quibus mortuus licet, ad vitam redirem. « Usque in finem; » decores æternos: propter æternam gloriam Christo resurgenti traditam. Igitur hi tres ultimi versus de Christo intelligendi sunt, Petro et Paulo interpretibus. Hæc tamen aliquatenus præcesserunt in Davide, ut typo Christi, dum illum Deus a morte toties eruit, et in regno collocavit. Cæterum, ut præclare argumentantur Petrus et Paulus, David et in sepulcro derelictus est, et corruptionem vidit: quare hæc de Davide intelligi nullatenus possunt, neque res Davidis, utcumque splendidæ, hujus loci magnificentiam exhauriunt.

1 « Justitiam meam: » Justum, Hier. « Non in labiis dolosis, » audi precationem puro et simplici corde prolatam.

2 « De vultu tuo: » de conspectu: de audientia tua. Similis locutio Esth. I. 19. « Egrediatur edictum a facie tua. » Dan. II. 15. « Sententia a facie regis egressa. »

3 « Visitasti nocte; » scrutatus es in noctis silentio, dum cogitationes reliquæ conticescunt.

nocte : conflasti me, et non invenisti cogitationes meas transire os meum.

In opere hominum, propter verbum labiorum tuorum, ego observavi vias latronis.

Sustenta gressus meos in callibus tuis ; et non labentur vestigia mea.

Ego invocavi te, quia exaudies me, Deus ; inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.

Mirabilem fac misericordiam tuam, salvator sperantium, a resistentibus dexteræ tuæ.

Custodi me quasi pupillam intus in oculo : In umbra alarum tuarum protege me,

A facie impiorum vastantium me. Inimici mei animam meam circumdederunt.

Adipe suo concluserunt : et ore locuti sunt superbe.

Incedentes adversum me nunc circumdederunt me ; oculos suos posuerunt declinare in terram.

Similitudo ejus quasi leonis desiderantis prædam : et quasi catuli leonis sedentis in absconditis.

Surge, Domine, præveni faciem ejus, incurva eum : salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus.

nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

4. Ut non loquatur os meum opera hominum : propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

5. Perfice gressus meos in semitis tuis : ut non moveantur vestigia mea.

6. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus : inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

7. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

8. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me, 9. a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt.

10. Adipem suum concluserunt ; os eorum locutum est superbiam.

11. Projicientes me nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram.

12. Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam ; et sicut catulus leonis habitans in abditis.

13. Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum : eripe animam meam ab impio, frameam tuam 14. ab inimicis manus tuæ.

« Igne me examinasti, » conflasti, Hier. excoxisti ut aurum, « Et non est inventa in me iniquitas. » Aliter Hier. in seq.

4 « Ut non loquatur os meum. » Et non invenisti cogitationes meas transire os meum. Hier. sincere loquor : verba sensibus congruunt ; ac sic fere Heb. « Opera hominum. » Hier. ad versum sequentem refert, ac sic ex Hebræo vertit : In opere hominum, propter verbum labiorum tuorum ego observavi vias latronis : in opere hominum, supple, quorum sum inspector : « Propter verba labiorum tuorum : » propter mandata tua, observavi vias latronis, violenti oppressoris : neque tantum ego a scelere abstinui, sed et alios deterrui ; quod regis officium est. Secundum Vulgatam sensus sit. « Ut non loquatur os meum opera hominum ; » vana et iniqua, qualia sunt opera hominum ; » custodivi vias duras, » angustas, quæ ad vitam ducunt. Matt. VII. 14.

5 « Perfice... » Bona sua pro conscientiæ sinceritate professus, convertit se ad Deum, ut ejus animum firmet in bono.

6 « Exaudisti : » exaudies. Hier.

10 « Adipem suum concluserunt : » adipe suo concluserunt ; Hier. id est operti sunt : in deliciis vixerunt. Ch. Opibus stipati, obesi et pinguefacti sunt.

11 « Projicientes me; » expellentes; ejicientes. 70. At Hier. incedentes adversum me; gressus meos observantes, « nunc circumdederunt me » : Itinera mea obsident. « Oculos suos statuerunt. » Intendunt ut tendant in terra. Heb. Supple, laqueos quibus me capiant.

12 « Susceperunt me : « Exceperunt : invaserunt : similitudo ejus quasi leonis : Hier.

13 « Ab impio, frameam... » ab impio qui est gladius tuus : Hier. quo instrumento uteris ut punias.

14 « Ab inimicis manus tuæ. » A viris manus tuæ : a mortalibus qui sunt manus tua, Heb.

A viris manus tuæ, Domine, qui mortui sunt in profundo, quorum pars in vita, et quorum de absconditis tuis replesti ventrem. Qui saturabuntur filiis, et dimittent reliquias suas parvulis eorum.

Ego in justitia videbo faciem tuam : implebor, cum evigilavero, similitudine tua.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum; de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis : et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

15. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo : satiabor, cum apparuerit gloria tua.

PSALMUS XVII. HISTORICUS, PROPHETICUS.

V. S. H. — *Victori servo Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul.*

V. V. — 1. *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit :* (II. Reg. XXII. 2.)

Et dixit : Diligam te, fortitudo mea :

Domine, petra mea, et robur meum, et salvator meus.

Deus meus, fortis meus, et sperabo in eo : scutum meum, et cornu salutis meæ; susceptor meus.

Laudatum invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me funes mortis : et torrentes diaboli terruerunt me.

2. Diligam te, Domine, fortitudo mea :

3. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus :

Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

4. Laudans invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero.

5. Circumdederunt me dolores mortis : et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

qua me castigas et exerces. Sic Babylonicum imperium dicitur « malleus universæ terræ : » Jer. L. 23. « A paucis de terra... » a mortalibus de tempore tempus suum agentibus. Heb. id est, quorum pars in vita. Hier. qui spem omnem in vita præsenti collocant. Secundum Vulg. « Domine, a paucis de terra, etc. » Vult Ecclesia, ut est in parab. Matt. XIII. 28, in hac etiam vita, zizania a tritico, carnales et terrena sapientes separari a paucis, seu ab electis; « pauci enim electi : » Matt. XXII. 14 Sed frustra; nam accepit responsum divinum; « sinite utraque crescere usque ad messem. » Comm. Hier. « De absconditis », de thesauris tuis; de penu tua. « Saturati sunt filiis; » liberorum copia affluunt. « Parvulis suis » parvulis eorum. Hier. nepotibus suis, scilicet.

15 « Ego autem... » Justi longe diversæ spes. « Satiabor... » implebor, cum evigilavero, similitudine tua. Hier. tua mihi species evigilanti statim occurret, meque satiabit. Quod longe erit verius, postquam « apparuerit, » cum similes ei erimus, ac videbimus eum sicuti est. Joan. III. 2.

1 « Locutus est (David) » Domino. Hic Psalmus cum titulo suo invenitur totus II. Reg. XXII. 2. referturque ad finem vitæ Davidis, editus scilicet ad memoriam sempiternam tot beneficiorum, quæ Deus in se contulit : vocationem quoque gentium præfigurat. 44, 45, 50. teste Paulo : Rom. XV. 9.

2 « Diligam te. » Pro tot ac tantis beneficis, unum munus Deo gratum, ipsa dilectio.

3 « Firmamentum meum, » Petra mea, rupes mea, Heb. qua tutus innitor, « Firmamentum meum, » refugium meum, liberator, Deus, adjutor meus... protector meus; » scutum meum. Heb. Quot amoris vocabula? Sic est amor, nusquam laudandi satietas, nec laudantis modus. « Cornu salutis, » cornu pro robore sumitur, ducta a brutis metaphora.

5 « Dolores mortis, » funes. Hier. Laqueis ut v. sequenti; « Torrentes iniquitatis : » Torrentes Belial. Heb. id est, perversorum hominum vel diaboli, ut Hier. Porro calamitates fluctibus aquarum inundantium comparari solent.

Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo. Exaudiet de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus ante faciem ejus veniet in aures ejus.

Commota est et contremuit terra; et fundamenta montium concussa sunt, et conquassata sunt, quoam iratus est eis.

Ascendit fumus de furore ejus, et ignis ex ore ejus devorans : carbones incensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubim, et volavit super pennas venti.

Posuit tenebras latibulum suum in circuitu ejus tabernaculum ejus : tenebrosa aqua in nubibus ætheris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis.

Et intonuit in cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grandinem et carbones ignis.

Et emisit sagittas suas, et dissipavit eos ; et fulgura multiplicavit, et conturbavit illos.

Et apparuerunt effusiones aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus furoris tui.

6. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi :

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

8. Commota est, et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus in ira ejus ; et ignis a facie ejus exarsit; carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cœlos, et descendit; et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super Cherubim, et volavit; volavit super pennas ventorum.

12. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus : tenebrosa aqua in nubibus aeris.

13. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis.

14. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam : grando et carbones ignis.

15. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

16. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum :

Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

6 « Dolores inferni. » Funes, Hier. ut sup.

7 « Invocavi. » Invocabo. Hier. Invocabam, clamabam. Ita passim futurum ponunt Hebræi pro imperfecto præterito.

8 « Commota est... » Hic inducitur Deus de cœlo descendens ad liberandum Davidem : describitur ira divina in hostes ejus; tum orbis universus ante Deum iratum contremiscens. Quæ figura demonstrat quid hostibus ejus timendum sit, estque in Scripturis frequens. « Iratus est eis : » Deest « eis. » Heb.

9 « Ignis a facie ejus exarsit : » ignis ex ore ejus devorans. « Hier. Sic Deus dicitur ignis consumens. « Deus. IV. 24. IX. 3. et « fluvius igneus « a facie ejus egredi. Dan. VII

10 « Inclinavit cœlos, et descendit : » Magnificum, ut sub Deo insessore cœli ipsi, se demittant.

11 « Ascendit super Cherubim. » Equitavit. Heb. Sedit super Cherubim, quasi curru invectus ut Ezechieli apparuit : « Ezech. I.

12 « Et posuit tenebras... » His adumbrantur profunda et terribilia judicia Dei : exequendi celeritas et efficacia.

13 14 « Præ fulgore... » Ante se agebat nubes, grandinem et fulmina. « Grando et carbones ignis : » supp. continuo ruunt; et iterat iisdem verbis ad inculcandam vim grandinis et fulminis.

Mittet de alto, et accipiet me, et trahet me de aquis multis.

Liberabit me de inimicis meis potentissimis, et de his qui oderunt me; quoniam robustiores me erant.

Præveniet me in die afflictionis meæ: et factus Dominus firmamentum meum.

Et educet me in latitudinem: liberabit me, quia placui ei.

Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

Quia custodivi vias Domini, et non egi impie a Deo meo.

Omnia enim judicia ejus in conspectu meo; et præcepta ejus non amovi a me.

Et fui immaculatus cum eo; et custodivi me ab iniquitate mea.

Et restituit mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter ages:

Et cum electo electus eris; et cum perverso perverteris.

Quia tu populum pauperem salvabis; et oculos excelsos humiliabis.

Quia tu illuminas lucernam meam; Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

In te enim curram accinctus, et

17. Misit de summo, et accepit me; et assumpsit me de aquis multis.

18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

19. Prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.

20. Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.

21. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

23. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo; et justitias ejus non repuli a me.

24. Et ero immaculatus cum eo; et observabo me ab iniquitate mea.

25. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

26. Cum sancto sanctus eris; et cum viro innocente innocens eris:

27. Et cum electo electus eris; et cum perverso perverteris.

28. Quoniam tu populum humilem salvum facies; et oculos superborum humiliabis.

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

30. Quoniam in te eripiar a ten-

17 « Misit de summo : » de cœlo : manum suam, scilicet. « De aquis multis » Calamitatibus, ut supra 5. Comparatione ducta ab eo qui alto fluvio mersum, et propemodum aquis suffocatum, valida manu extraheret.

18 « Quoniam confortati ... » cum essent superiores viribus, nec ulla spes superesset nisi in Deo.

19 « Prævenerunt... » adversarii incautum me præverterunt.

20 « In latitudinem : » ab angustiis et præruptis ad plana et lata. « Voluit me : » dilexit : placui ei. Hier. et ideo diligenti dilectionem rependo, quæ una est digna merces. v. 2.

21 « Secundum justitiam meam : » Vir bonus, suæque sibi innocentiæ conscius, eo magis Deo fidit ita Job, ita Paulus, et passim viri sancti.

24 « Ero. » Fui. Hier. sic 25. « Retribuet ; » retribuit. « Ab iniquitate mea ; » a peccato cui assuevi; quod me mihi surriperet, nisi assidue caverem.

26 « Cum sancto... » Ad Deum ista dicit, hominibus prostudiorum ratione justa tribuentem Theodor. Sic Levit. xxvi. 23, 24. « Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam. »

27 « Cum electo... » cum candido candide agis. « Cum perverso perverteris : » fallaces fallis.

29 « Illuminas lucernam meam : » A te lux mea ; nam per me ipsum versor in tenebris.

30 « In te eripiar. » Occurram turmæ. Heb. Præsidio tuo fretus incedam adversus hostes. « A tentatione ; » a periculo. « Transgrediar murum ; » munitiones superabo.

in Deo meo transiliam murum.

Deus immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum : scutum est omnium sperantium in se.

Quis est Deus præter Dominum? et quis fortis præter Deum nostrum?

Deus qui accingit me fortitudine; et posuit immaculatam viam meam.

Coæquans pedes meos cervis, et super excelsa statuens me.

Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.

Dedisti mihi clypeum salutis tuæ, et dextera tua confortavit me, et mansuetudo tua multiplicavit me.

Dilatabis gressus meos subtus me, et non deficient tali mei.

Persequar inimicos meos, et apprehendam eos, et non revertar donec consumam eos.

Cædam eos, et non poterunt urgere; cadent sub pedibus meis.

Accinxisti me fortitudine ad prælium, incurvabis resistentes mihi subtus me.

Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

Clamabunt, et non erit qui salvet; ad Dominum, et non audiet eos.

Delebo eos ut pulverem ante fa-

tatione, et in Deo meo transgrediar murum.

31. Deus meus impolluta via ejus; eloquia Domini igne examinata : protector est omnium sperantium in se.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

33. Deus qui præcinxit me virtute; et posuit immaculatam viam meam.

34. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me.

35. Qui docet manus meas ad prælium; et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me :

Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.

37. Dilatasti gressus meos subtus me : et non sunt infirmata vestigia mea.

38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar donec deficiant.

39. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.

40. Et præcinxisti me virtute ad bellum : et supplantasti insurgentes in me subtus me.

41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

42. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.

43. Et comminuam eos, ut pul-

31 « Impolluta via ejus. » Fidelia Dei promissa, cum omnia, tum ea quæ Davidi privatim fecit.

32 « Quis Deus. » Quis fortis? Hier.

33 « Posuit immaculatam viam meam : » Quod immaculatus fuerit, Deo tribuit, et in Domino gloriatur.

34 « Qui perfecit : » coæquans pedes meos cervis : Hier. velocitate, scilicet.

35 « Posuisti... » conterent arcum æreum brachia mea : Heb.

36 « Et disciplina tua... » Et mansuetudo tua multiplicavit me, Hier. auxit me. Cætera in Heb. desunt.

38 « Non convertar : » non revertar : Hier.

41 « Inimicos... » Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum. Hier. Fecisti ut terga verterent. Ps. xx, 13. « Pones eos dorsum : » eadem sententia; nullius alterius rei quam dorsi vertendi memores.

42 « Clamaverunt : » Clamabunt : Hier.

ciem venti, ut lutum platearum projiciam eos.

Salvabis me a contradictionibus populi, ponces me in caput gentium : populus quem ignoravi, serviet mihi.

Auditione auris obediet mihi filii alieni mentiuntur mihi.

Filii alieni defluent, et contrahentur in angustiis suis.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltabitur Deus salutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, et congregas populos sub me :

Qui servas me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me; a viro iniquo libera me.

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine : et nomini tuo cantabo.

Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in æternum.

verem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.

44. Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium.

45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi

46. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus et exaltetur Deus salutis meæ.

48. Deus, qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

49. Et ab insurgentibus in me exaltabis me; a viro iniquo eripies me.

50. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine : et nomini tuo psalmum dicam

51. Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in seculum

PSALMUS XVIII. LAUDIS ET EXHORTATIONIS.

Cœlorum ordo immortalis, ac legis inconcussa veritas, sapientiam Dei prædicant.

v. s. II. — *Victori, Psalmus David.*

Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

v. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

44 « Contradictionibus populi. » seditiosi : contentiosi qualem expertus sum, divisis post Saulem tribubus et rebellante Absalomo, II. Reg. XXII 44. « In caput gentium : » Goim. Gentilium. David gentes vicinas subegit, et ad Euphratem usque promovit imperium; sed maxime ad Christum hæc pertinent. Infra 45. 50.

45 « Populus quem non cognovi, » gentes scilicet : « In auditu oris obedient mihi : » dicto audientes erunt, quod etiam dictum ex Christi persona : nam « fides ex auditu. » Rom. x. 17.

46 « Filii alieni : » alienigenæ. « Mentiti sunt : » fœdera fregerunt, ut Hanon Rex Ammon. II. Reg. x. At Hier. « Defluent : » res eorum collabentur. « Et claudicaverunt : » et contrahentur in angustiis suis : Hier. Ipsi se in angustias conjicient.

48 « De inimicis meis iracundis. » Deest Hebr.

50 « Confitebor tibi in nationibus. » Gentibus : Hebr. Refertur hic locus ad conversionem gentium. Rom. xv. 9.

51 « Regis ejus. » Regis sui : Hier. Davidis. Miro ordine omnia in hoc Psalmo procedunt David primo gratias agit; tum ponit sub oculos calamitates suas; mox Deum auxilio tota majestate advenientem; se propter innocentiam liberatum; imo et victorem; prostratos inimicos; imperium longe ad exteros prolatum; quæ omnia executus, ad gratiarum denique actionem redit.

Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

Non est sermo, et non sunt verba quibus non audiatur vox eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis verba eorum.

Soli posuit tabernaculum in eis.

Et ipse quasi sponsus procedens de thalamo suo : exultavit ut fortis ad currendam viam :

A summitate cœli egressus ejus et cursus ejus usque ad summitatem illius : nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Præcepta Domini recta, lætificantia cor ; mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini mundus, perseverans in secula ; judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et la-

3. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

4. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

5. In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.

6. In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo :

Exultavit ut gigas ad currendam viam.

7. A summo cœlo egressio ejus :

Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.

8. Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda ; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi ; judicia Domini vera, justificatà in semetipsa.

11. Desiderabilia super aurum et

3 « Dies diei... » Continuantur dies noctibus, eoque omnia tenore procedunt, ut et dies diei et nox insequenti nocti quid agendum sit indicare videantur, perpetua quasi traditione doctrinæ.

4 « Non sunt loquelæ... » auditur vox eorum, omnium gentium linguis.

5 « In omnem terram exivit sonus eorum. » Delineatio eorum. Hebr. eo quod ubique celebretur perfectissimi operis summa, et ad normam exacta pulchritudo. Sanior tamen 70 ac Vulgatæ lectio, « Sonus : » levissima inflexione hebraici vocabuli « kouam, » quod est delineatio, a « kolam ; » quod est sonus. melius sane dicitur exire sonus, atque omnia pervadere : tum accuratius respondet antecedentibus ; atque his in fine versus vocibus : « In fines terræ verba eorum : » sensu scilicet iterato in morem Hebræorum : denique sic legit Apostolus, atque apostolicæ prædicationi ex antiqua traditione aptat, Rom. x. 18. Quod omnino sono congruit, non alteri illi lectioni hebraicæ.

6 « In sole posuit : » soli posuit tabernaculum in eis : in cœlis, scilicet : Hebr. id est solem in cœlis collocavit. « Fecit Deus duo luminaria, et posuit in firmamento cœli. » Gen. x. 16. De cœlo locutus David, in sole, parte cœli nobilissima, mentis defigit, oculos, ejusque exequitur pulchritudinem, celeritatem ac vim. « Et ipse tanquam sponsus. » En pulchritudo tanto cum splendore orientis. Non pulchrior e thalamo novus sponsus prodit, non splendidiore amictu, non mirabiliore colorum varietate adornatus.

7 « Exultavit » Jam ad celeritatem pergit, inducta comparatione cursoris a carcere ad metam, non tam passibus, quam saltibus, properantis : « ut gigas : » ut fortis ; Hier. Quasi diceret, formosus quidem ut sponsus, non tamen delicatus aut mollis, sed fortis, rapidus, indefessus. « A summo cœlo... » ad extremum cœlum : ab oriente ad occidentem « occursus ejus : » cursus, Hier. revolutio.

8 « Lex Domini. » Secunda pars Psalmi, in qua a sapientia Dei mundum ordinantis, transit ad legem mores hominum componentem, transitu in Psalmis frequente. Sic Ps. cx. « Magna opera Domini : » mox « fidelia omnia mandata ejus. » Ps. cxviii. 89. « In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo, etc, » tum 92. « nisi quod lex tua meditatio mea est, etc. Lex Domini : » nota hic varia vocabula ad designandam legem, de quibus vide in Ps. cxviii.

8 « Justitiæ : » præcepta : Hier. mox, mandatum.

10 « Timor Domini sanctus : » mundus : Hier.

11 « Lapidem pretiosum. » Paz Hebr. quæ vox redditur, « topazion, » Psal xcviii, 127 Volunt esse aurum exquisitissimum. « Mel et favum » Addit Hebr. redundantem.

lapidem pretiosum multum; et dulciora super mel et favum redundantem.

Unde servus tuus docebit ea; in custodiendis eis retributio multa.

Errores quis intelligit? ab occultis munda me.

A superbis quoque libera servum tuum. Si non fuerint dominati mei, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.

Sint placentes sermones oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo; Domine, fortitudo mea, et redemptor meus.

lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum.

12. Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me;

14. Et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; et emundabor a delicto maximo.

15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus, et redemptor meus.

PSALMUS XIX. DEPRECATORIUS.

Rege ad bellum procedente.

V. S. H. — *Victori, Psalmus David.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion roboret te.

Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Semper.

Det tibi secundum cor tuum, et omnem voluntatem tuam impleat.

Laudabimus in salutari tuo, et in nomine Dei nostri ducemus choros. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Nunc scio, quoniam salvabit Do-

V. V.—1. *In finem, Psalmus David.*

2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis; potregat te nomen Dei Jacob.

3. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.

4. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.

5. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

6. Lætabimur in salutare tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.

7. Impleat Dominus omnes peti-

12 « Custodit ea. » docebi ea: Hier. alii, illustratur, admonetur ab eis. « In custodiendis illis retributio multa: » legis executio, cum multa bona affert, tum ipsa sibi merces.

13 « Delicta: » errores: Hier. Cum lex tam sancta sit, tam recta; nosque tot perversis cupiditatibus impliciti, quis omnes errores intelligat etiam suos?

14 « Ab alienis, » ea peccatis alienis quibus quocumque modo communicavero. At Hier. a superbis. Alii, a superbis, ut sensus sit, libera me tum ab occultis, tum ab apertis transgressionibus. Sensus Vulg. melior, ortus ex litterulæ diversitate. « Si mei... mei, » non, a nominat. sing. « meus, » sed ab « ego, » genitivo casu. Si ab occultis et alienis peccatis mundus sim, de cæteris vix erit quod timeam.

15 « Et erunt... » sint placentes: Hier.

Notat. Theodor. in hoc Psalmo tres leges; naturalem a 1. v., Mosaicam ab 8., Novi Testamenti, in quo remissio peccatorum et vitæ novitas, a 12.

2 « Tribulationis: » belli scilicet, quod semper magna calamitas est.

5 « Consilium... confirmet » impleat. Hier.

6 « Salutari. » Salus sæpe pro victoria, cujus fructus est, in Scripturis accipitur. Vid. Judic. xv.

18 « Magnificabimur » ducemus choros: Hier. signa victricia erigemus: Hebr. triumphabimus.

17 « Nunc cognovit. » Nunc scio quoniam salvavit Dominus Christum suum. « Hier. « Christum suum: » regem. « Inpotentatibus. In fortitudine salutis dexteræ ejus: Dei scilicet. Hier. id est, in invicta illa vi servatricis dexteræ Dei.

minus Christum suum; exaudiet eum de cœlo sancto suo, in fortitudine salutis dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis; nos autem nominis Dei nostri recordabimur.

Ipsi incurvati sunt et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salva; Rex, exaudies nos in die, qua invocaverimus te.

tiones tuas : nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo; in potentatibus salus dexteræ ejus.

8. Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

9. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus.

10. Domine, salvum fac regem : et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

PSALMUS XX. EUCHARISTICUS.

Rege post victoriam redeunte.

v. s. ii. *Victori, Psalmus David.*

Domine, in fortitudine tua lætabitur rex, et in salutari tuo exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus dedisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Semper.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus bonitatis; pones in capite ejus coronam de obrizo.

Vitam petivit a te, et dedisti ei longitudinem dierum in seculum et in æternum.

Magna gloria ejus in salutari tuo; gloriam et decorem pones super eum.

Pones enim eum in benedictionem sempiternam, et hilarabis eum lætitia apud vultum tuum.

Quia rex confidet in Domino, et in misericordia Excelsi non decipietur.

Inveniet manus tua omnes inimicos tuos; dextera tua inveniet odientes te.

1. v. v. *In finem, Psalmus David.*

2. Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.

3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

4. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

5. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, et in seculum seculi.

6. Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.

7. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8. Quoniam rex sperat in Domino : et in misericordia altissimi non commovebitur.

9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.

8 « In nomine Domini. » Nominis Domini Dei nostri recordabimur : Hier.

9 « Obligati sunt : » quasi compedibus vincti. Incurvati sunt : Hier.

10 « Domine, salvum fac.. . » Domine, salva; Rex, exaudies nos, etc. Hier. Regem vocat Deum regem regum. Vulg. planior et convenientior.

2 « Exultabit vehementer. » Quantum exultabit : Hebr.

3 « Voluntate labiorum. » Prolatione labiorum : Hebr. precum fructu.

4 « Dulcedinis... » bonitatis. Hier. « Lapide pretioso » obrizo : Hier. auro scilicet. « Paz » Hebr. supra XVIII. II.

6 « In salutari tuo. » Te salvante et, ita semper exponendum.

7 « Benedictionem in seculum... » sempiternam : Hier. « vultu tuo . » favorabili.

9 « Inveniatur... » inveniet manus tua omnes inimicos tuos : Hier. non enim latebris, non ugæ locus.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in furore suo præcipitabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum de filiis hominum.

Quoniam inclinaverunt super te malum, cogitaverunt scelus quod non potuerunt.

Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra facies eorum.

Exaltare, Domine, in fortitudine tua : cantabimus et psallemus fortitudines tuas.

10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

11. Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a Filiis hominum.

12. Quoniam declinaverunt in te mala; cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

13. Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

14. Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.

PSALMUS XXI. PROPHETICUS.

Christus in cruce Deum orat, seque per resurrectionem, Judæos electos, gentesque conversas, per passionem suam prædicat liberandos. Ipse porro crucifixus hunc Psalmum de se esse docuit. Matt. XXVII. 46. Marc. XV. 34.

V. S. H. — *Victori pro cervo matutino Canticum David.*

Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? longe a salute mea verba rugitus mei.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, nec est silentium mihi.

Et tu sancte : habitator, Laus Israel.

In te confisi sunt patres nostri : confisi sunt, et salvasti eos.

V. V. — 1. *In finem, pro susceptione matutina Psalmus David.*

2. Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

3. Deus meus, clamabo per diem et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.

4. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

5. In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos.

10 « Ut clibanum : » ut fornacem; tanquam incendio consumentur. « In tempore vultus tui, » iræ tuæ. Sic Ps. XXXIII.. 17 « Vultus autem Domini super facientes mala. Conturbabit : » præcipitabit.

12 « Declinaverunt... » moliti sunt in te malum. Hebr. « Consilia. » Scelus · Hebr. « stabilire. » Deest Hebr. recte suppletum.

13 « Pones eos dorsum. » Vide Ps. XVII. 41. « In reliquiis tuis. » Funes tuos firmabis contra faciem eorum · Hier. vel laqueos in quos incidant; vel nervum arcus tui.

1 « Pro susceptione matutina. » Ad implorandum mane auxilium Dei. Ch. pro oblatione matutina. Hebr. pro cerva matutina; ad modum cantilenæ, cujus initium; cerva matutina.

2 « Respice in me, » a Christo prætermissum, cum in Hebr. desit loco cit. « Longe a salute mea. » Quantumvis clamem, nil mihi prodest ad salutem. « Verba delictorum meorum, » id est, nostrorum quæ ipse portavit : at Hebr. verba rugitus mei, id est, clamoris.

3 « Et non ad insipientiam mihi : » supple, erit : enim frustra invocatur Deus, quantumvis obsurdescere videatur Nec est silentium mihi : Hier

4 « Tu autem in sancto. » Et tu sancte : inhabitans, laudes Israelis : Hebr. habitator, Laus Israel : Hier. Laus Israel permanens quem Israel assidue laudat, cujus inter laudes perpetuas versaris.

8 « Locuti sunt labiis. » dimittunt labium : Hier. distentunt labia irridentes.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te confisi sunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum, et despectio plebis.

Omnes videntes me subsannant me: Dimittunt labium, movent caput.

Confugit ad Dominum, salvet eum, liberet eum, quoniam vult eum.

Tu autem propugnator meus ex utero: fiducia mea ab uberibus matris meæ.

In te projectus sum ex vulva: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Ne longe fias a me, quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est adjutor.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues vallarunt me.

Aperuerunt super me os suum: quasi leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, et separata sunt omnia ossa mea: factum est cor meum sicut cera liquefacta in medio ventris mei.

Aruit velut testa fortitudo mea, et lingua mea adhæsit palato meo, et in pulverem mortis detraxisti me.

Circumdederunt me venatores:

6. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.

7. Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.

8. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

9. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

10. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.

11. In te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ Deus meus es tu. 12. Ne discesseris a me:

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

13. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

15. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.

17. Quoniam circumdederunt me

9 « Speravit in Domino... » Ita Judæi Christo crucifixo exprobrabant. Matth. XXVII. 43. Item Sap. II. 18. « Quoniam vult eum : » diligit.

10 « Qui extraxisti... » Propugnator meus ex utero : Hier. Jam inde a nativitate omni humano auxilio destitutus, imo Herodis insidiis petitus, te unum habui susceptorem.

13 « Vituli multi, tauri pingues » et validi : hi vituli, hi tauri sunt inimici ; alii insultantes et lascivientes, alii ferocientes.

15 « Sicut aqua effusus sum » exhaustus viribus : in me nihil firmi. « Dispersa sunt : » distracta ; nihil superest roboris. « In medio ventris : » pectoris.

16 « Aruit... » Sitim describit, quæ maxime angit in tormentis, et debilitat : de qua una Christus questus est. Joan. XIX. 38.

17 « Canes multi : » plebs ore rabido allatrans. « Foderunt, » fixerunt : Hier Lectio hodierna Judæorum hæc est : sicut leo manus meæ et pedes mei : nullo sensu. Vel : sicut leo manus meas et pedes meos : supple, mordent, lacerant : quasi leo manus et pedes invadere soleat, non totum corpus. Præterea leonis mentio facta est supra 14. Omnino locum hunc corruperunt Judæi, et pro « caru » reposuerunt « caari. » Ipsi utramque lectionem antiquam esse affirmant, ut patet ex Maretis et aliis. Justinus Apol. I. p. 77. adv. Trypht. p. 325 332. et in Apologia secunda hunc locum adducens, uti nunc quoque Septuaginta legunt, quanquam Judæis solitus corruptum exprobrare textum ; nihil hic eos arguit, neque veterum quisquam : quo certum est nondum eo tempore quidquam immutatum, eamdemque fuisse nostram et Judæorum lectionem. Aquila verterat *eschunan* « dehonestaverunt. » Quod quamvis non conveniat, multum tamen distat a Judæorum hodierna lectione ; quin et crucifixio aliunde satis apparet in distractis et dinumeratis ossibus. Vide notas Psal. CVIII. 8.

consilium pessimorum vallavit me : fixerunt manus meas, et pedes meos.

Numeravi omnia ossa mea, quæ ipsi respicientes viderunt in me.

Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestimentum meum miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne longe facias; fortitudo mea, in auxilium meum festina.

Erue a gladio animam meam : de manu canis solitariam meam.

Salva me ex ore leonis, et de cornibus unicornium exaudi me.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : omne semen Jacob glorificate eum, et metuite eum universum semen Israel.

Quoniam non despexit neque contempsit modestiam pauperis, et non abscondit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum, exaudivit.

Apud te laus mea in ecclesia multa; vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Comedent mites, et saturabuntur; laudabunt Dominum quærentes eum : vivet cor vestrum in sempiternum.

canes multi : concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos. 18. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. 19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

20. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.

21. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.

24. Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob, glorificate eum.

25. Timeat eum omne semen Israel; quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis :

Nec avertit faciem suam a me; et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

26. Apud te laus mea in ecclesia magna vota mea reddam in conspectu timentium eum.

27. Edent pauperes, et saturabuntur; et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi.

18 « Dinumeraverunt. » Numeravi : Hier. Ossa mea numerarem : adeo nudata, distenta, ac velut divulsa sunt, laniato corpore et suspenso. « Ipsi vero consideraverunt. » At ipsi doloribus meis oculos satiant.

19 « Diviserunt sibi... » Hæc ad litteram impleta : Matth. XXVII 35. Joan. XIX. 23.

20 « Ne elongaveris... » ne recedas : fortitudo mea, in auxilium meum festina : Hier.

21 « A framea, » a gladio : Hier. « Unicam, » dilectam : animam « De manu canis... »

22 « Ex ore leonis... a cornibus unicornium. . » ab efferatis ac superbissimis adversariis. « Humilitatem meam : » Infirmitatem meam, vilitatem meam; et ita fere semper.

23 « Fratribus meis : » Apostolis quibus hæc nuntiavit. « Ite, nuntiate fratribus meis: « Matth. XXVIII 10. Judæis quoque cognatis suis, qui facti sunt ecclesia magna cum gentibus, de quibus infra 26.

23 « Deprecationem : » modestiam : Hier. mansuetudinem.

25 « Apud te : » coram te : a te incipit : « laus mea · » hinc exordior : te quoque inspirante oritur : « in ecclesia magna, » in ecclesia catholica ubique difusa.

27 « Edent pauperes : » mites : Hier. illi scilicet pauperes spiritu, quos laudat Christus. Matth. V. 3. Alludit ad sacrificia eucharistica, ad quæ advena, pupillus et vidua, convivæ vocabuntur, Deut XVI. 11, 14. Suntque convivia nascentis Ecclesiæ, Judæorumque recens conversorum ad fidem, qui simul sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis : Act. II. 46. et ipsum Eucharistiæ sacramentum.

Recordabuntur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ, et adorabunt coram eo universæ cognationes gentium.

Quia Domini est regnum, et dominabitur gentibus.

Comederunt et adoraverunt omnes pingues terræ ante faciem ejus : curvabunt genu universi qui descendunt in pulverem, et anima ejus non vivet.

Semen serviet ei, narrabitur Domino in generatione.

Venient et annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit.

28. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ :

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

29. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

30. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.

32. Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMUS XXII. MORALIS.

Quem Deus, optimus pastor, tuetur ac curat, nihil illi deest.

V. S. H. — *Psalmus David.*

Dominus pascit me, nihil mihi deerit.

In pascuis herbarum acclinavit me : super aquas refectionis enutrivit me.

Animam meam refecit : duxit me per semitas justitiæ, propter nomen suum.

Sed et si ambulavero in valle um-

V. V. — 1. *Psalmus David.*

Dominus regit me, et nihil mihi deerit :

2. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me :

3. Animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4. Nam, et si ambulavero in medio

23 « Reminiscentur : » tanquam e gravi somno ad Deum evigilabunt. « Universæ familiæ : gentium : » supra de Judæis locutus est, quos fratres vocavit, 23. nunc de gentibus, quæ tandem ad Deum redibunt, ut est in ℣ seq.

30 « Omnes pingues terræ : » opulenti, potentes, reges ipsi venient humiles ad cultum et convivium Christi, non tantum Judæi, tunc pauperes et oppressi. « Cadent : » curvabunt genu : Hier. « Omnes qui descendunt... » omnes qui rediguntur ad pulverem : omnes mortales.

31 « Anima mea : » Anima ejus non vivet; semen serviet ei : Hier. eo quod vitam abjecerit, habebit posteros per fidem ex cruce ortos : sic Isa. LIII. 10. « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. » Vulg. legit « lo » per vau, et sensus est, vivam Deo per resurrectionem, Atque hinc mihi longa posteritas christiani scilicet mea morte ac resurrectione regeniti.

32 « Annuntiabitur : » numerabitur, accensebitur ; « generatio ventura, » ex illo semine, « Annuntiabunt cœli... cœli, » deest etiam in 70, unde, annuntiabunt, » impersonaliter accipiendum : « Populo qui nascetur : » populo novo, genti sanctæ, populo acquisitionis, de quo I Pet. II. 9. eam in rem facto, « ut virtutem » annuntiet « ejus qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. Quem fecit Dominus : Ipsius enim sumus factura, creati... in operibus bonis : » Eph. II. 10. « Dominus, » deest Hebr. sed recte suppletum.

1 « Regit me. » Pascit ; Hier pastor meus : Hebr.

2 « In loco pascuæ. » In pascuis herbarum : Hier. « Aquam refectionis : » quibus æstu confectum corpus reficitur. Alii, aquas tranquillas. Alii, tranquillum super aquas.

3 « Animam meam convertit : » supp. ad vitam bonam ; unde subdit : « Deduxit me super semitas justitiæ. »

4 « In medio : » in valle « umbræ mortis : » Hier. In desertis, insidiosis atque intutis locis, « Virga tua et baculus tuus : » fulcra quæ laboranti præbes.

bræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, ipsa consolabuntur me.

Pones coram me mensam, ex adverso hostium meorum : impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians.

Sed et benignitas et misericordia subsequentur me omnibus diebus vitæ meæ, et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum.

umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

5. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est!

6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ :

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

PSALMUS XXIII. HISTORICUS ET MORALIS.

Cum arca ex domo Obededom in Sion translata est, Dei sedem suam ingredientis majestatem faustis acclamationibus populus cum rege prosequitur. Quam pure sancteque mons ille Deo sacer sit adeundus, canit. Christi cœlum ingredientis gloriam præfigurat. Vide II. Reg. vi. 12, et I. Par. xv. 25.

V. S. H. *Psalmus David.*

Domini est terra et plenitudo ejus : orbis et habitatores ejus.

Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina stabilivit illum.

Quis ascendet in montem Domini? et quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, qui non exaltavit frustra animam suam, et non juravit dolose.

Accipiet benedictionem a Domino, et justitiam a Deo salutari suo.

V. V. — 1. *Prima sabbati, Psalmus David.*

Domini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo.

5 « Adversus eos... » ex adverso hostium meorum : Hier. in eorum conspectu : ut videant te adesse adjutorem, dum putant me fame tabescere. « Impinguasti : » unxisti : ut in convitiis et lætitia solebant. « Calix meus inebrians : » exuberans. « Quam præclarus est! » Sed et benignitas et misericordia subsequentur me, etc. Hier. « Et ut inhabitem : » 70. Et faciet habitare. Et habitabo : Hier.

1 « Prima sabbati : » De die qua cœpit Deus creare. Syr. « Domini est terra. » Sensus est : universus quidem orbis ejus est; et tamen hunc montem sibi delegit. Sic. II. Par. vi. 18. « Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, etc. »

2 « Super maria. » Ad maria et flumina quibus ipsa tellus imminet, præruptis confragosisque littoribus, certo excelsioribus, arcis instar impositis, quibus minaces fluctus coercentur. Sic ripis fluvii continentur : quod idem canit Psalmista. « Qui firmavit terram super aquas. » Ps. cxxxv. 6. Pertinet etiam ad amœnitatem et commodum, quod urbes, castella, terra ipsa humani generis domicilium, ad aquas collocentur.

4 « Qui non accepit in vano... » non pejeravit in animam suam. « Proximo suo ; » deest Hebr.

5 « Misericordiam, » justitiam : Hier.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem tuam, Jacob. Semper.

Levate, portæ, capita vestra, et elevamini, januæ sempiternæ; et ingredietur rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Levate, portæ, capita vestra, et erigimini, januæ sempiternæ; et ingredietur rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dominus exercituum, ipse est rex gloriæ. Semper.

6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

7. Attollite portas principes vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

8. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens: Dominus potens in prælio.

9. Attollite portas principes vestras, et elevamini, portæ æternales; et introibit rex gloriæ.

10. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

PSALMUS XXIV. DEPRECATORIUS.

David pressus angustiis, urgentibus hostibus, peccata condonari, in rectam se deduci viam, ab adversariis liberari petit. Acrosticus est hic Psalmus.

V. S. H. *Psalmus David.*

Ad te, Domine, animam meam levabo.

Deus meus, in te confisus sum: non confundar, ne lætentur inimici mei mihi.

Sed universi qui sperant in te, non confundentur: confundantur qui iniqua gerunt frustra.

Vias tuas, Domine, ostende mihi, et semitas tuas doce me.

Deduc me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, te expectavi tota die.

Recordare miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quia a sempiterno sunt.

Peccatorum adolescentiæ meæ, et scelerum meorum ne memineris: secundum misericordiam tuam recordare mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.

V. V — 1. *In finem, Psalmus David.*

Ad te, Domine, levavi animam meam:

2. Deus meus, in te confido; non erubescam:

3. Neque irrideant me inimici mei; etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.

7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine.

6 « Faciem Dei Jacob. » De quo scriptum est, « Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. » Gen. XXXII. 30. Quærunt autem faciem Dei qui accedunt ad locum ubi arca reposita est, Deusque præsens colitur.

7 « Attollite portas. » Levate, portæ, capita vestra: Hier. « Portæ æternales: » fores sempiternæ, firmæ, Dei numine tutæ. Quasi ingredienti arcæ portæ quælibet minores sint. Hæc videntur alternis choris fuisse cantata.

4 « Supervacue. » Frustra, Hier. gratis, nullo fructu.

7 « Ignorantias, » peccata: Hebr.

Bonus et rectus Dominus; propterea docebit peccatores in via.

Deducet mansuetos in judicio, et docebit modestos viam suam.

Omnes semitæ Domini misericordia et veritas; his qui custodiunt pactum ejus, et testificationes ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiare iniquitati meæ, quoniam grandis est.

Quis est iste vir timens Dominum, quem docebit in via quam elegit?

Anima ejus in bono commorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.

Secretum Domini timentibus eum, et pactum suum ostendet eis.

Oculi mei semper ad Dominum; quia ipse educet de reti pedes meos.

Respice in me, et miserere mei; quoniam solus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de angustiis meis educ me.

Vide humilitatem meam et laborem meum, et porta omnia peccata mea.

Vide inimicos meos, quia multiplicati sunt; et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et libera me; non confundar, quoniam speravi in te.

Simplicitas et æquitas servabunt me; quia expectavi te.

Redime, Deus, Israel, ex omnibus angustiis suis.

8. Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9. Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.

11. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.

12. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

13. Anima ejus in bonis demorabitur: et semen ejus hæreditabit terram.

14. Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

15. Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

16. Respice in me, et miserere mei; quia unicus et pauper sum ego.

17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

18. Vide humilitatem meam, et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.

19. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.

20. Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.

21. Innocentes et recti adhæserunt mihi; quia sustinui te.

22. Libera, Deus, Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

8 « Legem dabit, » docebit: Hier. et ita pass'm in Vulg. legem dare, legem statuere, legem ponere, phrasis est qua redditur Hebraicum « docere: » sic et infra 12.

10 « Testamentum, » pactum: Hier.

12 « Legem statuit: » docebit.

14 « Firmamentum est Dominus... » Secretum Domini: Hier. hoc est, occulta protectio, sive declaratio arcanorum: ut Ps. L. 8. « Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Et testamentum... » et pactum suum ostendet eis: Hier. promissorum veritatem.

15 « Oculi mei... » Eruit me Dominus a laqueis, in se potius quam in eos intuentem.

16 « Unicus, » solus: Hier. ab omnibus destitutus.

17 « De necessitatibus: » de angustiis: Hier.

21 « Innocentes... » Simplicitas et æquitas servabunt me: Hier.

PSALMUS XXV. DEPRECATORIUS.

Sacerdotibus accedentibus ad altare, ut, licet nullius sibi sceleris conscii, purgari amplius expetant.

V. S. H. — *David.*

Judica me, Deus, quoniam ego in simplicitate mea ambulavi, et in Domino confidens non deficiam.

Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.

Quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum est, et ambulabo in veritate tua.

Non sedi cum viris vanitatis, et cum superbis non ingrediar.

Odivi ecclesiam pessimorum, et cum inquis non sedebo.

Lavabo innocentia manus meas, et circuibo altare tuum, Domine;

Ut audiam vocem laudis, et enarrem omnia mirabilia tua.

Domine, dilexi habitaculum domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ.

Ne auferas cum peccatoribus aimam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus scelus est, et dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in simplicitate mea gradiar. Redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in recto; in ecclesiis benedicam Domino.

V. V. 1. *In finem, Psalmus David.*

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.

2. Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.

3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.

4. Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.

5. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

6. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine;

7. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

8. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

9. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

10. In quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus.

11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Redime me, et miserere mei.

12. Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedicam te, Domine.

2 « Ure renes meos : » purga interiora mea, quasi in fornace.

6 « Lavabo inter innocentes... » Lavabo in innocentia : Hier. Revera accedentes ad altare manus et pedes lavabant. Exod. xxx. 19. « Et circumdabo... » quod proprie et ad sacerdotes pertinet; quanquam ipsa plebs spectabat sacrificium, suoque modo quodam altari appropinquabat. Levit. IX 23, 24.

» 7 Ut audiam vocem laudis... » cantus et Psalmos Dei memores circa altaria.

» 8 Decorem : » habitaculum; Hier. ipsum sanctuarium, ejusque pulchritudinem ac sanctitatem.

9 « Viris sanguinum : » homicidis.

10 « Dextera eorum repleta est muneribus. » munera adversus innoxium accipiunt, contra vetitum. « Psal. XIV. 5. Munera super innocentem non accepit. »

12. « In directo ; » In recto tramite.

PSALMUS XXVI. MORALIS.

David bello petitus èt in angustiis, cum adhuc fugeret Saulem.

V. S. H. — *David.*

Dominus lux mea, et salutare meum, quem timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo?

Dum appropinquarent mihi maligni ut comederent carnem meam: hostes mei, inimici mei ipsi impegerunt et ceciderunt.

Si steterint adversus me castra, non timebit cor meum; si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam.

Unum petivi a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam pulchritudinem Domini, et attendam templum ejus.

Abscondit enim me in umbra sua in die pessima; abscondet me in secreto tabernaculi sui, in petra exaltabit me.

Nunc quoque exaltavit caput meum super inimicos meos qui sunt in circuitu meo; et immolabo in tabernaculo ejus hostias jubili: cantabo et psallam Domino.

Audi, Domine, vocem meam invocantis: miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, quæsivit vultus meus: faciem tuam, Domine, requiram.

V. V.—1. *Psalmus David, priusquam liniretur.*

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?

2. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

4. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

5. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

6. In petra exaltavit me: et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et psalmum dicam Domino.

7. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; miserere mei, et exaudi me.

8. Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.

1 « Priusquam liniretur: » a Juda quidem II. Reg. II. n. 4. a reliquo autem Israel; ibid. v. 3. cum antea unctus esset a Samuele in Bethleem, I. Reg. x. 1. Quæ tituli pars in Heb. deest; ut in Hexap. teste Theodoreto.

2 « Infirmati sunt: » impegerunt; Hier.

4 « Unam: » rem, unum: Hier. « Hanc, » hoc requiram. « Ut inhabitem: In templo et orationibus sim assiduus; non exul et vagus, ac sacrorum extorris. « Voluptatem, » pulchritudinem: Hier.

5 « Abscondit me in tabernaculo suo: » in umbra sua: Hier. Has quærit tutissimas latebras adversus Saulem; non loca impervia, speluncasve abditissimas, quæ rex pervaserat.

6 « In petra: » quasi in rupe, in arce, « exaltavit caput meum super inimicos meos. Circuivi. » Hier. « qui sunt in circuitu meo. » At sensus Vulgatæ sit: « Circuivi: » obambulavi loca sancta: « et immolavi, » immolabo: « hostiam vociferationis: » jubili laudis alacris, lætas in Deum voces.

8 « Tibi dixit cor meum: » Mens mea, non lingua, non labia. « Exquisivit te .. » quæsivit vultus meus faciem tuam: Hier. quærite faciem meam: Hebr. Reputavi hoc tuum præceptum: « quærite faciem meam; » et implevi. Unde subditur; « vultum tuum, Domine, requiram. » Vultum autem tuum, hoc est, arcam tuam in qua habitas, et arcana in piorum cœtibus solatia.

Ne abscondas faciem tuam a me, ne declines in furore tuo a servo tuo. Auxilium meum fuisti : ne derelinquas me, et ne dimittas me, Deus salvator meus.

Pater enim meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem collegit me.

Ostende mihi, Domine, viam tuam, et deduc me in semita recta, propter insidiatores meos.

Ne tradas me animæ tribulantium me : quoniam surrexerunt contra me testes falsi, et apertum mendacium.

Ego autem credo, quod videam bona Domini in terra viventium.

Expecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum

9. Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

10. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.

11. Legem pone mihi, Domine, in via tua : et direge me in semitam rectam, propter inimicos meos.

12. Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

13. Credo videre bona Domini in terra viventium.

14. Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

PSALMUS XXVII. MORALIS.

A malis hominibus circumventus, Deo nititur, ne cum eis pereat.

V. S. H. — *David.*

Ad te, Domine, clamabo, fortis meus, ne obsurdescas mihi : ne forte tacente te mihi, comparer his qui descendunt in lacum.

Audi vocem deprecationis meæ, cum clamavero ad te, cum levavero manus meas ad oraculum sanctum tuum.

Ne tradas me cum impiis et cum operantibus iniquitatem, qui loquuntur pacem cum amicis suis, et est malum in corde eorum.

V. V. — 1. *Psalmus ipsi David.*

1. Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me, nequando taceas a me; et assimilabor descendentibus in lacum.

2. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te : dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem, in cordibus eorum.

9 « Ne avertas : » ne abscondas : Hier. « Adjutor meus esto : » fuisti : Hier. « N despi cias... » ne dimittas me : idem, ne deseras.

10 « Pater meus... » Vel mortui, vel ipsi infirmi et imbecilles ; et si me dereliquerint tamen tu, Domine, semper ades.

11 « Legem pone mihi : » doce me. « Inimicos : » insidiatores : Hier.

12 « Testes iniqui : » falsi : Idem ; qui dicebant Sauli : « David quærit animam tuam. » I. Reg. XXIV. 10. « Et mentita... » et apertum mendacium ; Hier. quod seipso convincitur. Vulg. congruit.

13 « Credo videre. » Nisi crederem : Hebr. formula affirmandi. Recte. Hier. ego autem credo quod videam.

14 « Viriliter age. » Seipsum adhortatur ad patientiam, Deo auxilium ac solatium differente.

1 « Deus meus : » petra mea : Hebr. « Ne sileas a me... » ne obsurdescas mihi ; Hier. « et assimilabor : » ne assimiler. Vide totum versum apud Hier.

2 « Templum sanctum tuum : » oraculum ; Hier. id est, arcam.

3 « Ne perdas me ; » deest Hebr.

Da eis secundum opus suum, et secundum malum adinventionum suarum, juxta opus manuum suarum da eis : redde retributionem suam illis.

Quoniam non intelligunt opera Domini, et opus manuum ejus : destrues eos, et non ædificabis. Benedictus Dominus; quoniam audivit vocem deprecationis meæ.

Dominus fortitudo mea et scutum meum ; in ipso confisum est cor meum, et habui adjutorium : gavisum est cor meum ; et in cantico meo confitebor illi.

Dominus fortitudo mea; et robur salutarium Christi sui est.

Salva populum tuum, et benedic hæreditati tuæ : et pasce eos, et subleva eos usque in sempiternum.

4. Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis : redde retributionem eorum ipsis.

5. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus; destrues illos, et non ædificabis eos.

6. Benedictus Dominus; quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

7. Dominus adjutor meus, et protector meus; in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea : et ex voluntate mea confitebor ei.

8. Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.

9. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ ; et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

PSALMUS XXVIII. MORALIS.

Dei ab alto intonantis veneratur majestatem, populum trepidantem consolatur.

v. s. h. — *Psalmus David.*

Afferte Domino filios arietum; afferte Domino gloriam et imperium.

Afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominum in decore sancto.

Vox Domini super aquas, Deus gloriæ intonuit; Dominus super aquas multas.

Vox Domini in fortitudine; vox Domini in decore.

v. v. — 1. *Psalmus David, in consummatione tabernaculi.*

Afferte Domino, filii Dei; afferte Domino filios arietum.

2. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus.

3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit; Dominus super aquas multas.

4. Vox Domini in virtute ; vox Domini in magnificentia.

6 « Opera Domini, et in opera... » Non intellexerunt opera Domini, et facturam ejus : Hebr. variis verbis, eodem sensu.

7 « Refloruit caro mea : » Gavisum est cor meum : et in cantico meo. Hier.

8 « Fortitudo plebis suæ : » fortitudo eorum : Hebr. una litterula « ain » excisa, ut videtur : omnino enim lectio Vulgatæ melior. « Protector salvationum » Salutem Christi sui, regis scilicet, confirmat.

1 » In consummatione : » sive ut habent 70. in exitu. *exodiou* « Tabernaculi : » qui titulus deest in Hebr. et in Hexaplis. Theodor. Nonnulli satis commode interpretantur, exeunte festo tabernaculorum. « Afferte Domino, filii Dei. » Deest hoc pulcherrimum initium in Hebr. et apud Hier. Habet tamen Ch. quod indicio est olim in textu fuisse et excidisse.

2 « Honorem ; » imperium : Hier. « In atrio... » in templo vel in magnificentia ; eadem enim vox infra 4.

3 « Vox Domini : » Sic Hebræi tonitruum vocant, de quo in sequentibus agitur. « Super aquas : » pluvio cœlo et imbre ingruente.

Vox Domini confringentis cedros; et confringet Dominus cedros Libani.

Et disperget eas quasi vitulus; Libanus et Sarion, quasi filius rhinocerotis.

Vox Domini dividens flammas ignis: Vox Domini parturire faciens desertum; parturire faciet Dominus desertum Cades.

Vox Domini obstetricans cervis, et revelans saltus, et in templo ejus omnis loquetur gloriam.

Dominus diluvium inhabitat, et sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus fortitudinem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

5. Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani:

6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.

7. Vox Domini intercidentis flammam ignis: 8. Vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

9. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

10. Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus rex in æternum.

11. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMUS XXIX. EUCHARISTICUS.

V. S. H. — *Psalmus cantici, ad dedicationem domus David.*

Exaltabo te, Domine, quoniam salvasti me, et non dilatasti inimicos meos super me.

Dominus Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.

Domine, eduxisti ex inferno animam meam; vivificasti me, ne descenderem in lacum.

Cantate Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ad momentum est ira ejus, et vita in repropitiatione ejus;

V. V.—1. *Psalmus cantici, in dedicatione domus David.*

2. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

3. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.

4. Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum.

5. Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

6. Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.

6 « Et comminuet eas... » et subsilire faciet, tanquam vitulum: Libanum et Sarion tanquam pullum unicornis: Hebr. Sarion est mons Hermon. Deut. III. 9.

7 « Intercidentis. » Dividens: Hebr. dispersas flammas ejaculans: sic fulgur exprimitur.

8 « Concutientis desertum: » parturire faciens desertum: Hier. Propter versum sequentem, hæc ad vocem vel tonitruum melius referuntur quam ad ipsum Deum.

9 « Præparantis cervos, » seu potius cervas: obstetricans· Hier. parturire faciens: ut præcedente versu. Terrore tonitrui cervas parturire rerum naturalium historici memorant. « Et in templo... » Terrore tonitrui concussi homines ad templum confluunt.

10 « Dominus diluvium inhabitare facit: » inhabitat: Hier. Sedet in diluvio, ut in throno; quo inter pluvias ac tempestates, diluvii et ultionis divinæ meminerimus.

11 « Dominus virtutem... » Sic minæ in spem et consolationem desinunt.

1 « In dedicatione domus... » Cujus ritus mentio habetur. Deut. XX. 5. « Quis ædificavit domum, et non dedicavit eam? » Recte autem referunt ad dedicationem domus per Absalom pollutæ, cum se, post res prosperas, in magnum incidisse periculum et ab eo liberatum esse, toto Psalmo testetur.

4 « Salvasti... » vivificasti me, ne descenderem in lacum: Hier.

6 « Ira in indignatione. » Ad momentum est ira ejus. Hier. Ira Dei brevis est, amor jugis ac diuturnus. « Ad vesperum... » Hinc brevitas iræ apparet. Nota « vesperum » diei prius, quia Hebræorum more, inde dies incipit.

ad vesperum commorabitur fletus, et in matutino laus.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in sempiternum.

Domine, in voluntate tua, posuisti monti meo fortitudinem ; abscondisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

Ad Dominum clamabo, et Dominum deprecabor.

Quæ est utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem ?

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam ?

Audi, Domine, et miserere mei ; Domine, esto adjutor.

Convertisti planctum meum in chorum mihi ; solvisti saccum meum, et accinxisti me lætitia :

Ut laudet te gloria, et non taceat. Domine Deus meus, in sempiternum confitebor tibi.

Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.

7. Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

8. Domine, in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

9. Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.

10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ?

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam ?

11. Audivit Dominus, et misertus est mei ; Dominus factus est adjutor meus.

12. Convertisti planctum meum in gaudium mihi ; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia :

13. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar ; Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

PSALMUS XXX. EUCHARISTICUS ET DEPRECATORIUS.

Ab omnibus proditus, et a Saule undique quasi indagine cinctus, in deserto Maon, nulla spe fugæ, repente est expeditus, quod in Deo spem omnem poneret. I. Reg. XXIII. 25, etc.

V. S. H. — *Victori Psalmus David.*

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, in justitia tua salva me.

Inclina ad me aurem tuam velociter, libera me : esto mihi in lapi-

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David pro extasi.*

2. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum ; in justitia tua libera me.

3. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

7 « Dixi in abundantia mea... » Florentibus rebus meis, putabam prosperitatem tantam nutare non posse, sed experimento didici totum in te esse positum.

8 « In voluntate tua ; » pro arbitrio tuo. « Præstitisti decori meo, » gloriæ ac felicitati « Virtutem ; » robur, firmitudinem, unde sequitur : « avertisti faciem... » neque enim opus erat illata vi, sed tantum subtracta manu, imo aversis oculis, adeo totus a te pendebam. « Factus sum conturbatus. » Quo, non modo rerum perturbatio, verum etiam animi fluctuatio designatur. At Hier. « decori meo : » monti meo, arci meæ Sion, quæ mihi, te favente, et præsidio et ornamento fuit.

9 « Clamabo ; » seu potius, clamabam ; nam refert quæ tunc dixerit.

10 « Corruptionem : » foveam : Hebr. sepulcrum.

12 « In gaudium : » in chorum : Hier. in tripudium : « Saccum, » vestem lugubrem in lætam commutasti.

13 « Gloria mea » lingua, ut passim. « Et non compungar. » Nihil supersit, quo remordear aut crucier. At Hier. non taceat : lingua. Alii : propterea cantabit tibi gloriam, et non tacebit ; supple, quisque, impersonaliter, more Hebr.

1 « Pro extasi : » *exstaseôs* deest Hebr. et in multis exemplaribus græcis : Theodor. Sumptum e versu 23. ubi 70 *en tê exstasei mou.*

dem fortissimum, et in domum munitam, ut salves me.

Quia petra mea, et munitio mea tu es, et propter nomen tuum dux meus eris, et enutries me.

Educes me de reti quod absconderunt mihi, quia tu fortitudo mea es.

In manu tua commendabo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

Odisti custodientes vanitates frustra; ego autem in Domino confisus sum.

Exultabo et lætabor in misericordia tua, quia vidisti afflictionem meam; cognovisti tribulationes animæ meæ.

Et non conclusisti me in manu inimici; statuisti in latitudine pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor; caligavit in furore oculus meus, anima mea et venter meus.

Quia consumptæ sunt in mœrore vitæ meæ et anni mei in gemitu; infirmata est in iniquitate virtus mea, et ossa mea contabuerunt.

Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium, et vicinis meis nimis, et timor notis meis; qui videbant me in plateis, fugiebant a me:

Oblivioni traditus sum quasi mortuus à corde; factus sum quasi vas perditum.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.

4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

6. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Odisti observantes vanitates, supervacue.

Ego autem in Domino speravi:

8. Exultabo, et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

9. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

10. Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

11. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.

Qui videbant me, fora fugerunt a me.

13. Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum:

7 « Odisti: » odi: Hebr. « Supervacue: » quasi diceret, vanitates vanissimas; qua voce, ut idola plerumque, ita etiam sæpe res aliæ intelliguntur, queis homines vani niti solent. Vanitas autem, mendacium est; nec tantum Hebræis, verum etiam Latinis.

8 « Quoniam respexisti humilitatem meam: » Cognovisti tribulationes: Hier.

9 « Nec conclusisti me. » Quanquam enim conclusus undique in Maon, tamen a te expeditus. Vide argumentum.

10 « Conturbatus: » caligavit: Hier. « In ira. » Ingentes animos adversus invadentes hostes iram appellat Scriptura: Is. LXIII. 5. « Circumspexi, et non erat auxiliator: indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi: » quod tum Davidi nihil proderat, nulla evadendi spe, nisi Deus succurreret. « Venter meus: » interiora mea; et ita semper.

12 « Super omnes... » Apud Hier. Coram adversariis. Sic ludibrio fuit inimicis; et, qui est miseriarum cumulus, horrori familiaribus. « Qui videbant me foras: » qui videbant me in plateis, fugiebant a me: Hier. Vulgus omne me fugiebat, ne infortunii mei veluti contagio lederetur.

13 « Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde: » a corde tanquam mortuus; penitus excidi animis, ut solent mortui. « Tanquam vas perditum: » ex quo effluunt omnia: ipse confractus ac vilissimæ testæ loco habitus. « Audivi vituperationem multorum. » Sic fit: infortunati, etiam mali et imprudentes habentur. Vide a v. 11. varios miseriæ gradus. 1. ipse infirmus. 2. inimicis probro habitus. 3. etiam vicinis. 4. horrori notis. 5. a vulgo desertus.

Audivi enim opprobrium multorum, congregatione in circuitu, dum inirent consilium adversum me, et ut auferrent animam meam cogitaverunt.

Ego autem in te peravi, Domine; dixi, Deus meus es tu.

In manu tua tempora mea; libera me de manu inimicorum meorum, et persequentium me.

Ostende faciem tuam super servum tuum: salva me in misericordia tua.

Domine, ne confundar, quoniam invocavi te: confundantur impii, taceant in inferno.

Muta fiant labia mendacii: quæ loquuntur contra justum dura, in superbia et despectione.

Quam multa est bonitas tua, quam abscondisti timentibus te!

Operatus es sperantibus in te; in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in protectione vultus tui a duritia viri; abscondes eos in umbra a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, quoniam mirabilem fecit misericordiam suam mihi, in civitate munita.

Ego autem dixi in stupore meo; projectus sum de conspectu oculorum tuorum.

14. Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

15. Ego autem in te speravi, Domine: dixi, Deus meus es tu:

16. In manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.

17. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua:

18. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii et deducantur in infernum. 19. Muta fiant labia dolosa;

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.

20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

22. Benedictus Dominus; quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ: projectus sum a facie oculorum tuorum.

6. oblivioni traditus. 7. rerum omnium inops. 8. omnium judicio condemnatus, ipso quoque audiente: quæ omnia contingunt, irato rege: tamen inde expeditus: quæ Dei potentia ac beneficentia est.

16 « Sortes meæ: » tempora mea: Hier. Antiquæ interpretationes apud Theodor. *xairoi* tempora; pro quo 70. *xluroi*: sortes. Tempora autem dicit sive prospera, sive adversa.

18 « Deducantur: » taceant in inferno: Hier. moriantur.

19 « In abusione. » despectione. Idem.

20 « Quam abscondisti: » quam in mediis calamitatibus reservasti. « Perfecisti: » repete quam « dulcedinem. In conspectu filiorum: » tanta est illa dulcedo, ut etiam aliis hominibus appareat.

21 « In abscondito faciei tuæ, » in secreto, ubi faciem benignam, id est, favorem tuum tuis exhibes. « A contradictione linguarum; » a linguis maledicis.

22 « In civitate munita. » Tam tutum me præstitisti, ac si essem in civitate munita.

23 « In excessu mentis meæ: *en té exstases mou* 70. Mentis; » additum: quod aliter latinus sermo *exstasin* exprimere non possit, nisi mentis excessum: Hier. Epist. ad Sun. Ubi etiam testatur in latinis olim codicibus lectum: « in pavore meo: In Hebr. autem haberi, in stupore et admiratione. Eadem vox hebrea habetur Psal. cxv. ubi Vulg. simpliciter vertit, in excessu: utrobique Hier. in stupore: qui idem fere sonat ac mentis excessum, rapto animo extra se, propter vehementiam admirationis. Et certe versus sequentes sunt rapidissimi et concitatisssimi motus, quem recte expressit Hier. Alii ex Hebr. simpliciter, dum festinarem: a facie Saulis, scilicet, Frigidius: ut videtur, quam hic locus poscat. « Projectus sum: » inde

Ergone audisti vocem deprecationis meæ : cum clamarem ad te ?

Diligite Dominum, omnes sancti ejus : fideles servat Dominus : et retribuet his qui satis operantur superbiam.

Confortamini, et roboretur cor vestrum, omnes qui expectatis Dominum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

24. Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

25. Vigiliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

PSALMUS XXXI. DEPRECATORIUS.

David æger, ut videtur, ac petens veniam, gratias agit pro remissione peccatorum, atque a Deo doctus, seque et alios ad meliora convertit.

v. s. h. — *David eruditio.*

Beatus cui dimissa est iniquitas, et absconditum est peccatum.

Beatus homo, cui non imputavit Dominus iniquitatem : nec est in spiritu ejus dolus.

Quia tacui, attrita sunt ossa mea; in rugitu meo tota die.

Die enim et nocte gravatur super me manus tua; versatus sum in miseria mea, cum exardesceret æstas jugiter.

Peccatum meum notum faciam tibi; et iniquitatem meam non abscondi.

Dixi : Confitebor scelus meum Do-

v. v. — 1. *Ipsi David intellectus.*

1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci; et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitebor adversum me in-

angor maximus, quod se a Deo abjectum putaret. « Ideo exaudisti; » ergone exaudisti ? Hier. Quod est admirantis, et huic loco magis congruit.

24 « Veritatem requiret Dominus : » fideles servat : Hier. « Facientibus superbiam ; » superbe agentibus.

1 « Intellectus : » eruditio : Hier. Quo titulo, ubi occurrit, admonemur aliquid esse in Psalmo altius inquirendum considerandumque, præsertim ad informandos mores, ut patet ex v. 8, 9. Hic ergo intelligenda in morbis pœna peccati ; in solutione morbi, remissio peccatorum aliaque ad hunc locum spectantia. « Remissæ... tecta... » Notandæ variæ voces de remissione peccatorum. Ablata dicuntur, translata, occultata, non imputata, lota, purgata, deleta, quæ eodem omnia recidunt.

2 « In spiritu ejus dolus. » Nec aliis, nec sibi imponit ipsi, ut solent, ficta pœnitentia, nec ad vivum penetrante.

3 « Tacui : » peccata mea, de quibus supra, quo silentio pejus habuit. Nam ut præclare Tertul. lib. de Pœnit. « Quantum confessio peccata levat, tantum dissimulatio exaggerat. Inveteraverunt ossa mea ; » attrita sunt ; Hier. Vires consumptæ sunt clamoribus continuis quibus de ægritudine queror : vide infra 5.

4 « Conversus sum in ærumna : » versatus sum in miseria mea : Hier. hac et illac jactatus. « Dum configitur spina : » dolores acutissimi : ad hæc stimuli conscientiæ. At Hebr. versus est succus meus in siccitates æstivas, id est, morbo contabui, ut æstu gramina.

5 « Delictum : » quo gravabar. « Cognitum tibi feci : » confessus sum. Ea mente fui, ut sponte confiterer etiam si ignorares, tanta tui fiducia inerat. « Dixi : Confitebor : » cum ægritudinem deplorarem, ac de peccatis tacerem, sup. v. 3. manus me tua opprimebat : ubi vox confitentis erupit, tu dimisisti, etc. « dixi, Confitebor... et tu remisisti. » Re nondum expleta, ipso proposito confitendi, inflexus es ad veniam ; « audiens vocem confessionis in corde, antequam voce proferretur. » Aug.

mino; et tu misisti iniquitatem peccati mei.

Pro hac orabit omnis misericors ad te : tempus inveniens, ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.

Tu es protectio mea, ab hoste custodies me, laus mea salvans : circumdabis me. Semper.

Docebo te, et monstrabo tibi viam per quam ambules; cogitabo de te oculo meo.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non accedunt ad te.

Multi dolores impii; confidentem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exultate, justi, et laudate eum, omnes recti corde.

justitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me : exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

8. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

9. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10. Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11. Lætamini in Domino et exultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde.

PSALMUS XXXII. LAUDIS AC SPEI.

Fideles hortatur ad laudandum alacriter creatorem omnium, ac præsidem et custodem Deum. Plane sine titulo in Hebræo.

V. S. H.

Laudate, justi, Dominum, rectos decet laudatio.

Confitemini Domino in cithara; in psalterio decachordo cantate ei.

V. V. — *Psalmus Davîd.*

1. Exultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio.

2. Confitemini Domino in cithara; in psalterio decem chordarum psallite illi.

6 « Pro hac : » pro hoc; femin. pro neutro : notus hebraismus : vide Ps. XXVI. 4. « Omnis sanctus. » Nota preces pro ægrotis in cœtu fidelium. « Verumtamen : » ideo : eo quod sancti pro me orent. « Non approximabunt; » aquæ scilicet de quibus sermo, id est, calamitates.

7 « A tribulatione... » ab hoste custodies me : Hier.

8 « Intellectum tibi dabo : » docebo : Idem. In morbis scilicet, in calamitatibus, quibus vel maxime erudimur. Deus hic inducitur loquens, ac precibus afflicti hominis respondens. « Firmabo super te oculos meos; » te attente aspiciam, ut consulam calamitati tuæ.

9 « Nolite fieri sicut equus et mulus. Homo enim cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. » Ps. XLVIII. 13. Rebus prosperis inflatus, ac belluino more insolescens, morbis et calamitatibus fractus, meliora docetur. « In camo et fræno, » eo quod calamitatibus frænantur cupiditates. « Maxillas eorum constringe; » vi comprime, atque adige ad te, Domine, eos qui verbis tuis non moventur.

10 « Flagella : » dolores : Hier. Multis doloribus, calamitatibus, morbis, impius coercetur ac punitur.

1 « Rectos decet collaudatio. Peccatori » enim « dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? » Ps. XLIX. 16. « Nec est speciosa laus in ore peccatoris. » Eccli. XV. 9.

2 « In cithara : cinnor, » Hebr. unde cinyra instrumentum musicum. « Psalterio : » Nablio : « Nebel, » Hebr. et ita passim.

Cantate ei canticum novum; diligenter psallite in jubilo.

Quoniam rectum est verbum Domini, et omne opus ejus in fide.

Diligit justitiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis ornatus eorum.

Congregans quasi in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra; ipsum formident universi habitatores orbis.

Quia ipse dixit, et factus est; ipso præcipiente stetit.

Dominus dissolvit consilium gentium, irritas facit cogitationes populorum.

Consilium Domini in æternum stabit, cogitationes cordis ejus in generatione et generatione.

Beata gens, cujus Dominus Deus ejus; populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios Adam.

De firmissimo solio suo perspexit ad universos habitatores terræ.

Fingens pariter cor eorum, intelligens omnia opera eorum.

3. Cantate ei canticum novum; bene psallite ei in vociferatione.

4. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.

5. Diligit misericordiam et judicium; misericordia Domini plena est terra.

6. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

8. Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

10. Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

12. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus : populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

13. De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.

15. Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.

3 « Psallite... in vociferatione : » in jubilo : Hier. illud, « psallere, » est fides tangere; vociferari autem, seu jubilare, est vocem comitem addere.

4 « In fide : » fideliter implet promissa.

5 « Diligit misericordiam : » justitiam : Heb.

6 « Verbo Domini. » Est Dominus et Verbum et Spiritus; sanctaque Trinitas mystice adumbrata. « Firmati sunt : » facti sunt : Hebr. « Virtus eorum : » ornatus : Hier. exercitu : Hebr. Sabaa : sic passim vocantur sidera.

7 « Congregans sicut in utre. » Alludit ad illud : « Congregentur aquæ in locum unum : » Gen. 1. 9. « Ponens in thesauris abyssos : » profunda maris imperscrutabilia, tanquam in penu sua habens.

8 « Ab eo... commoveantur : » ipsum formident : Hier.

9 « Ipse dixit ... ipse mandavit : » at Hier. ex Hebr. Ipse dixit, et factus est : (orbis scilicet) ipso præcipiente stetit, quo significetur, Deo jubente, res et primitus factas, et postea conservatas.

10 « Et reprobat consilia principum : » deest Hier. Sed hic ut et alibi, sæpe Hebræus ex 70 supplendus videtur.

11 « Consilium... Domini in æternum : » consilia hominum fluxa; Dei firma et æterna sunt.

13 « De cœlo respexit... » Adverte graphicam descriptionem Dei ab altissimo solio res humanas intuentis.

14 « De præparato habitaculo : » firmissimo solio : Hier.

15 « Qui finxit sigillatim corda eorum : » ideo non tantum universis, sed etiam singulis intentus : unde subdit : « qui intelligit omnia opera eorum. »

Non salvatur rex in multitudine exercitus, nec fortis liberabitur in multitudine virtutis.

Fallax equus ad salutem, et in multitudine virtutis suæ non salvabit.

Ecce oculus Domini super timentes eum, ad expectantes misericordiam ejus :

Ut eruat de morte animas eorum, et vivificet eos in fame.

Anima nostra expectavit Dominum, auxilium nostrum, et clypeus noster est.

In ipso enim lætabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, sicut expectavimus in te.

16. Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

17. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus :

19. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.

20. Anima nostra sustinet Dominum; quoniam adjutor et protector noster est.

21. Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.

22. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

PSALMUS XXXIII. MORALIS.

V. S. H. — *David. Quando commutavit os suum coram Abimelech, et ejecit eum, et abiit.*

V. V. — 1. *Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum, et abiit.* (I. Reg. 21.)

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea, audient mites, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus pariter.

Quæsivi Dominum, et exaudivit me, et de omnibus angustiis meis liberavit me.

Aspicite ad eum et confluite, et vultus vestri non confundentur.

Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit, et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

2. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

3. In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti et lætentur.

4. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

5. Exquisivit Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.

7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

16 « Per multam virtutem : » in multitudine exercitus : Hier. « Gigas : » Potens : Hebr. « Virtutis : » roboris : Hebr. ita et ℣. 17. Sensus est : quid validius, quam rex ingentibus cinctus copiis; ipse fortis ac prævalido corpore? Et tamen nec sic satis tutus.

17 « Fallax equus ad salutem : » ad expediendum equitem, vires ei præter spem suppetunt. « Non salvabitur : » salvabit : Hier. Non liberabit equitem, licet eo maxime in bello confidentem. Sic Prov. XXI. 31. « Equus paratur ad diem belli; Dominus autem salutem tribuit. »

1 « Cum immutavit vultum suum : » insanum se finxit. « Coram Achimelech : » Abimelech : Hebr. sed omnino Vulgata præstat. Hæc enim egit David coram Achis rex Geth : habetur hæc historia I. Reg. XXI. 13. David ergo a tanto periculo liberatus, innocentiæ custodem Deum et iniquitatis ultorem acerrimum prædicat. Psalmus hic est acrosticus.

4 « In idipsum : » pariter

6 « Accedite. . facies vestræ : » Hebr. sic invertit : aspiciant ad eum, et facies eorum non confundentur.

Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum, et eruet eos.

Gustate et videte quoniam bonus Dominus; beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum, sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum.

Leones indiguerunt, et esurierunt; quærentibus autem Dominum non deerit omne bonum.

Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Quis est vir qui velit vitam, diligens dies videre bonos?

Custodi linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

Recede a malo, et fac bonum; quære pacem, et persequere eam.

Oculi Domini ad justos, et aures ejus ad clamores eorum.

Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt, et Dominus exaudivit, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justi, et ex omnibus illis liberabit eum Dominus.

Custodit omnia ossa ejus, unum ex eis non confringetur.

Interficiet impium malitia, et odientes justum culpabuntur.

Redimet Dominus animas servorum suorum, et non peccabunt omnes sperantes in eo.

8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo.

10. Timete Dominum, omnes sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum.

11. Divites egucrunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

13. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

14. Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

15. Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam.

16. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.

17. Vultus autem Domini super facientes mala; ut perdat de terra memoriam eorum.

18. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.

20. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.

21. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

22. Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum, delinquent.

23. Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.

8 « Immittet .. in circuitu. » Circumdat : Hier. Castra metabitur : Hebr. et 70.

11 « Divites : » Leones : Hebr. id est, rapaces, violenti, qualis Saul et Philisthæi quorum e manibus ereptus est David.

13 « Dies videre bonos ? » beatos, fortunatos dies ad videndum bonum : Hebr.

17 « Vultus Domini : » id est, ira, ut sæpe videmus.

18 « Clamaverunt justi : » deest « justi » Heb. sed recte suppletum ex antecedentibus.

19 « Iis, qui tribulato sunt corde : » contritis corde : Hier. afflictis ac mœrentibus.

21 « Omnia ossa eorum : » artus omnes, et artuum substentacula ; quare undique, et ab omni ictu tutus.

22 « Mors peccatorum... » Interficiet impium malitia : Hier. ut non modo male pereant, sed etiam ipsi sibi accersant interitum.

23 « Non delinquent : » non deficient, non vastabuntur ; Hebr.

PSALMUS XXXIV. DEPRECATORIUS.

David insidiis et calumniis impetitus, cum Saulem et alios inimicos nec patientia, nec fusis pro illis precibus lenire posset, non tamen ulciscitur, sed Deum implorat judicem, quæ omnino congruunt ei loco, ubi David in spelunca delitescens, Sauli pepercit, oram chlamydis præcidit. I. Reg. XXIV. 5.

v. s. h. — *David.*	v. v. — *Ipsi David.*
Judica, Domine, adversarios meos pugna contra impugnantes me.	1. Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.
Apprehende scutum et hastam, et consurge in auxilium meum.	2. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi.
Evagina gladium, et præoccupa ex adverso persequentem me; dic animæ meæ: Salus tua ego sum.	3. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me; dic animæ meæ: Salus tua ego sum.
Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam.	4. Confundantur et revereantur, quærentes animam meam.
Convertantur retrorsum, et confundantur, qui cogitant malum mihi.	Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.
Fiant sicut pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini impellat.	5. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.
Sit via eorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequatur eos.	6. Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.
Quia frustra absconderunt mihi insidias retis sui, sine causa foderunt animæ meæ.	7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui; supervacue exprobraverunt animam meam.
Veniat ei calamitas quam ignorat, et rete suum quod abscondit comprehendat eum, et cadat in laqueum.	8. Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat eum; et in laqueum cadat in ipsum.
Anima autem mea exultabit in Domino, et lætabitur in salute sua.	9. Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.

1 « Judica..., nocentes me: » litiga cum litigantibus meum: Hebr. causam meam in Saulem et adversarios suscipe. Quæ sane eo pertinent, ut ultionem permittat Deo, ipse a vindicta purus. Sic enim Saulem alloquitur: « Judicet Dominus inter me et te: manus autem mea non sit in te. » Et iterum: « Sit Dominus judex, et judicet inter me et te: videat et judicet causam meam, et eruat me de manu tua. » I. Reg. XXIV. 13, 16. quæ omnino huic loco congruunt.

2 « Apprehende arma et scutum: » scutum et hastam: Hier. quo et me tuearis, et ulciscaris hostes: Deus enim pro eo militat, qui ultionem illi, non sibi, tribuit.

3 « Effunde frameam: » evagina gladium: Hier. expedi lanceam: Hebr. « et conclude: » et præoccupa, etc. Hier. quod est egregie pugnantis, et præverteatis ictus. « Dic animæ meæ: » intus, arcana illa spiritus voce.

5 6 « Et Angelus Domini... » Horrenda via! Tenebras solas quis non horreat? lubricum solum quis non paveat? in tenebris et lubrico qua is? ubi pedem figis? » Aug. (in hunc Ps. serm. I, n. 9.) Et instat præterea: « Angelus Domini, » malus, ut puto: « ut non possint stare. » Idem. Morali sensu: « tenebræ, » ignorantia: « lubricum, » luxuria. Idem. Præter incentiva vitiorum, tentator urget, nec quiescere sinit.

7 « Gratis ... supervacue: » sine causa, non lacessiti: eadem utrobique vox: Hebr. « Interitum laquei sui: » laqueum suum exitialem. « Exprobraverunt animam meam: » foderunt animæ meæ: Hier. insidiati sunt: Ch.

8 « Laqueus: » Calamitas: Hier.

Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tui ? eripiens inopem a validiore, et pauperem et mendicum a violento.

Surgentes testes iniqui, quæ nesciebam interrogabant me.

Reddebant mihi mala pro bono ; sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum infirmarer ab eis, induebar cilicio ; humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum revertetur.

Quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam ; quasi lugens mater, tristis incurvabar.

Et in infirmitate mea lætabantur et congregabantur ; collecti sunt adversum me percutientes, et nesciebam, scindentes, et non tacentes.

In simulatione verborum fictorum, frendebant contra me dentibus suis.

Domine, quanta videbis ? converte animam meam a calamitatibus suis, a leonibus solitariam meam.

Confitebor tibi in ecclesia grandi ; in populo forti laudabo te.

Non lætentur super me inimici mei mendaces ; odientes me frustra conniventes oculo.

Non enim pacem loquuntur, sed

10. Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum.

11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

12. Retribuebant mihi mala pro bonis ; sterilitatem animæ meæ.

13. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

14. Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam ; quasi lugens et contristatus, sic humiliabar.

15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt ; congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

16. Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me ; subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.

17. Domine, quando respicies ? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

18. Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

20. Quoniam mihi quidem pacifice

10 « Omnia ossa mea : » totis viribus et ex intimis medullis dicam.

12 « Sterilitatem : » orbitatem : Hebr. ut me orbum et inopem facerent.

13 « Cum mihi molesti essent. » Congruit Hier. Hebr. Ch. Syr. Cum ipsi infirmarentur, cum vehementissime laborarent, non gravavi oppressos ; quin potius ad preces me contuli, pro ipsis quoque Deo supplicans, ut docent sequentia. « Oratio mea in sinu meo... » in sinum meum revertebatur : Hier. secretas fundebam preces ; vel, ea ipsis imprecabar, quæ mihi evenire optarem ; sic enim agebat. Vide v. seq. vide etiam Præf. cap. I. n. 13.

14 « Quasi proximum. » quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum, sic ambulabam, etc. Hier. Nihil mali cogitans adversus malos, imo fausta omnia ut amicis, ut fratribus, evenire optans. « Quasi lugens : » quasi lugens matrem, tristis incurvabar : Hier. Tanta inerat caritas erga infensos quosque, ut etiam laborantes æque lugeret ac matrem.

15 « Et adversum me... » et in infirmitate mea, etc. ut apud Hier. usque ad v. 17. (scindentes, et non tacentes, etc., ex Hier.) proscindentes me contumeliis, neque id clam habentes ; quippe professi odium, interdum tamen blanda simulantes, sed insultantium more.

17 « A malignitate eorum : » a calamitatibus suis : Hier. « Unicam meam : » animam.

18 « In ecclesia magna. » Recte : dignus piorum cœtibus, qui nemini machinatur malum ; omnes, atque etiam adversarios, fraterna caritate complexus. « In populo gravi ; » denso, multo

19 « Qui adversantur... » inimici mei mendaces : Hier. « Annuunt oculis : » sic ille deceptor Prov. VI. 13, 14. « annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum ; » multis interim sinceræ familiaritatis indiciis.

20 « Quoniam mihi quidem... » non enim pacem loquuntur : Hier. « Et in iracundia terræ : » Hier. in rapina terræ : « Dolos cogitabant ; » fraudulenta verba concinnant, idem : ita se ge-

in rapina terræ, verba fraudulenta concinnant.

Et dilataverunt super me os suum, dixerunt : Vah, vah, vidit oculus noster.

Vidisti, Domine, ne taceas ; Domine, ne elongeris a me.

Consurge et vigila in judicium meum : Deus meus et Dominus meus, in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et ne insultent mihi.

Nec dicant in corde suo : Vah animæ nostræ : nec dicant : Absorbuimus eum.

Confundantur et revereantur pariter qui lætantur in afflictione mea, induantur confusione et verecundia, qui magnificantur super me.

Laudent et lætentur qui volunt justitiam meam : et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui vult pacem servi sui.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

loquebantur, et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

21. Et dilataverunt super me os suum ; dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri.

22. Vidisti, Domine, ne sileas : Domine, ne discedas a me.

23. Exurge et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam.

24. Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi.

25. Non dicant in cordibus suis. Euge, euge, animæ nostræ ; nec dicant : Devoravimus eum.

26. Erubescant et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.

27. Exultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

28. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

PSALMUS XXXV. MORALIS.

Impiorum, qualis erat Saul, profunda malitia ; Dei profunda judicia in malos, et eximia in bonos misericordia.

v. s. II. — *Pro Victoria, servo Domini David.*

Dixit scelus impii in medio cordis ejus, non esse timorem Dei ante oculos ejus.

Quia dolose egit adversus eum in oculis suis ; ut inveniret iniquitatem ejus ad odiendum.

Verba oris ejus iniquitas et dolus : cessavit cogitare benefacere.

v. v. — 1. *In finem, servo Domini ipsi David.*

2. Dixit iujustus ut delinquat, in semetipso ; non est timor Dei ante oculos ejus.

3. Quoniam dolose egit in conspectu ejus ; ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

4. Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere ut bene ageret,

ruant, ita dolose agunt, ut solent iracundi terræ, rapaces violentique homines, qui in terra passim occurunt. Alii ex Hebr. sic : super quietos terræ verba dolosa excogitant.

21 « Euge, euge : » quod est adhortantis, tanquam seipsi ad scelera adhortentur : alii, vah, vah ; quod est indignantis et insultantis.

26 « Erubescant et revereantur : » pudefiant. « Reverentia : » ignominia ; qua de re vide Præf. cap. I. n. 14. et in Ps. VI. 11.

2 « Dixit injustus : » impius. « Ut delinquat, in semetipso : » dixit in semetipso ut delinquat ; destinata malitia machinatur scelus.

3 Quoniam dolose... dolose egit adversus eum (Deum) in oculis suis : Hier. Sibi blanditur, quasi Deo ipsi possit imponere. « Ut inveniatur... ejus ad odium. » Ita ut odiosa fiat iniquitas ejus : nulla excusatione, cum non animi impotentia, non ignorantia, non fragilitate naturæ, aut humana alia infirmitate peccet, sed deliberato consilio ac malitia mera : unde sequitur :

Iniquitatem cogitat in cubili suo, stabit in via non bona; malum non abjiciet.

Domine, in cœlo misericordia tua; fides tua usque ad nubes.

Justitia tua quasi montes, Domine, judicia tua abyssus multa; hominem et jumentum salvos facies Domine.

Quam pretiosa est misericordia tua, Domine! et filii Adam in umbra alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos.

Quoniam tecum est fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen.

Attrahe misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam rectis corde.

Non veniat mihi pes superbiæ, et manus impiorum ne me commoveat.

Ibi ceciderunt operantes iniquitatem; expulsi sunt, et non potuerunt surgere.

5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit.

6. Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.

7. Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis, Domine:

8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus!

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

11. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

PSALMUS XXXVI. MORALIS.

Dei auxilio tutis impiorum non invidenda felicitas. Acrosticus.

V. S. H. — *David.*

Noli contendere cum malignis, ne-

V. V. — *Psalmus ipsi David.*

1. Noli æmulari in malignantibus,

5 « Iniquitatem meditatus est in cubili suo. » Non diu, non noctu ab iniquitate desistit, nec impetu quodam abreptus, sed dedita opera: talis videtur fuisse Saul, invidia datus in reprobum sensum.

6 « Domine in cœlo misericordia tua. » Hominis profundæ malitiæ opponit Dei infinitatem bonitatem: ac postea, justitiam. « Veritas tua: » fides in promissis, atque adeo in minis. « Usque ac nubes » extollitur, omnibus conspicua.

7 « Justitia tua sicut montes Dei: » sicut montes excelsissimi, sic eminet suo tempore ac loco; sed interim, « Judicia tua abyssus: » justitia quidem eminet; modus autem exequendæ justitiæ comprehendi non potest: consilia enim tua per arcana et inaccessa se evolvunt: sic Saulem intemperiis agi, ac reprobum licet, diutissime regnare sinis. « Homines et jumenta: » etiam ad bruta providentia tua se extendit, idque hominum gratia, quibus utilia sunt.

8 « Quemadmodum multiplicasti! » Admirantis et exclamantis: unde Hier. quam pretiosa misericordia tua! quam dives, cum etiam ad jumenta perveniat: quanto magis ad homines: unde subdit: « Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum... » singulari præsidio tuti, quod pertinet ad securitatem, sequentia vero ad copiam.

9 « Inebriabuntur... et torrente voluptatis... » exundantibus bonis, amore tuo delectabuntur, prævio quidem lumine veritatis, hinc subjicit:

10 « In lumine tuo videbimus lumen: » a te illuminati, æternæ veritatis lumen videbimus, ut Ps. CXVIII, 18. « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia, etc. » 37. In via tua vivifica me: 144. « Intellectum da mihi, et vivam. »

12 « Pes superbiæ: » Non accedant ad me superbi. Sic, « Quam pulchri pedes evangelizantium pacem!... » Isa. LII, 7.

13 « Ibi ceciderunt, » quo me impellebant; in immanem ruinam. Sic Sauli contigit. « Nec potuerunt stare: » surgere; Hier. immedicabiliter corruent.

1 « Noli æmulari. » Ne succenseas improbis. Ne æmuleris iniquos; Hebr.

que æmuleris facientes iniquitatem.

Quoniam sicut herba velociter conterentur, et sicut olus viride marcescent.

Spera in Domino, et fac bonum, peregrinare in terra, et pascere fide; et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

Volve super Dominum viam tuam et confide in eo, et ipse faciet.

Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem.

Tace Domino, expecta eum, noli contendere adversus eum qui proficit in via sua, adversum virum qui facit quæ cogitat.

Dimitte iram, et derelinque furorem, noli contendere ut malefacias.

Quoniam qui malefaciunt, interibunt; expectantes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Adhuc enim modicum, et non erit impius, et cogitabis de loco ejus, et non subsistet.

Mites autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

Cogitat impius de justo, et frendet adversum eum dentibus suis.

Dominus deridebit eum, videns quod veniat dies ejus.

Gladium evaginaverunt impii, intenderunt arcum suum, ut percutiant egenum et pauperem, et interficiant rectos in via:

Gladius eorum ingrediatur in cor

neque zelaveris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tanquam fœnum, velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.

3. Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.

6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem:

7. Subditus esto Domino, et ora eum.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.

8. Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari ut malligneris.

9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

10. Et adhuc pusillum, et non erit peccator, et quæres locum ejus, et non invenies.

11. Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

12. Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.

13. Dominus autem irridebit eum quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

14. Gladium evaginaverunt peccatores; intenderunt arcum suum.

Ut dejiciant pauperem et inopem; ut trucident rectos corde.

15. Gladius eorum intret in corda

3 « Pasceris in divitiis... » pascere fide; veritate Hier. Nutri te ea, memor Dei tibi terram polliciti, pluviam ac teracitatem pro tua pietate tribuentis.

4 « Delectare in Domino... » Hoc illud est, fide pasci, atque ejus amore frui, nec metu pœnæ agi, sed amore ac delectatione justitiæ, nec coacte, sed sponte, quod est delectari: hoc autem est in potestate, aspirante Dei gratia, unde jubet: « delectare et dabit tibi petitiones... » amanti scilicet, ejusque veritate ac bonitate se oblectanti.

5 « Revela... » Sic. Ch. At Hier. Volve super Dominum viam tuam. Ejus lege, tanquam cardine innitatur vita tua.

6 « Et educet quasi lumen... » pietate tua, Deique de te judicio explendesces.

7 « Subditus esto Domino: » tace Domino; Hier. Quod est obedientis, nec usquam obloquentis. « Ora: » expecta: Idem: quod est etiam orantis, sperantis, patientis. « Noli æmulari: » ne succenseas; ne invideas; ut supra. « Injustitias: » versutias, dolum, Hebr.

8 « Desine ab ira... » qua velut Deo succenses, et in malos prospere agentes furis. « Noli æmulari: noli contendere, etc. Hier. « Ut malligneris: » malefacias; Hier.

10 « Adhuc pusillum, et non erit peccator: » Mon nto disperditus.

11 « Mansueti: » mites; Hier. « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Matth. v. 4.

14 « Rectos corde: » rectos in via: Hier.

eorum, et arcus eorum confringantur.

Melius est parum justo, quam divitiæ peccatorum multæ.

Quoniam brachia impiorum confringentur; sublevat autem justos Dominus.

Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum æterna erit.

Non confundentur in tempore malo et in diebus famis saturabuntur.

Quia impii peribunt, et inimici, Domini gloriantes ut monocerotes, consumentur; sicut fumus consumentur.

Fœnus accipit impius, et non reddit; justus autem et donat, et tribuit.

Quia qui benedicti fuerint ab eo, hæreditabunt terram, et qui maledicti, interibunt.

A Domino gressus viri firmantur, et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non allidetur, quia Dominus sustentat manum ejus.

Puer fui, siquidem senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem.

Tota die donat et commodat, et semen ejus in benedictione.

Recede a malo, et fac bonum, et inhabita in sempiterno.

Quia Dominus diligit judicium et non derelinquet sanctos suos, in æternum custoditi sunt, et semen Impiorum peribit.

Justi hæreditabunt terram, et inhabitabunt in seculum super eam.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ejus; non deficient gressus ejus.

ipsorum, et arcus eorum confringatur.

16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

17. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.

18. Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit.

19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur : 20. Quia peccatores peribunt :

Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient.

21. Mutuabitur peccator et non solvet; justus autem miseretur et tribuet.

22. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.

23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.

24. Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.

25. Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26. Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.

27. Declina a malo, et fac bonum et inhabita in seculum seculi.

28. Quia Dominus amat judicium et non derelinquet sanctos suos; in æternum conservabuntur.

Injusti punientur, et semen impiorum peribit.

29. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in seculum seculi super eam.

30. Os justi meditabitur sapientiam, et linguâ eius loquetur judicium.

31. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

18 « Novit Dominus : » approbavit, ut sæpe.

20 « Mox ut honorificati... » Sicut pretiosi agni deficient; in fumo deficient : Hebr. sicut gloria vervecum, qui primum impinguantur, tandem jugulantur : Ch. Allusio ad victimas. In fumo autem velut assati et combusti, victimarum instar.

22 « Benedicentes .. maledicentes. » Benedicti ab eo... maledicti : Hier. a Deo scilicet.

23 « Apud Dominum : » coram Domino ; melius, a Domino : Hier.

24 « Supponit manum suam : » sustentat manum ejus : Hier. Eodem sensu.

28 « Injusti punientur : » deest Hebr.

30 31 « Meditabitur sapientiam... » Lex Dei et in ore ejus et in corde versabitur.

Considerat impius justum, et quærit ut occidat eum.

Dominus non derelinquet eum in manu ejus, et non condemnabit eum, cum judicatur.

Expecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te ut possideas terram; cum interibunt impii, videbis.

Vidi impium robustum, et fortissimum, sicut indigenam virentem.

Et transivi, et ecce non erat, et quæsivi eum, et non est inventus.

Custodi simplicitatem, et vide retum; quia erit ad extremum viro pax.

Prævaricatores autem delebuntur pariter, et novissimum impiorum peribit.

Salus autem justorum a Domino; fortitudo eorum in tempore tribulationis.

Et auxiliabitur eis Dominus, et liberabit eos, eruet eos ab impiis, et salvabit eos; quia speraverunt in eo.

32. Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus; nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

34. Expecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te ut hæreditate capias terram; cum perierint peccatores videbis.

35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.

36. Et transivi, et ecce non erat, et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

38. Injusti autem disperibunt simul; reliquiæ impiorum interibunt.

39. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.

40. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

PSALMUS XXXVII. DEPRECATORIUS.

Absalomo persequente, amicis palam deficientibus, Dei ultionem agnoscit, seque gravissimis peccatis, ut morbo et ulceribus, confectum. Itaque ad ejus misericordiam confugit.

V. S. H. — *Canticum David, in commemoratione.*

Domine, ne in ira tua arguas me; neque in furore tuo corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et tetigit me manus tua.

V. V. — 1. *Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.*

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3. Quoniam sagittæ tuæ infixe sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

32 « Mortificare: » occidere: Hier.

33 « Cum judicabitur illi: » ab illo impio; deest « illi » Hebr. licet ab impio judicetur, non tamen a Domino damnabitur.

35 « Vidi impium... » Vidit enim David finem regni Saulis, tyrannidis Absalomi, finem Naasi Ammonitæ, Goliath Philisthæi, Doeg Idumæi et aliorum Theodor. « Cedros: » alii laurum virentem.

36 « Et transivi, et ecce non erat. » Vix transieram admirans, et jam non comparebat, tam repente succisus. « Locus ejus » deest Hier.

37 « Sunt reliquiæ... » Multa supererunt, sunt futura homini pacifico: Theodot. apud Theodor. Erit ad extremum viro pax: Hier.

38 « Reliquiæ impiorum: » Novissimum impiorum: Hier. quæ sibi tanquam in tuto reservaverant.

1 « In rememorationem: » ad commemorandum: Hebr. supple beneficium liberatoris Dei.

3 « Confirmasti: » aggravasti.

Non est sanitas in carne mea a facie indignationis tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccati mei.

Quoniam iniquitates meæ transierunt caput meum; quasi onus grave aggravatæ sunt super me.

Computruerunt, et tabuerunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

Afflictus sum et incurvatus sum nimis; tota die marens ambulavi.

Quoniam lumbi mei repleti sunt ignominia, et non est sanitas in carne mea.

Evigilavi, et afflictus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, in conspectu tuo omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum fluctuabat, dereliquit me fortitudo mea, et lux oculorum meorum etiam ipsa non est mecum.

Cari mei et amici mei quasi contra lepram meam steterunt, et vicini mei longe steterunt.

Et irruebant quærentes animam meam, et investigantes mala mihi, loquebantur insidias, et dolos tota die meditabantur.

Ego autem quasi surdus non audiebam, et quasi mutus non aperiens os suum.

4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

6. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ: a facie insipientiæ meæ.

7. Miser factus sum et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.

10. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

12. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt.

13. Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

5 « Iniquitates meæ. » Ex his et seq. patet Davidem post lapsum loqui.

6 « A facie insipientiæ: » propter peccatum meum, quæ miseranda insipientia fuit.

7 « Usque in finem: » nimis: Hier. id est admodum: et ita passim.

8 « Illusionibus: » ignominia: Hier. fœdo ulcere, cui peccata comparat. Ilia mea plena sunt ardore: Hebr. dolore vehementi.

11 « Conturbatum est: » Fluctuabat: Hier. desertus ab omnibus; incertus quid consilii caperem. Palpitat, pavore scilicet. Hebr. « Dereliquit me virtus mea: » animi fortitudo, cum Absalomum fugeret. « Lumen oculorum... » Tenebræ pro mœrore, quæ omnia etiam ad peccatum pertinent, fluctuante primum animo ex tentatione vehementi, tum deficiente prisca virtute, ac prævalente libidine, animo denique tenebris merso, suique oblito. Sic David in adulterium atque homicidium actus, vix evigilavit, etiam a Propheta monitus.

12 « Amici mei... » Nullum tempus est post lapsum Davidis, cui hæc congruant, nisi illud, quo descivit Absalomus, transeunte in partes etiam Achitophelo intimo consiliario. « Adversum me; » quasi contra lepram meam steterunt. Theodot. apud Theodor. quod eodem recidit; sensusque est: sic a me abhorrebant, tanquam a leproso ac nefario homine; quin etiam increpabant: « vir sanguinum, vir Belial. » II. Reg. XVI. 7.

13 « Et vim faciebant... » et irruebant quærentes, etc. Hier. laqueos tetenderunt: Hebr.

14 « Tanquam surdus: » puta, cum Semei maledicceret.

Et eram quasi homo non audiens nec habens in ore suo redargutiones.

Te enim, Domine, expectabam : tu exaudies, Domine Deus meus.

Quia dixi : Ne forte insultent mihi ; et cum vacillaverint pedes mei, super me magnificentur.

Quia ego ad plagas paratus sum, et dolor meus contra me est semper.

Quia iniquitatem meam annuntio ; sollicitus ero pro peccato meo.

Inimici autem mei viventes confortati sunt, et multiplicati sunt odientes me mendaciter.

Et qui reddunt malum pro bono, adversabantur mihi ; quia sequebar bonum.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne elongeris a me.

Festina in auxilium meum, Domine salutis meæ.

15. Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones.

16. Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.

17. Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18. Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

20. Inimici autem mei vivunt ; et confirmati sunt super me, et multiplicati qui oderunt me inique.

21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

PSALMUS XXXVIII. MORALIS.

Ærumnis confectus, insidiante inimico, Saule, ut videtur : summo in vitæ discrimine, ut patet ex ℣ 5. et ultimo, linguam continet ; vitæque brevitatem ac vanitatem rerum humanarum agnoscens, in Deo acquiescit.

v. s. H. — *Pro victoria, Idithun. Psalmus David.*

v. v. — 1. *In finem, ipsi Idithun, Canticum David.*

Dixi : Custodiam vias meas, ne peccem in lingua mea : custodiam

2. Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

17 « Quia dixi : » versis ad Deum precibus.

18 « In flagella paratus sum. » Dicebat enim : « Dimitte eum » (Semei) « ut maledicat ; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David : et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit ? » II. Reg. XVI. 10. Et, « faciat quod bonum est coram se, » Ibid. XV. 26. « Dolor meus in conspectu meo semper : » non cessat, seu potius, nec cesset : ut sensus sit : ad quæcumque mala paratus sum, etiam te volente, ad perpetuum dolorem.

19 « Cogitabo pro peccato : » ad propitiandum Deum, calamitatibus æquo animo susceptis.

20 « Multiplicati : » Sic Ps. III. 1. de iisdem.

21 « Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem : » Absalomus et socii insolescebant, Davidis clementia freti.

1 « Ipsi Idithun, Canticum David : » Ambros. 1. Offic. c. 7. n. 23 « quem Psalmum » (hunc scilicet) « propheta David sancto Idithun canendum dedit. » Quod indicio est alios quoque Idithuno inscriptos, vere esse Davidis ; eumque non auctorem, sed cantorem esse ; seu, ut I. Par. XXV. 3. prophetam ad canendum Ita Theodor. et alii Patres. Quanquam si quis contenderit ab ipso Idithuno Psalmum compositum in Davidis gratiam, haud magni refert.

2 « Posui ore meo custodiam : » capistrum : Hebr. ut decet summis in calamitatibus, ne impatientia victus, in adversarios, aut etiam in Deum, temere quid effutias.

os meum silentio, donec est impius contra me.

Obmutui silentio, tacui de bono, et dolor meus conturbatus est.

Incaluit cor meum in medio mei, in meditatione mea incensus sum igni; locutus sum in lingua mea.

Ostende mihi, Domine, finem meum, et mensuram dierum meorum quæ sit, ut sciam quid mihi desit.

Ecce breves posuisti dies meos, et vita mea, quasi non sit in conspectu tuo; omnia enim vanitas; omnis homo stans. Semper.

Tantum in imagine ambulat homo, tantum frustra conturbatur; congregat et ignorat cui dimittat ea.

Nunc ergo quid expecto, Domine? præstolatio mea tu es.

Ab omnibus iniquitatibus meis libera me; opprobrium stulto ne ponas me.

Obmutui, non aperiam os meum, quia tu fecisti.

Tolle a me plagas tuas, a contentione manus tuæ, ego consumptus sum.

In increpationibus pro iniquitate corripuisti virum, et posuisti quasi tineam desiderabilia ejus; verumtamen vanitas omnis homo. Semper.

Audi orationem meam, Domine,

Posuit ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.

3. Obmutui, et humiliatus sum et silui a bonis et dolor meus renovatus est.

4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

5. Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum,

Et numerum dierum meorum quis est ut sciam quid desit mihi.

6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos; et substantia mea, tanquam nihilum ante te.

Verumtamen universa, vanitas, omnis homo vivens.

7. Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.

8. Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me; opprobrium insipienti dedisti me.

10. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. 11. Amove a me plagas tuas.

12. A fortitudine manus tuæ, ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut aranеam animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

13. Exaudi orationem meam, Do-

3 « Silui a bonis: » abstinui etiam a bonis rebus enarrandis, ne occasionem darem improbis. Quo loco Patres docant sæpe præstare silentium optimis etiam sermonibus.

5 « Numerum dierum... ut sciam » quantulum desit. Nam tot inter ærumnas, mors solatii loco.

6 « Mensurabiles: » breves. Hier. ad mensuram. « Substantia: » vita: Hier. « Universa vanitas: » omnia sunt vana *ta sumpanta*, 70. « Omnis homo vivens: » etiam et quam maxime, ipse homo.

7 « In imagine, » ut umbra, ut simulacrum; nihil veri.

8 « Substantia mea apud te est; » prestolatio mea: Hier. spes qua nitor.

9 « Dedisti me: » ne ponas me: Hier.

12 « Tabescere fecisti.. » posuisti quasi tineam desiderabilia ejus: Hier. Thesauros ejus. « Vane conturbatur: » vanitas, omnis homo: Idem.

13 « Advena ego sum... sicut omnes patres mei. » Alludit ad illud sancti Jacob: « Dies peregrinationis meæ » super terram .. Gen. XLVII. 9. Unde illud: « Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram: » Hebr. XI. 13.

et clamorem meum exaudi; ad lacrymam meam ne obsurdescas : quia advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.

Parce mihi, ut rideam antequam vadam, et non subsistam.

mine, et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.

14. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

PSALMUS XXXIX. CONSOLATORIUS, PROPHETICUS.

Ex recordatione præteritorum malorum a quibus ope divina expeditus, liberari sperat a præsentibus ærumnis gravissimis, quas pro peccatis patitur. Interim sacrificium Christi, veterum victimarum loco, futurum prænuntiat. Congruit hic Psalmus temporibus Absalomi. Certe post Davidis lapsum scriptus est, ex v. 13.

V. S. H. *Pro Victoria, Psalmus David.*

Expectans expectavi Dominum, et inclinatus est ad me, et audivit clamorem meum.

Et eduxit me de lacu sonitus, de luto cœni, et statuit super petram pedes meos, stabilivit gressus meos.

Et dedit in ore meo canticum novum, laudem Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt, et sperabunt in Domino.

Beatus vir, qui posuit Dominum confidentiam suam, et non est aversus ad superbias, pompasque mendacii.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationes tuas pro nobis, non invenio ordinem coram te.

Si narrare voluero et numerare, plura sunt quam ut narrari queant.

Victimam et oblationem non vo-

V. V. — 1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.

3. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.

4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt, et sperabunt in Domino.

5. Beatus, vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

6. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum.

7. Sacrificium et oblationem no-

14 « Priusquam abeam : » moriar. Sic Job. x. 20. « Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte me. . antequam vadam, et non revertar, etc.

2 « Expectans expectavi : » diutissime; vehementissime : quod in illa ingeminatione vocum ubique est observandum.

3 « Miseriæ : » sonitus : Hier. perstrepentibus undis; quod ad calamitates pertinere sæpe vidimus. « Direxit : » stabilivit. Idem.

5 « Non respexit : » et non est conversus ad superbos et deflectentes ad mendacium : Hebr.

6 « Cogitationibus : » cogitationes tuas, etc. Hier. Tuarum de nobis cogitationum non potest iniri ratio. « Multiplicati sunt : » multiplicatæ cogitationes; plures sunt quam ut enarrari queant, aut numerari : unde sequitur : « Annuntiavi et locutus sum... » præclare Hier. Si narrare voluero.

7 « Sacrificium.., » Tanta sunt bona filia tua, et nullis sacrificiis gratiæ referri possint : qua

luisti; aures fodisti mihi; holocaustum et pro peccato non petisti.

Tunc dixi : Ecce ego venio ; in volumine libri scriptum est de me.

Ut facerem placitum tibi ; Deus meus, volui, et legem tuam in medio ventris mei.

Annuntiavi justitiam in ecclesia multa, ecce labia mea non prohibebo ; Domine, tu nosti.

Justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei, fidem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam in ecclesia multa.

Tu, Domine, non prohibebis misericordias tuas a me ; misericordia tua et veritas tua jugiter servabunt me.

Circumdederunt enim me mala, quorum non est numerus ; comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui videre.

Plures factæ sunt quam capilli capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Placeat tibi, Domine, ut liberes me ; Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur simul, quærentes animam meam, ut auferant eam : convertantur retrorsum, et confundantur, qui volunt mala mihi.

Pereant post confusionem suam, qui dicunt mihi Vah, vah.

Gaudeant et lætentur in te omnes qui quærunt te ; dicant jugiter Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.

luisti ; aures autem perfecisti mei.

Holocaustum et pro peccato non protulisti.

8. Tunc dixi : Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me,

9. Ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei,

10. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu scisti.

11. Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam, a concilio multo.

12. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me ; misericordia tua et veritas tua : per susceperunt me.

13. Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

14. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice.

15. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge.

17. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

occasione transgreditur ad veterum abrogationem, Christum immolatum, et abrogata vetera sacrificia. Nota hic omnia sacrificiorum genera. Sacrificium pacificum ; libationem seu munus ; holocaustum, pro peccato : de quibus Levit x. etc. Tribus his versibus 7, 8, 9, Christus loquitur, Paulo teste : Hebr. x. 5. « Aures autem... » corpus autem aptasti mihi : 70. Et ita Paulus : magis ad Hebr. accedit. « Perfecisti effinxisti, formasti : ut dicto tibi audiens essem. Fodisti : Hier. tanquam mancipio, cui perforabantur aures. Exod. xxi. 6. Ch. sic interpretatur : aperuisti ut audirem : Sic. Isa. l. 5, « Dominus aperuit mihi aurem. »

9 « Voluntatem ...am ; » qua me pro omnibus victimis esse voluisti ; quam voluntatem etiam legem dixit.

10 « Annuntiavi : » Hæc et ex Davidis et ex Christi persona dicta accipi possunt. « In ecclesia magna : » ita Christus, Psalm xxi. 36. et David, Psalm. xxxiv. 18.

13 « Iniquitates... » Sic ante lapsum non loqueretur, qui fecit « rectum in oculis Domini... cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. » III. Reg. xv. 5.

16 « Ferant confestim : pereant post confusionem : Hier.

Ego autem sum egenus et pauper; Dominus sollicitus erit pro me :

Auxilium meum, et salutare meum tu es, Deus meus, ne moreris.

18. Ego autem mendicus sum et pauper ; Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.

PSALMUS XL. MORALIS.

David Absalomum fugiens, Berzellai senis et aliorum opibus recreatus est, II. Reg. XVII. 27, etc. Horum fide et liberalitate commotus, beatos prædicat, qui egentibus subveniunt : tum de calamitate sua et amicorum perfidia questus, in Deo spem collocat.

V. S. II. *Pro victoria, Psalmus David.*

Beatus qui cogitat de paupere; in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus custodiet eum, et vivificabit eum, et beatus erit in terra, et non tradet eum animæ inimicorum tuorum.

Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis; totum stratum ejus vertisti in ægrotatione sua.

Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.

Inimici mei loquentur malum mihi : quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si venerit ut visitet, vana loquetur cor ejus : congregabit iniquitatem sibi, egrediens foras, detrahet.

Simul adversum me murmurabant omnes odientes me : contra me cogitabant malum mihi.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.

3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

5. Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.

6. Inimici mei dixerunt mala mihi : quando morietur, et peribit nomen ejus?

7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, et loquebatur

8. in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi.

18 « Mendicus sum, et pauper. » Tantus rex ! humana enim vita tota inopia est.

1 « Qui intelligit : » qui cogitat de paupere : Hier. David, rex licet, domo pulsus, pedes, in deserto agebat.

4 « Stratum ejus versasti : » composuisti ad ægrum sublevandum. Sic ipsum Berzellai decrepitum, ac moribundum senem, a Deo sublevandum sperat.

6 « Dixerunt mala mihi : quando morietur ? » Imprecati sunt mala. Vide verba Semei diram necem imprecantis. II. Reg. XVI. 7.

7 « Si ingrediebatur. . » Si me invisebat, mendaciter loquebatur. « Cor ejus congregavit... » male cogitabat, blandiens licet : mox egressus foras eadem quæ solebat mala, loquebatur in me. Sic Achitophel, sic alii aulici jam Absalomo dediti, sic ipse Absalomus, « sollicitabat corda virorum Israel. Non est ; » inquit, « qui te audiat, constitutus a Rege. » II. Reg. XV. 3, 6.

8 « In idipsum ; » simul adversum me murmurabant omnes : Hier.

Verbum diaboli infundebant sibi : qui dormivit, non addet ut resurgat.

Sed et homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, quæ manducabat panem meum, levavit contra me plantam.

Et tu, Domine, miserere mei, et eleva me, et reddam eis.

In hoc cognovi quod velis me, quia non insultabit inimicus meus mihi.

Ego autem in simplicitate mea adjutus sum a te, et statues me ante faciem tuam in perpetuum.

Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, et usque in seculum : Amen, amen.

9. Verbum iniquum constituerunt adversum me : Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

11. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me ; quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti ; et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, et usque in seculum : Fiat, fiat.

9 « Verbum iniquum... » Verbum Belial ei adhæsit : Hebr. res pessima, nempe peccatum illud ingens, cujus causa desertus a Deo, sic afflictus, ut non resurgat : verba sunt inimici.

10 « Homo pacis meæ. » Singularem amicum designat, qualis fuit Achitophel, id Christus Judæ accommodat Joan. XIII. 18. Cujus figura Achitophel, ut David Christi. « Magnificavit... supplantationem : » levavit contra me plantam ; Hier. calce me percussit ; vel insigni fraude supplantavit. Vide Psalm. LIV. 14, 15.

14 « Fiat : » amen, Hebr. Quo Psalmorum fine Hebræi librum quemque designari putant.

PSALMORUM

LIBER II

SECUNDUM HEBRÆOS, USQUE AD PSAL. LXXII.

PSALMUS XLI. CONSOLATIONIS.

A Saule pulsus et exul, tabernaculum, sacra, et festivitates desiderat; qua spe ægrum animum, et calamitatibus fessum erigit. v. 6, 7.

v. s. II. *Victori, intellectus filiis Core.*

Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum; sic anima mea præparata ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mei lacrymæ meæ panes per diem et noctem; cum diceretur mihi tota die: Ubi est Deus tuus?

Horum recordatus sum, et effudi in mihi animam meam: quia veniam ad um braculum, tacebo usque ad domum Dei, in voce laudis et confessionis, multitudinis festa celebrantis.

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me! expecta Deum, quia adhuc confitebor ei, salutaribus, vultus ejus.

Deus meus, in meipso anima mea incurvatur; propterea recordabor

v. v. — 1. *In finem, intellectus filiis Core.*

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei:

In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.

6. Quare tristis es, anima mea: et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, 7. Et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea contur-

1 « Filiis Core: » filii Isaar, filii Caath, filii Levi, illius scilicet qui adversus Moysen insurrexerat; ut patet, Num. XVI. 1, etc. et I. Paral. VI. 37, 38 Hujus ergo posteri patria perosi exempla, præcipuis officiis inter Levitas fratres suos fungebantur, custodes vestibulorum testimonii, I. Par. IX. 19. templi janitores, ibid. XXVI. 1, 12. Ad hæc cantores præcipui, quibus egregii Psalmi cantandi dati sunt; ut hic et XLIII. usque ad XLIX. LXXXIII et LXXXIV de summis rebus editi, ac præsertim de sacrorum ministerio, ut hic et LXXXIII.

2 « Cervus: » ita Hebr. et Ch. Quo impetu cervus longo venatu sitibundus, currit ad aquas, eo impetu anima mea ad te fertur.

3 « Deum fortem: » Deum, Deum vivum: Hebr « Faciem Dei: » arcam, in qua Deus suam præsentiam declarabat. Quam autem eam David desideraret, et cur, vide Præf cap. I. num 7.

5 « Transibo: » in numerum me movebo cum eis usque ad domum Dei: Hebr Exultabundi sacra per choreas adibant. « Sonus epulantis: » multitudinis festa celebrantis: Hier. turbæ tripudiantis: Hebr. Exultat Propheta recordatus populi, ad festivitates, quibus ipse interesse solebat, alacriter procedentis.

6 « Confitebor illi, salutare vultus mei. » Sic dicam: Tu es salus mea: at Heb. vultus ejus, quod est: laudabo vultum ejus salutarem, id est, faventem.

7 « Et Deus meus... » Hier. per exclamationem, o Deus! » De terra Jordanis et Her-

tui de terra Jordanis, et Hermonim de monte minimo.

Abyssus abyssum vocat, in voce cataractarum tuarum; omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt.

Per diem mandavit Dominus misericordiam tuam, et nocte canticum ejus mecum: oratio Deo vitæ meæ.

Dicam Deo: Petra mea, quare oblitus es mei? quare tristis incedo affligente inimico?

Dum me interficerent in ossibus meis, exprobraverunt mihi hostes mei: dicentes tota die: Ubi est Deus tuus?

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me?

Expecta Dominum, quoniam adhuc confitebor ei, salutibus vultus mei et Deo meo.

bata est; propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ:

10. Dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

12. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus.

PSALMUS XLII. DEPRECATORIUS ET CONSOLATORIUS.

Ejusdem argumenti. Inter infideles agens, Jerusalem et tabernaculum desiderat, eaque spe afflictum animum ac prope jam deficientem erigit. Sine titulo in Hebr.

V. S. H.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; a viro iniquo et doloso salva me.

Tu enim, Deus, fortitudo mea, quare projecisti me? quare tristis incedo, affligente inimico?

Mitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa ducent me, et introducent me ad montem sanctum tuum, et in tabernaculum tuum.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ et exultationis meæ,

V. V. — *Psalmus David.*

1. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.

2. Quia tu es, Deus, fortitudo mea, quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem

moniim. « Loca commemorat in quibus agebat exul circa Jordanis fontes et montem Hermon. « Monte modico: » monte Misaar: Hebr. nomen proprium.

8 « Abyssus... Te fluctus ac tempestates ciente, aliæ ex aliis me calamitates obruerunt; metaphora consueta. Vide Psal. XXXI. 6. etc. « In voce cataractarum... » ruptis cataractis, obicibusque omnibus; aquis undecumque erumpentibus, ac frementibus. « Omnia excelsa; » omnes gurgites: Hier.

9 « Mandavit: « jussu suo misit: sic Psalm. XLIII, 5. Qui mandas salutes Jacob. In die... misericordiam... et nocte canticum: « Tota die beneficia ejus accipio, nocte commemoro.

1 « Discerne... » litem meam cum gente impia dirime; vel, meam causam age.

3 « Deduxerunt: » deducent: Hier.

4 « Deum, qui lætificat: » Deum lætitiæ, etc. Hier. quæ in idem recidunt; in juventute

et confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

Quare incurvaris, anima mea, et quare conturbas me?

Expecta Dominum, quoniam adhuc confitebor ei, salutibus vultus mei, et Deo meo.

meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

5. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

PSALMUS XLIII. CONSOLATORIUS, PROPHETICUS.

Enumerat populi calamitates, Deumque ex antiquorum beneficiorum recordatione ad succurrendum provocat. Congruit autem persecutioni Antiochi, et Matathiæ temporibus, cum populus confidenter neget se a Deo recessisse. ℣. 18, 19, etc. Itaque videtur esse propheticus. Neque enim post Esdram fuit ullus Propheta, aut quidquam in canonem Scripturarum insertum. Ita Chrys. et Theodor.

V. S. H. — *Pro Victoria, filiis Core eruditio.*

Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri narraverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum in diebus antiquis.

Tu manu tua gentes delesti, et plantasti eos: afflixisti populos, et emisisti eos.

Non enim in gladio suo possederunt terram, neque brachium eorum salvavit eos; sed dextera tua, et brachium tuum, et lux vultus tui, quia complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, Deus: præcipe pro salutibus Jacob.

In te hostes nostros ventilabimus; in nomine tuo conculcabimus adversarios nostros.

Non enim in arcu meo confidam; neque gladius meus salvabit me.

Quia salvasti nos de hostibus nostris: et eos qui oderunt nos confudisti.

In Domino gaudedimus tota die, et nomini tuo in æternum confitebimur. Semper.

Verum tu projecisti et confudisti nos, et non egredieris in exercitibus nostris.

V. V. — 1. *In finem, filiis Core ad intellectum.*

2. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; afflixisti populos, et expulisti eos.

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos:

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo et gladius meus non salvabit me.

8. Salvasti enim non de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.

9. In Deo laudabimur tota die, et nomine tuo confitebimur in seculum.

10. Nunc autem repulisti et confudisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

autem, fervor et animi novitas, qua excitatus animus juveneserre et revirescere se sentit. « Confitebor tibi in cithara; » arrepto, pro more, instrumento musico, tum cupiditatibus in concentum temperatis, quæ vera est musica.

3 « Manus tua: » Tu manu tua, etc. Hier.

5 « Qui mandas salutes Jacob. » Qui jussu suo mittit. supra XLI. 9.

10 « In virtutibus... » in exercitibus. Non jam te ducem habebimus, ut olim.

Vertisti terga nostra hosti; et qui oderunt nos, diripuerunt sibi.

Dedisti nos quasi gregem ad vorandum, et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio, nec grandis fuit commutatio eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris; subsannationem et irrisum his qui erant in circuitu nostro.

Posuisti nos similitudinem in gentibus, commotionem capitis in tribubus.

Tota die confusio mea contra me, et ignominia faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis, et blasphemantis, a facie inimici et ultoris.

Omnia hæc venerunt super nos; et obliti non sumus tui; nec mentiti sumus in pacto tuo.

Non est conversum retro cor nostrum; nec declinaverunt gressus nostri a semita tua.

Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis.

Si obliti sumus nominis Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum:

Numquid non Deus investigabit istud? ipse enim novit cogitationes cordis.

Quoniam propter te mortificati sumus tota die; reputati sumus ut grex occisionis.

Consurge, quare dormitas, Domine? evigila, quare projicis nos in sempiternum?

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem gentibus; commotionem capitis in populis.

16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.

17. A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.

18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.

19. Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.

20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.

21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis.

23. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.

13 « Sine pretio : » id est, vili pretio. « Et non fuit multitudo : » nec cum venirent, multi fuerunt licitantes. Vilia mancipia, ac nullius pretii. De venditis autem Judæis Antiochi jussu, vide 2. Mac. v. 14. VIII. 14.

14 « Opprobrium vicinis... » Ex historia Machabæorum apparet non Græcis modo, sed Syris, Ammonitis, Idumæis, Judæos ludibrio fuisse.

16 « Contra me est. » Quisque commemorat peccata, non tantum universæ plebis, sed etiam sua.

18 « Nec obliti sumus te. » Hæc nullis temporibus congruere possunt, præterquam Machabaicis. Captivitatis enim tempore pro idololatria pœnas dabant, idque confitebantur palam. IV. Reg. XVII. 7, 19. Et II. Esdræ passim : Dam. XI, 5, 6, etc.

19 « Et declinasti : » nec declinasti, suppleta negatione quæ est in antecedentibus, juxta consuetudinem sermonis hebraici. « Nec declinasti; » nec declinare permisisti; alius hebraisans; at Hier. nec declinaverunt gressus nostri, etc.

20 « Humiliasti... » dejecisti in loco draconum. Idem. In desertis quo confugit Matathias cum filiis, ubi inter feras et serpentes agebant I. Mach. II. 28, 31. Item II. Mach. V. 27.

Quare faciem tuam abscondis? obliviscerís afflictiones et angustias nostras.

Quoniam incurvata est in pulvere anima nostra; adhæsit terræ venter noster.

Surge, auxiliare nobis, et redime nos propter misericordiam tuam.

24. Quare faciem tuam avertis, obliviscerís inopiæ nostræ et tribulationis nostræ.

25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra; conglutinatus est in terra venter noster.

Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

PSALMUS XLIV. HISTORICUS, PROPHETICUS.

Cum Salomon duceret filiam Pharaonis, III. Reg. III. 1. hujus epithalamium ab aliquo illius temporis Propheta editum, atque ipsi regi nuncupatum; Coritis denique præstantissimis cantoribus traditum, ut Regis nuptias celebrarent. Neque abnuerim hæc a sancto Davide prophetico spiritu cani potuisse, quippe qui intelligeret Christum ipsum in Salomone suo figuratum. Utcumque est, liquet harum nuptiarum specie, ut in Cantico canticorum, Christi et Ecclesiæ conjunctionem manifeste cani; Ecclesiæ autem ex gentibus vocatæ, cum sit uxor alienigena. Hinc Chrysostomus hunc Psalmum interpretans sic orditur: *Velim hic adesse nobiscum omnes et Judæos et Gentiles, atque audire prolatum ab antiquis adeoque a Judæis licet inimicis. de Christo testimonium.* Adeo aperte hic Psalmus Christi mysteria atque victorias, ipsamque etiam divinitatem sonat.

V. S. H. — *Victori, pro liliis filiorum Core, eruditionis Canticum amantissimi.*

V. V. — 1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.*

Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi; lingua mea stylus scribæ velocis.

2. Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Decore pulchrior es filiis hominum effusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit tibi Deus in æternum.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

1 « Pro iis qui commutabuntur. » Pro liliis : Hier. Sosannim : » Hebr. quod alii instrumentum musicum exponunt : alii principium cantilenæ « Pro dilecto, Jedidoth : » amorum Hebr. amantissimi : Hier. nempe Salomonis, qui etiam amabilis Domino divinitus vocatus est. II. Reg. XII. 25. Hebr. « Jedidiah. »

2 « Eructavit cor meum verbum bonum. » Erumpit verbum illud ex corde meo impetu prophetico, impellente spiritu, cujus etiam vim calami velocis similitudo designat. Sic Baruch Jerem. XXVI. 18. de prophetia sic ait : « Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me, omnes sermones istos : » ut non ipse componere, sed a Deo tradita legere videretur, hinc illa celeritas. Itaque hujus Psalmi scriptor sic a spiritu agebatur, quo loco Chrysostomus : « Spiritu plenus spiritualia profundit; talia eructavit, qualia comedit. Dico « non a verbo « dicare, » sed a « dicere. Opera mea, » prophetiam ipsam, sacrumque canticum. » Regi : » Salomoni dictum sic enim inscriptum videmus ; « pro dilecto. »

3 « Speciosius forma... Diffusa est gratia in labiis tuis : » pulchritudo tua, rex Christe, præstantior, et spiritus prophetiæ datus est in labiis tuis. Ch. « Propterea : » eo quod : Hebr. Præclare Aug. hic : « Nobis credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat, pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cœlo, pulcher in

Accingere gladio tuo super femur, fortissime, gloria tua et decore tuo.

Et decore tuo prospere ascende, propter verbum veritatis et mansuetudinem justitiæ, et docebit te terribilia dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corde inimicorum regis.

Thronus tuus, Deus, in seculum et in æternum: sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

5. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.

6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. 7. Sedes tua, Deus, in seculum seculi; virga directionis, virga regni tui.

8. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

intellectu : summa » enim « et vera pulchritudo justitia est... si ubique justus, ubique decorus. »

4 « Accingere gladio. » Jam aggreditur Christi pugnas atque victorias. « Potentissime : » fortissime : Hier.

5 « Specie tua et pulchritudine tua, » gloria et decore tuo : Hier. qui etiam adversum præcedentem refert, ut et Chrys. et alii. « Intende : » arma expedi, ipsam scilicet pulchritudinem tuam, ipsam mansuetudinem, atque justitiam, qua cuncta ad te trahes : ut statim subditur; « prospere procede : » ascende : Hier. quasi in currum. « Regna, » populis ultro, atque ipso amore tui ad pedes ruituris.

. . . . . *Victorque volentes*
Per populos dat jura. Georgic. lib. IV.

Unde subdit : « propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam : » regnum florentissimum quod ipsa veritate, ipsa clementia, ipsa justitia viget, ac valet. His enim maxime commendatur Christi regnum atque Evangelium, patefacta veritate, peccatorum indulgentia, inducta in hominum mores vera æternaque justitia. Adverte autem quam admirandum victorem hic concinnet spiritus, miscens gladio, sagittis, armis omnigenis ac bellis mansuetudinem ac pulchritudinem; et quem nunc minacem atque terribilem, eumdem mox ℣. 9. myrrha manantem ostendit et unguentis delibutum, neque ex castris ferum, sed ex domibus eburneis magnificum, ac splendentem educit; his autem adumbrat verum Salomonem, verum pacificum Christum, ipsa scilicet cœlestis doctrinæ veritate, ipsa divini amoris suavitate victorem. Chrys. « Et deducet te mirabiliter : » non tantum admirari oportet quod res præclaras, sed quod præter hominum expectationem opinionemque gesserit; nec tantum mira, sed etiam mirabili modo, dum morte mortem, ligno lignum, maledicto maledictum, esu esum solvit, ac sanat. Chrysost. At Hier. cum Hebr. legit : » Docebit te terribilia dextera tua; « sunt enim terribilia et horrenda quæ gessit : mortem expugnavit, perfregit inferos, cœlum aperuit, dejecit dæmones, orbem perdomuit, imis summa miscuit. Idem Chrys. « Dextera tua : » potentia tua : ipsa tibi vis tua ac potentia sufficit, nullius indiga auxilii : Idem. Atqui addit sagittas, gladium, arma, figurate : eum interim significet ipsum solo decore, sola suavitate atque justitia victorem futurum.

6 « Sagittæ tuæ acutæ : » verbum tuum efficax et penetrabile. His sagittis Paulum superbientem ac sævientem dejecisti. « Populi sub te cadent. » Interposita parenthesis, sive hyperbaton seu trajectio. Ordo enim erat « sagittæ tuæ acutæ in corda : » jactæ, scilicet. Sed interjectum illud « populi sub te cadent : » quasi festinante vatis calamo ad amplitudinem tantæ victoriæ describendam. « Populi sub te cadent : » unde illud : « Fortium dividet spolia : » Isa. LIII, 12. « Cadent : » ultro colla subdent. « In corda inimicorum : » ut doceat quam certi sint ictus. Melius; eorum qui antea inimici erant, cor tetigit, non ut interficeret, sed ut ad se pertraheret : « Omnia » enim « traham ad meipsum, » inquit, Joan. XII. 32. Chrys.

7 « Sedes tua Deus : » o Deus! « Thee : » vocandi casu, ut ipse Aquila vertit, teste Hier. in hunc Psalmum, epist. ad Princip. Ergo Christus, quem David alloquitur, Deus est. Porro ad Christum hæc pertinere docet Paulus : Hebr. I. 8. Hic autem sic nugatur nescio quis : « Sedes tua, Deus : » recto casu, hoc est, Deus ipse, qui est sedes tua, in quo colloca-

Myrrha et stacte et casia in cunctis vestimentis tuis, de domibus eburneis quibus lætificaverunt te.

Filiæ regum in honore tuo : stetit conjux in dextera tua, in diademate aureo.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui, et domus patris tui.

Et concupiscet rex decorem tuum; quia ipse est Dominus Deus tuus, et adora eum.

Et filia fortis, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.

Omnis gloria filiæ regis intrinsecus; fasciis aureis vestita est.

9. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis; ex quibus delectaverunt te 10. filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato; circumdata varietate.

11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

12. Et concupiscet rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis 15. Circumamicta varietatibus.

tus regnas; nullo plane exemplo : ipso etiam Paulo adversante, eum ex hoc loco evincat Christum esse non ministrum ut angelos, sed Deum. Ibid.

8 « Unxit te .. præ consortibus tuis : » præ participibus : Hier. Unctus quidem Salomon in regem, atque antepositus fratribus, Christus vero præ omnibus æque cum ipso hominibus, ipso Spiritu sancto, ipsa divinitate unctus, dicente Propheta : « Spiritus Domini super me; eo quod unxerit Dominus me : » Isa. LXI. 1. « Deus, Deus tuus. Elohim, » bis, primum vocativo, iterum nominativo, hoc est, o Deus, unxit te Deus tuus : Dominus Deus tuus : Ch. Quem ergo alloquitur est Deus, nempe Filius; et additur, « Deus tuus, » nempe Pater, ut hic necessario intelligatur, non tantum Deus, sed etiam Dei Deus, sive, ut patres Nicæni dicunt, « Deus de Deo. »

9 « Myrrha, et gutta... » stacten, et alia odorifera : « a vestimentis tuis, » diffluunt : « a domibus eburneis : » domus quoque ebore nitentes hos efflant odores. « Ex quibus delectaverunt te; his te delectaverunt; splendore ac decore suaveolentis palatii. Hic finiendus versus, ut apud Hier. et cæteros.

10 « Filiæ regum in honore tuo : » in occursum tuum : Hebr. Et hoc ad gloriam pertinet formosissimi juxta ac fortissimi regis, ut non tantum hostibus formidandus, sed a regiis virginibus expetendus et ambiendus. Filiæ autem regum spirituali sensu, animæ Verbi amatrices. « Astitit regina : » conjux : Hier. Multæ ambiunt virgines, sed una conjux est; sicut et in Canticis. VI. 7. 8. « Sexaginta reginæ, octoginta concubinæ... Una est columba mea, perfecta mea. » Spirituali quoque sensu; una sponsa est Ecclesia catholica; omnes enim animæ sanctæ in Christo unum sunt. « Vestitu deaurato, » auro ophir (pretiosissimo ac mundissimo), Hebr. « Circumdata varietate. » Pietas vestes designat variis coloribus undique efflorescentibus : quod in Hebr. deest habetur ℣. 15.

11 « Audi, filia : » Ex persona Bethsabee nurum compellantis, exponentisque ei Salomonis sui ardentissimum amorem : ℣ 12. spirituali sensu; vox Patris ad Ecclesiam catholicam. Audi, o congregatio Israel : verba oris ejus. Ch « Obliviscere populum tuum : » sic filia Pharaonis; sic etiam spirituali sensu ecclesia gentium.

12 « Dominus Deus tuus : » Dominus tuus : Hebr. vocabulo communi, non illo arcano ac sacrosancto. « Et adorabunt; » et adora eum : Hier. ut maritum ac regem tuum; spirituali sensu, Christum, augustiore intellectu, Dominum; quippe qui et Deus sit, ex antecedentibus.

13 « Filiæ Tyri : » urbes Tyro subjectæ; ditissimæ illæ atque magnificentissimæ. Regiones regnorum venient, ut suscipiant faciem tuam : Ch. tibi ut obsequantur; quod spirituali sensu ad Christum pertinet.

14 « Omnis gloria ejus filiæ regis.... » hujus quam canimus. « Ab intus; » intrinsecus : Hier. summus decor in regiæ penetrabilibus : ipsa scilicet « in fimbriis aureis; » fasciis aureis vestita, idem : ipsa, inquam, pulcherrimum aulæ interioris ornamentum.

15 « Circumamicta varietatibus : » in scutulatis ducetur ad regem : Virgines sequentur eam amicæ ejus; ducentur illuc. Sic distinguendum cum Hier. et Hebr. Solebant sponsæ addere coævas virgines, ut fidissimas carissimasque comites; quod ad Græcos permeavit, teste Theocrito, Id. 18. de Helenæ nuptiis; quo de ritu fusius dicemus in Cantico. Scutulatæ autem vestes, sunt vestes versicolores, opere plumario, textæ, vel acu pictæ : spirituali sensu; decor

In scutulatis ducetur ad regem : virgines sequentur eam amicæ ejus; ducentur illuc.

Ducentur in lætitiis et exultatione; ingredientur thalamum regis.

Pro patribus tuis erunt filii tui : pones eos principes in universa terra.

Recordabor nominis tui in omni generatione et generatione.

Propterea populi confitebuntur tibi in seculum, et in æternum.

Adducentur regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi.

16. Afferentur in lætitia et exultatione; adducentur in templum regis.

17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.

18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum et in seculum seculi.

PSALMUS XLV. EUCHARISTICUS.

Victis hostibus, et pace parta. Vide II. Reg. VIII. et I. Par. XVIII.

V. S. H. — *Victori filiorum Core pro juventutibus Canticum.*

Deus nostra spes et fortitudo ; auxilium in tribulationibus inventus es validum.

Ideo non timebimus cum fuerit translata terra, et concussi montes in corde maris.

Sonantibus et intumescentibus gurgitibus ejus et agitatis montibus in potentia ejus. Semper.

Fluminis divisiones lætificant civitatem Dei ; sanctum tabernaculum Altissimi.

Deus in medio ejus, non commovebitur ; auxiliabitur ei Deus in ipso ortu matutino.

V. V. — 1. *In finem, filiis Core, pro arcanis Psalmus.*

2. Deus noster refugium et virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.

4. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum ; conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei ; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

6. Deus in medio ejus, non commovebitur ; adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Ecclesiæ intus ex inhabitante Spiritu; quo ex fonte varia dona explendescunt in oculos omnium.

16 « Templum : » quæ vox et palatium sonat.

17 « Pro patribus tuis nati sunt... » pro patribus tuis erunt : Hier. Ad Salomonem hæc, ac sub ejus persona ad Christum diriguntur. Est enim pronomen masculinum : sensus autem est ; nascentur tibi filii, qui avorum nomen ac titulos suppleant. « Constitues eos principes : » et hoc ad regium decus pertinet, ut e stirpe regia exteris quoque reges dentur : hoc autem non contigit Salomoni, sed Christi Apostoli orbi terrarum principes ducesque dati sunt.

18 « Memores erunt nominis tui : » o Solomon, seu potius, o Christe. « Confitebuntur tibi ; » laudabunt te ; quæ vox raro de homine usurpatur.

1 « Pro arcanis : » juventutibus : Hier. Quidam exponunt, ad virginum vocem, seu acutam symphoniam. Alii vocem « Halamoth. » pro instrumento musico accipiunt. Vide I. Par. XV. 16.

2 « Quæ invenerunt... » auxilium in tribulationibus inventus es validum : Hier.

4 « Sonuerunt : » sonabunt : Hebr. « Aquæ eorum : » ejus : Hebr. maris scilicet, de quo etiam : « in fortitudine ejus : » sonantibus et intumescentibus gurgitibus : Hier. supple : « non timebimus, » ex ℣ 3. sensusque est, non conturbabimur, nec si tellus tremat : ℣ 3. nec si exundent maria, ℣ 4.

5 « Impetus : » divisiones : Hier. rivuli : Hebr. non illi fluctus concitati civitatem Dei circumstrepunt, sed aquæ Gehon et Siloe leniter fluentes (ut est Isa. VIII. 6.) irrigant eam, quæ est tabernaculum Altissimi.

6 « Deus in medio ejus ; » ideo « non commovebitur, » ipsa civitas : verb. femin. « mane diluculo ; » velociter ; studiose ; Theodor.

Conturbatæ sunt gentes, concussa sunt regna : dedit vocem suam, prostrata est terra.

Dominus exercituum nobiscum ; protector noster Deus Jacob. Semper.

Venite, et videte opera Domini ; quantas posuerit solitudines in terra.

Compescuit bella usque ad extremum terræ, arcum confringet et concidet hastam ; plaustra comburet igni.

Cessate, et cognoscite quoniam ego Deus ; exaltabor in gentibus ; et exaltabor in terra.

Dominus exercituum nobiscum ; fortitudo nostra Deus Jacob. Semper.

7. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna ; dedit vocem suam, mota est terra.

8. Dominus virtutum nobiscum ; susceptor noster Deus Jacob.

9. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram ;

10. Auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni.

11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus ; exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

12. Dominus virtutum nobiscum ; susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS XLVI. LAUDIS ET EXULTATIONIS ; PROPHETICUS.

V. S. H. — *Victori, filiorum Core Psalmus.*

Omnes populi, plaudite manibus ; jubilate Deo in voce laudis.

Quoniam Dominus altissimus, terribilis ; rex magnus super omnem terram.

Congregavit populos subter nos, et tribus sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem nostram ; gloriam Jacob quam dilexit. Semper.

Ascendit Deus in jubilo, Dominus in voce buccinæ.

Canite Deo, canite ; canite regi nostro, canite.

V. V. — 1. — *In finem, pro filiis Core Psalmus.*

2. Omnes gentes, plaudite manibus ; jubilate Deo in voce exultationis.

3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis ; rex magnus super omnem terram.

4. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.

5. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit.

6. Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.

7. Psallite Deo nostro, psallite ; psallite regi nostro, psallite.

7 « Dedit vocem suam : » Deus intonuit : hinc tanti motus. « Mota est terra : » liquescit, defluit.

9 « Quæ posuit prodigia : » quantas posuerit solitudines : Hier. quas devastationes fecerit in terra hostili.

10 « Auferens bella ; » non tantum bella movet, sed cessare facit, ut vult, aque ad extremos orbis relegat fines. « Confringet arma ; » hastam : Hier. « Scuta : » currum : Hebr. En altissima pax, contritis combustisque omnibus instrumentis bellicis.

11 « Vacate, et videte ; » cessate et cognoscite : Hier. Otio pacis a Deo concessæ utimini ad eum cogitandum et admirandum.

1 « Gentes : » populi : Hier. sic ℣ 4. qua voce etiam gentes sive ethnici comprehenduntur, ut patet ex ℣ 9. « Jubilate Deo : » Jubilus *alalasmos*, vox vincentis : triumphalis hymnus cum tubarum clangore. Theodor. hic et alibi passim ; quod et Deo triumphatori, et mortis victori Christo congruit ; voce etiam Evangelii longe lateque pervagata.

5 « Elegit... hæreditatem suam : » nostram : Hier. terram quam nobis in hæreditatem dedit ; hanc elegit nobis pulcherrimam, lacte ac melle manantem : studio et consilio, non casu aut forte oblatam. « Speciem Jacob ; » gloriam : Hier. Eadem vox Hebr. Amos VII. 7. ubi Vulg. vertit superbiam Jacob, id est gloriam Jacob : ipsam Jerusalem qua maxime Israeliticus populus gloriatur.

6 « Ascendit Deus... » ascendit arca in Jerusalem cum cantu. Prophetice, ascendit Christus in cœlum ; non dicit assumptum, tanquam alienis viribus, sed ascendit vi sua ; Chrys.

Quia rex universæ terræ Deus; canite erudite.

Regnavit Deus super gentes; Deus sedet super thronum sanctum suum.

Principes populorum congregati sunt, populus Dei Abraham : quoniam dii, scuta terræ, vehementer elevati sunt.

8. Quoniam rex omnis terræ Deus; psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.

10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

PSALMUS XLVII. EUCHARISTICUS.

Jerusalem sancta et a Deo protecta fuso Sennacheribo. IV. Reg. XVIII. XIX. et II. Paral. XXXII.

V. S. H. — *Canticum Psalmi filiorum Core.*

Magnus Dominus, et laudabilis nimis; in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Specioso germine gaudio universæ terræ, monti Sion, lateribus aquilonis, civitatulæ regis magni.

Deus in domibus ejus; agnitus est in auxiliando.

Quia ecce reges congregati sunt; venerunt simul.

Ipsi videntes sic obstupuerunt; conturbati sunt, admirati sunt.

V. V. — 1. *Psalmus cantici filiis Core, secunda sabbati.*

2. Magnus Dominus, et laudabilis nimis; in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.

4. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.

5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt; convenerunt in unum.

6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt; 7.

3 « Psallite sapienter : » erudite : Hier. sive ipsa carmina, sive artem canendi spectes.

10 « Principes populorum : » gentium. « Congregati sunt cum Deo Abraham : » cum populo Dei Abraham; Hebr. Principes universi orbis cum populis suis undique congregati, ut per Evangelium cum Abramidis catholicam conflent Ecclesiam. Congregati sunt ut sint populus Dei Abraham, quod magis congruit : Hier. « Dii fortes terræ... » Dei est protectio terræ : vehementer elevatus est : Hebr. Dei fortes (*Théou* genitivo casu) valde elevati sunt super terram : 70. Israelitæ scilicet, quos Deus roborat. Pro « Dei, » genitivo casu, repositum « dii » nomin. plurali : hinc Vulg. « dii fortes terræ : » sensusque sit : ille populus Dei, illi scilicet, quos Deus facit deos et validos, valde « elevati sunt; » virtutibus aucti atque honoribus.

1 « Secunda sabbati : » deest Hebr. « Filiis Core : » qui non tantum sub Davide, sed etiam diutissime sub secutis regibus ipsoque Ezechia, cantandi officio præfuerunt. « II. Par. XX. 19. XXXI. 14.

3 « Fundatur exultatione : » Universa terra, maxime vero terra Israelis exultat, firmato monte Sion. At Hier. specioso germine, etc. *euridzon* 70. quod est, firmis radicibus : unde Vulgata vertit : « fundatur : » Hebr. vero pulchro situ, sive, ut aiunt, climate. « Latera aquilonis; » sic designatur Jerusalem; « Sedebo in monte testamenti, » in ipso templi loco, « in lateribus aquilonis; » in ipsa urbe Jerosolyma : Isa. XIV. 13. « Civitas regis magni : » Dei scilicet : sic enim vocatur a Christo : Matth. V. 35, sensus ergo est; mons Sion, in cujus aquilonari latere, Jerusalem urbs magni regis est, seu ipsius Dei, elegans est regio, gaudium, atque ornamentum universæ terræ.

4 « In domibus : » palatiis, Hebr. « Cognoscetur : » cognitus est Hier. « Cum suscipiet... » in auxiliando : Hier. Deus in ea notus est auxiliis quæ ipsi præbuit.

5 « Reges : » Sennacheribo subditi vel fœderati. « Terræ : » deest Hebr. « Convenerunt in unum : » transierunt simul : Hebr. flumen Euphratem.

6 « Ipsi videntes : » qua vi Deus tuetur Jerusalem, « admirati sunt, » etc.

7 « Ibi dolores : » distingue, ut apud Hier. horror possedit eos ibi, dolor quasi parturientis, cæsis scilicet repente exercitibus.

Horror possedit eos ibi, dolor quasi parturientis.

In vento uredinis, confringes naves Tharsis.

Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Dei exercituum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam usque in æternum. Semper.

Æstimavimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic laus tua usque ad extremum terræ; justitia repleta est dextera tua.

Lætetur mons Sion, exultent filiæ Judæ, propter judicia tua.

Circumdate Sion, et circuite eam, numerate turres ejus.

Ponite cor vestrum in manibus ejus; separate palatia ejus, ut enarretis in generatione novissima.

Quia ipse est Deus, Deus noster in seculum, et in perpetuum; ipse erit dux noster in morte.

Tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis. 8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

9. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum.

10. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.

11. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ; justitia plena est dextera tua.

12. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

13. Circumdate Sion, et complectimini eam; narrate in turribus ejus.

14. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in seculum seculi: ipse reget nos in secula.

8 « In spiritu vehementi... naves Tharsis : » magni maris. Sensus est : qualis ventus vehemens conterit naves magni maris, talis est Dei vis tuentis Jerusalem, et hostilem exercitum dissipantis.

9 « Sicut audivimus. » Prophetia Isaiæ videtur hic notari : sensusque est : sicut audivimus ab Isaia prophetatum, fore ut obsidio mirabiliter solveretur, ac Sennacheribi dux Rabsaces, ejusque exercitus cæderetur; sic impletum vidimus. Isa. XXXVII. 21. et IV. Reg. XIX. 20. etc. Qua figura cœlestis Jerusalem incolæ et ipsi canunt : « Sicut audivimus, » ex auditu fidei, Gal. III. 2, 5. « sic vidimus, » jam sublato velo, atque aperta Dei facie. « Deus fundavit eam... » Nihil habet metuendum, tanto exempta periculo. Prophetice, de Ecclesia fundata super petram, ideoque inconcussa, Matth. XVI. 18. Præclare Aug. hic : « Sed forte ista civitas quæ mundum tenuit, » (Ecclesia catholica) « aliquando evertetur. Absit; Deus fundavit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum? » (In Ps. XLVII. n. 7.)

10 « Suscepimus... misericordiam... in medio templi tui. » Prophetia Isaiæ saluteni pollicentis delata est in publico cœtu ad Ezechiam in templo orantem. Isa. XXXVII. 14.

11 « Secundum nomen tuum... » Quanta est excellentia nominis tui, tanta et laus tua ubique diffundatur.

12 « Exultent filiæ Judæ : » oppida vicina Jerosolymis, quorum urbs sancta metropolis, ac more Hebræorum, ea liberata, ad exultationem merito provocantur.

13 « Complectimini... » circuite : Hier. « narrate... » numerate turres : idem.

14 « In virtute... » in mœnibus ejus : Hier. « Distribuite domos ejus : » dividite vos ad eas spectandas, quasi civitate in partes distributa : attollite palatia ejus : Hebr. Videte quam excelsa sint; admiramini quam integra et illæsa sint omnia, turres, muri, domus, post tantam vim hostilem.

15 « In secula : » super mortem : Hebr. usque ad mortem.

PSALMUS XLVIII. MORALIS.

Vanitatem divitiarum, mortis inevitabili necessitate, vitæque futuræ spe, demonstrat, adversus eos qui divitiis superbiunt ; ℣ 7. Obscurissimus Psalmus, atque ideo instar ænigmatis propositus · ℣ 5 : cujus eruto sensu, doctrina fit gratior, lucis instar emergentis e tenebris.

V. S. H. — *Victori, filiorum Core Psalmus.*

Audite hæc, omnes populi; auribus percipite, universi habitatores occidentis.

Tam filii Adam, quam filii singulorum; simul dives et pauper.

Os meum loquetur sapientias, et meditatio cordis mei prudentias.

Inclinabo ad parabolam aurem meam; aperiam in cithara ænigma meum.

Quare timebo in diebus mali? iniquitas calcanei mei circumdabit me?

Qui fiduciam habent in fortitudine sua, et in multitudine divitiarum suarum superbiunt.

Fratrem redimens non redimet vir; nec dabit Deo propitiationem pro eo.

Neque pretium redemptionis ani-

V. V. — 1. *In finem, filiis Core Psalmus.*

2. Audite hæc, omnes gentes; auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.

3. Quique terrigenæ, et filii hominum; simul in unum dives et pauper.

4. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.

5. Inclinabo in parabolam aurem meam; aperiam in psalterio propositionem meam.

6. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

7. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

8. Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam.

9. Et pretium redemptionis animæ

2 « Audite. » Magna locuturus, attentum auditorem facit. « Omnes gentes... » Omnes homines convocat, communem omnium de divitiis errorem damnaturus; rursus autem attentos facit; dicturus enim est tanto cœtu digna.

3 « Terrigenæ : » filii hominis : Hebr. ut se Christus vocabat : plebeii. « Filii hominum : » filii viri : Hebr. nobiles. « Dives et pauper; » quasi diceret, utrosque doctrus sum.

5 « In parabolam... In psalterio propositionem... » In cithara ænigma meum . Hier. ex antiquis moribus ; sic enim Job assumit parabolam : XXVII. 1 etc. « Sed et regina Saba venit videre Salomonem in ænigmatibus ; » III. Reg. X. 1. et hoc pertinet ad conciliandam auditorum attentionem.

6 « Cur timebo in die mala ? » in diebus mali : Hier. mortis scilicet. « Iniquitas calcanei mei... » finis mei seu mortis; quod pedes extrema sint pars corporis, ut mors totius vitæ : quo fere sensu dicimus a capite ad calcem, ab initio ad finem. Iniquitas autem mortis hic dicitur, memoria flagitiorum ac scelerum ; sensusque est : cur, quærendo divitias , id agam, ut amaram mihi mortem arcessam, vel ipsarum desiderio, vel conscientia scelerum quibus paratæ sunt ? Quo mihi divitiæ, si is earum fructus , ut tristius peream , sic Eccli. XLI. 1. « O mors , quam amara est memoria tua homini pacem habenti in divitiis suis ! » unde sequitur :

7 « Qui confidunt... » supple : illi timeant mortem, qui reponunt fiduciam : « in virtute sua : » in opibus.

8 « Frater non redimit... redimet homo : » supp. non ; ex consuetudine sermonis hebraici : non redimit frater; non homo quivis. Clarius apud Hier. fratrem redimens, non redimet vir : nemo fratrem a morte redimet. « Non dabit Deo placationem suam : » propitiationem pro eo ; nullo sacrificio liberabit quis ægrotum ac moriturum , non frater , quantumvis pius , ac potens ; non alius quivis hominum.

9 « Et pretium redemptionis ... » supp. nemo dabit : at Hebr. aliter : pretiosa est redemptio animæ ipsorum, id est, pretiosior quam ut homo id præstare possit. Hinc inutilitas divitiarum , quod hominis morientis salutem nemo a Deo ullo pretio redimat. « Laborabit in æternum : » homo scilicet : vanus et cassus labor mortem deprecantis. At Hier. quiescet in secula , seu quod idem , cessabit , desinet : Hebr. hoc est, homo quantumvis opulentus , necessario deficiet ; mors inevitabilis.

mæ eorum; sed quiescet in secula.

Et vivet ultra in sempiternum, et non videbit interitum.

Cum viderit sapientes morientes; simul insipiens et indoctus peribunt, et derelinquent alienis divitias suas.

Interiora sua domus suas in seculo, tabernacula sua in generatione; et generatione, vocaverunt nominibus suis terras suas.

Et homo in honore non commorabitur, et similatus est jumentis, et exæquatus est.

Hæc est via insipientiæ eorum, et post eos juxta os eorum current. Semper.

Quasi grex in inferno positi sunt; mors pascet eos, et subjicient eos recti in matutino; et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum.

Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni; cum assumpserit me. Semper.

Nolite timere cum ditatus fuerit vir; cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

suæ, et laborabit in æternum, 10. Et vivet adhuc in finem.

11. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes; simul insipiens et stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas; 12. Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie et progenie; vocaverunt nomina sua in terris suis.

13. Et homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

14. Hæc via illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt.

15. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

10 et 11 « Et vivet adhuc in finem : (11.) Non videbit interitum... » Ironice, quasi diceret, an putabit se perpetuo victurum, (11.) et non visurum interitum? » cum viderit sapientes morientes, » et commune omnium fatum? Quatuor postremos versus ad Christum Patres referunt, ut sensus sit, nemo purus homo fratrem redimit, sed tantum ille homo qui etiam Deus est. Memorant etiam interpretes R. Mosen Hazardan, qui verba hæc vers. 9. et 10. « Desinet in seculum » et « vivet in æternum, » de rege Messia intelligit, qui pro redemptione fratrum mortuus, postea in æternum vivat, uti prædictum ab Isaia, LIII. 10.

12 « Nomina sua... » vocaverunt nominibus suis terras suas : Hier. quibus scilicet terris inhumantur, de iis enim agitur; dicetur autem, hoc est sepulcrum hujus et hujus : hoc unum supererit, nec quidquam reliqui præter sepulcrum, et inanem memoriam.

13 « Non intellexit : » non cogitat unde illi omne decus. At Hier. in honore non commorabitur. « Comparatus est jumentis. . Unus enim interitus hominis et jumentorum : Ecc. III 19. Quoad temporalia, nihil habet amplius, atque omnino instar jumenti est, nisi æterna meditetur.

14 « Hæc via... scandalum ipsis : » hæc via insipientiæ eorum : Hier. hæc via illorum, belluarum more viventium, mera insipientia est. « Et postea in ore suo... » et post eos juxta eorum placita vivent. Tam ipsi quam ipsorum posteri hac fallacia divitiarum inescati, ad turpia et vana proruunt : secundum Vulg. hæc via, in qua tamen sibi placebunt, denique ipsis erit scandalo, offendiculo quo corruant; ut habetur ℣ seq.

15 « Dominabuntur... justi... » superiores erunt, præstabunt. « In matutino; » statim post mortem apparebit, quantum divitibus impiis præstent, justi, qui in Deo, non in rebus vanis confidunt. « Auxilium eorum... » opes quas auxilio sibi futuras sperabant. « Veterascet in inferno, » etiam in eorum sepulcris opes illæ obsolescent. « A gloria eorum; » deleta et obliterata illa quoque gloria sepulcrali : planius Hier. figura eorum conteretur, etc., etiam in sepulcro species eorum evanescet, postquam in illud translati sunt triste domicilium.

16 « Verumtamen Deus... Non divitiæ, inquit, sed unus « Deus redimet animam meam... » impiorum inanitate despecta, assurgit ad bonos in Deum sperantes, quorum Deus animam ab inferis redimit, cum a sepulcro assumptos ad vitam æternam transfert. Alioqui neque qui sperat in Domino plus reliquis haberet, neque prælationi responderet hujus Psalmi doctrina.

Neque enim moriens tollet omnia; nec descendet post eum gloria ejus.

Quia animæ suæ in vita sua benedicet; laudabunt te cum benefeceris tibi.

Intrabit usque ad generationem patrum suorum; usque ad finem non videbunt lucem.

Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis, et silebitur.

18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria ejus.

19. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur; confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

20. Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in æternum non videbit lumen.

21. Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

PSALMUS XLIX. MORALIS ET PROPHETICUS.

Vera sacrificia Dei laudes esse, et preces puro corde prolatas: sic novo Testamento viam parat. Vide Ps. L. 17, 18, 19. Isa. I. 11, etc. Jerem. VII. 21, etc. De titulo, atque Asaph. Vide Ps. LXXII.

V. S. II. — *Psalmus Asaph.*

Fortis Deus, Dominus locutus est et vocavit terram; ab ortu solis usque ad occasum ejus.

De Sion perfecto decore Deus apparuit.

Veniet Deus noster, et non tacebit; ignis coram eo vorabit, et in circuitu ejus tempestas valida.

Vocabit cœlum desursum et terram, ut judicet populum suum.

Congregate mihi sanctos meos; qui feriunt pactum meum in sacrificio.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus; quia Deus judex est. Semper.

V. V. — 1. *Psalmus Asaph.*

Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram,

A solis ortu usque ad occasum;

2. Ex Sion species decoris ejus.

3. Deus manifeste veniet; Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cœlum desursum, et terram, discernere populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus; quoniam Deus judex est.

19 « Anima ejus... » divitis impii : « in vita ipsius benedicetur; » laudibus celebrabitur. « Confitebitur tibi, » laudabit te. Jam ad ipsum divitem sermo convertitur, sensusque est : ille assiduus ac putidus laudator et adulator tuus impense te laudabit, non tamen sincere, non veri studio, sed beneficiis illectus tuis. At Hier. aliter : animæ suæ in vita sua benedicet ille dives, sibi blandietur, se beatum prædicabit : addit Hier. laudabunt te, cum benefeceris tibi; tibi plaudent cum tibi beatus videberis, teque unum prædicabunt tot opibus dignum, quod iis fruaris, tuoque genio indulgeas.

20 « Introibit usque in progenies patrum... » ibit ad patres, morietur; phrasi usitata.

21 « Homo, cum in honore... » Merito ergo a me dictum ℣. 13. atque hic inculcatum, nescire hominem ubi vera gloria reponenda sit, atque omnino brutis esse simillimum.

2 « Ex Sion species decoris ejus : » de Sion perfecto decore Deus apparuit : Hier., cujus distinctio sequenda Porro his describitur majestas Dei, ex Sion ubi habitat explendescentis, et ipsos etiam sacrificantes judicantis.

3 « Exardescet : » vorabit : Hier.

4 « Discernere : » ut judicet : Hier

5 « Illi sanctos ejus : » mihi sanctos meos : Hier. ad sacerdotium consecratos. « Qui ordinant testamentum... » qui feriunt pactum meum : Hier. qui ritum sacrificandi ex fœdere meo observant.

Audi, popule meus, et loquar, Israel, testificabor in te; Deus Deus tuus ego sum.

Non propter victimas tuas arguam te, et holocautomata tua coram me sunt. Semper.

Non accipiam de domo tua vitulum, neque de gregibus tuis hircos.

Mea sunt enim omnia animalia silvarum; pecudes in montibus millium.

Scio omnes aves montium, et universitas agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis, et plenitudo ejus.

Numquid comedam carnem taurorum, aut sanguinem hircorum bibam?

Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis; liberabo te, et glorificabis me.

Impio autem dixit Deus: quid tibi est cum enarratione præceptorum meorum, ut assumas pactum meum in ore tuo?

Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te.

Si videbas furem, consentiebas ei, et cum adulteris erat pars tua.

Os tuum dimisisti ad malitiam, et lingua tua concinnavit dolum.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ fabricabaris opprobrium.

Hæc fecisti, et tacui; existimasti me futurum similem tui; arguam te, et proponam te ante oculos tuos.

Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum; ne forte capiam, et non sit qui liberet.

7. Audi, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi; Deus Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.

11. Cognovi omnia volatilia cœli et pulchritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?

14. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

15. Et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.

16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?

17. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. 21. Hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te, et statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum; nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

8 « Non in sacrificiis... » Non queror deesse sacrificia, cum semper præsto sint, sed majus aliquid requiro.

11 « Volatilia cœli : » montium : Hier. « Pulchritudo agri : » universitas agri : Hier. Alii : bestiæ agrorum penes me sunt; bestiæ, quæ agrorum ornamenta sunt, meæ sunt.

14 « Sacrificium laudis : » laudem : Hier.

16 « Quare tu enarras... » quid tibi est cum enarratione, etc. Hier. « Non est » enim « speciosa laus in ore peccatoris : » Eccli. xv. 9.

18 « Portionem tuam ponebas : » pars tua : Hebr. supp. erat : eorum convictor assiduus.

20 « Sedens : » destinato animo. « Adversus fratrem tuum loquebaris : » sic : « Sederunt principes, et adversum me loquebantur. » Psalm cxvii. 1. 23.

21 « Existimasti inique : inique » deest Hebr. « Arguam te, et statuam... » proponam et ante oculos tuos. Hier. teipsum exhibebo tibi, ne tibi oliccas.

Qui immolat confessionem, glorificat me, et qui ordinat viam, ostendam ei salutare Dei.

23. Sacrificium laudis honorificabit me, et illiciter; quo ostendam illi salutare Dei.

PSALMUS L. DEPRECATORIUS.

V. S. H. — *Victori, Canticum David; quando venit ad eum Nathan Propheta, quando ingressus est ad Bethsabee.*

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*
2. *Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee.* (II. Reg. XII.)

Miserere mei, Deus, secundum misericordiam tuam.

Juxta multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitates meas.

Multum lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitates meas ego cognovi, et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaberis.

Ecce in iniquitate conceptus sum et in peccato peperit me mater mea.

Ecce enim veritatem diligis, absconditum et arcanum sapientiæ tuæ manifestati mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditum mihi facies gaudium et lætitiam, et exultent ossa quæ confregisti.

3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

4. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

6. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concecepit me mater mea.

8. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

9. Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.

6 « Tibi soli ; » tibi, tibi soli : Hebr. nam cæteros, homines scilicet, celavi peccatum meum, præterea te unum metuebam, regia potestate fretus. Chrys. Amp. « Cum judicaris : » in judicando te : Hebr. cum judicas : cum occulta mea flagitia, adulteria scilicet, quæ fœda et occulta cæde tegere me posse sperabam, educis in lucem, eaque puniens, ostendis nihil te latere. Sed et cum judicaris ab hominibus, vincis ostendens te scelerum ultorem, cum minime arbitrantur. Quæ omnia Davidi declaravit Deus per Prophetam, dicens : « Tu enim fecisti absconditè; ego autem faciam in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. » II. Reg XII. 12.

7 « Ecce enim in iniquitatibus. » Numquid David de adulterio natus erat? de Jesse viro justo natus erat et conjuge ipsius. Quid ergo se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia suscepit personam generis humani, et attendit omnium vincula; propaginem mortis, originem iniquitatis advertit. Aug. hic. Hæc autem sanctus David commemorat, non ad se excusandum, sed ad deprimendum potius : neque enim mirum a corrupto semine hæc mala emanasse.

8 « Ecce enim veritatem dilexisti. Enim » deest hic et supra ¶ 7. Veritatem diligis peccata confitentis. « Incerta et occulta sapientiæ tuæ. » Propter prophetiæ donum, ostendisti mihi vias tuas arcanas, eventus varios et incertos certa tamen providentia gubernatos; Christum ipsum, ejusque mysteria, ut patet in Psalmis passim.

9 « Hyssopo : » ut horosum reducendum ad hominum cœtus. Levit. XIV. 6. vel quemlibet immundum aqua lustrali aspergendum. Num. XIX. 18.

10 « Auditui meo...., » Auditum mihi facies gaudium...., Hier. per verbum absolutionis pronuntiatam Davidi a Prophetâ, nobis per sacerdotale ministerium.

Absconde faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea mihi, Deus, et spiritum stabilem renova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam Jesu tui, et spiritu potenti confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, et peccatores ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ; laudabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Non enim vis ut victimam feriam; nec holocaustum tibi placet.

Sacrificium Dei spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac in voluntate tua Sion, et ædificentur muri Jerusalem.

Tunc suscipies sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.

11. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

12. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

13. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

14. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

15. Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

16. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

17. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

18. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.

19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

20. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion; ut ædificentur muri Jerusalem.

21. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.

12 « Spiritum rectum innova..... » nempe aversus a lege, rectitudinem omiserat quam reddi petit.

13 « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » An ergo peccator habebat Spiritum sanctum? non enim dicit, Da mihi; sed, « ne auferas a me : » nempe quod « cum quisque sibi irascitur et sibi displicet, sine dono Spiritus sancti non est, quamvis veniam deprecetur. (Aug. hic, n. 16.)

14 « Spiritu principali : » potenti : Hier. spontaneo. Hebr. « Nedibah, » quod voluntarie, Ps. LIII. 8. Nota hic spiritum rectum, qui est vera justitia; Spiritum sanctum, quo justitia in homine jam ad se redeunte inchoatur; spiritum principalem, quo accepta venia jam securus ac firmus, non modo in justitia perseverat, sed etiam cæteros docet, ut sequentia demonstrant. Aug. hic.

16 « De sanguinibus : » plurali numero; a reatu multiplicis cædis, nec tantum Uriæ, verum etiam commilitonum ejus, qui ut ipse caderet, ad iniquum certamen, atque ad necem certam, missi sunt. II. Reg. XI. 15, 20, 21. A tantarum ergo cædium, quæ, continuo velut clamore, Davidis sanguinem reposcebant, reatu et horrore liberari petit. « Exultabit. ... » laudabit lingua mea : Hier.

18 « Quoniam si voluisses.... » non enim vis, etc. Hier. non id hunc a me peccatore requiris : qua voce sanctus David significat vetera sacrificia per se non esse Deo placita, ac tandem obliteranda.

19 « Contritum et humiliatum; » confractum et contritum : Hebr.

20 « Benigne fac..... » benefac Sioni, et muros Jerusalem ædifica : metuit ne suo scelere civitas ab ipso aucta et partim condita, pereat.

PSALMUS LI. INCREPATORIUS.

In persona Doeg, iniquos dolis suis superbientes increpat, et suo exemplo confundit.

V. S. H. — *Victori, eruditio David; cum venit Doeg Idumæus, et annuntiavit Saul, et dixit ei: Venit David in domum Achimelech.*

V.V. — 1. *In finem, intellectus David.*
2. *Cum venit Doeg Idumæus, e nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.* (I. Reg. XXII. 9.)

Quid gloriaris, in malitia potens? misericordia Dei tota die.
Insidias cogitavit lingua tua; quasi novacula acuta faciens dolum.

Dilexisti malum magis quam bonum; mendacium magis quam loqui justitiam. Semper.
Dilexisti omnia verba ad devorandum linguam dolosam.
Sed Deus destruet te, in sempiternum terrebit te, et evellet de tabernaculo, et eradicabit te de terra viventium. Semper.
Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt.
Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam; sed speravit in multitudine divitiarum suarum; confortatus est in insidiis suis.

Ego autem sicut oliva virens in

3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula acuta fecisti dolum.
5. Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis quam loqui æquitatem.
6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.
7. Propterea Deus destruet te in finem; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.
8. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent:
9. Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.
10. Ego autem sicut oliva fructi-

2 « Doeg Idumæus: » in aula Saulis vir primarius, potentissimus quippe pastorum: I. Reg. XXI. 7. atque inter servos ejus primus, XXII. 9. Quo indice cum accepisset Saul egregie exceptum esse Davidem ab Achimelech sacerdote, ipsum, atque universam ejus familiam interfici jussit. Quod facinus cum satellites horruissent, Doeg Idumæus eorum supplevit vicem. Itaque octoginta quinque sacerdotes cæsi; Nobe eorum urbs excisa, universis civibus interfectis. Ibid. 17, 18, 19.

3 « Quid gloriaris..... » Sensus planus; sic autem est in Hebr. Quid gloriaris, o tu qui es potens? Misericordia Dei tota die: Hier. non tecum, sed cum sanctis est; et ita Ch.

4 « Sicut novacula acuta..... » quæ cum tangere leniter et tantum radere videretur, alte infigitur, ac velut blandiendi specie vulnerat: ita Doeg cum Achimelech in tabernaculo Domini amicitiæ pietatisque specie versatus, fœdo indicio viros optimos prodidit. I. Reg. XXI. 7. XXII. 9.

6 « Præcipitationis: » absorptionis, demersionis: *Καυταποντισμο* 70. ad devorandum: Hier. Cujus quippe consiliis manuque, tot egregii viri, tantaque urbs perierit. « Lingua dolosa: » o lingua dolosa! Hebr. linguam dolosam: Hier. 70. supp. dilexisti.

7 « In finem: » in sempiternum. « Evellet te..... » comparatione ducta ab arbore excisa: et nota vim verborum: « Emigrabit te..... » amovebit, abradet, Hebr. delebit, excidet, ne trunco quidem relicto, denique eradicabit.

8 « Et dicent: » deest Hebr. sed subintelligendum.

9 « Divitiarum suarum: » Erat enim Doeg locupletissimus. Vid. argum « In vanitate sua: » pravitate: Hebr.

10 « Ego autem sicut oliva: » non ut Doeg arbor excisa; sed fructifera, virens: Hier.

domo Dei; speravi in misericordia Dei in seculum sempiternum.

Confitebor tibi in seculum, quoniam fecisti, et expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum.

fera in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in æternum, et in seculum seculi.

11. Confitebor tibi in seculum quia fecisti, et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

PSALMUS LII. MORALIS.

Vide Ps. XIII. cui hic simillimus, nonnullis additis quibus David cæsum Rabsacis exercitum et Jerusalem obsidione liberatam præcinere videatur. Theodor. *Vide* ℣ 6 et 7. Nec mirum hæc prædixisse Davidem, quæ propter ipsum futura essent : *Protegam* enim *urbem hanc, dicit Dominus, propter..... David servum meum.* IV. Reg. XIX. 34.

V. S. II. — *Victori, per chorum cruditio David.*

Dixit stultus in corde suo, Non est Deus; corrupti sunt abominabiles facti sunt iniquitate, non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret, si esset intelligens, requirens Deum.

Omnes aversi sunt, pariter adhæserunt; non est qui faciat bonum; non est usque ad unum.

Numquid non cognoverunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis; Deum non invocaverunt.

Ibi timuerunt timore, ubi non est timor; quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te; confunderis, quia Deus projecit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel?

V. V. — *In finem,* 1. *Pro Maeleth intelligentiæ David.*

Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.

2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus; non est qui faciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit super filios hominum; ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

7. Quis dabit ex Sion salutare

1 « Pro Maeleth : » pro chorum : Hier. ita Theodot. et Symm. ex Theodor. « Dixit insipiens..... Non est Deus. » Sic ille Rabsaces : « Nec conturbet vos Ezechias, dicens : Dominus liberabit nos..... Ubi est Deus Emath et Arphad?... Quis est ex omnibus diis terrarum istarum qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? » Isa. XXXVI. 18, 19, 20.

6 « Eorum qui hominibus placent. » Sensus planus : cum Deo, non hominibus placere nos oporteat. Sed aliter Hier. Ossa circumdantium te : castra metantium circa te : Aqu. et Symm. ex Theodor. Est autem pronomen « te » femininum in Hebr. unde ad Sion vel Jerusalem referendum. « Confusi sunt : » confunderis : Hier. verbum masc. jam ad hostem sermone conversus. Alii ex Hebr. pudore affecisti : supp. hostes tuos, o Israel! de quo ℣ seq. quæ quidem egregie conveniunt Rabsacis excidio, et Jerusalem ab obsidione liberatæ.

7 « Quis dabit ex Sion..... » quis dabit ut ex Sion salus universi Israelis incipiat, et inde annuntietur per omnes urbes? Supple, Deus hoc dabit; et ita contigit. IV. Reg. XIX. Isa. XXXVII.

cum reduxerit Deus captivitatem populi sui, exultabit Jacob, lætabitur Israel.

Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

PSALMUS LIII. MORALIS.

Deus suorum custos et vindex.

V. S. H. — *Victori in Psalmis, eruditio David; quando venerunt Ziphæi, et dixerunt Saul: Nonne David absconditus est apud nos?*

V. V. — *In finem.* 1. *in carminibus intellectus David.*
2. *Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?* (I. Reg. XXIII. 19. et XXVI. 1.)

Deus, in nomine tuo salva me, et in fortitudine tua ulciscere me.

Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.

Quia alieni insurrexerunt adversum me et fortes quæsierunt animam meam et non proposuerunt Deum in conspectu suo. Semper.

Ecce Deus auxiliabitur mihi; Dominus sustentans animam meam.

Redde malum insidiatoribus meis; in veritate tua disperde eos.

Voluntarie sacrificabo tibi; confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione liberavit me, et inimicos meos vidit oculus meus.

3. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.

4. Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.

5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

6. Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

7. Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.

8. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.

PSALMUS LIV. DEPRECATORIUS.

David fugiens Absalom et Achitophel: II. Reg. XV. *Vide* Ps. III, LXIX, LXX.

V. S. H. — *Victori in Psalmis, eruditio David.*

V. V. — 1. *In finem, in carminibus intellectus David.*

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despicias deprecationem meam.

Attende mihi, et exaudi me, humiliatus sum in meditatione mea, et conturbatus.

A voce inimici, a facie persequentis impii: quoniam projecerunt super me iniquitatem, et in furore adversabantur mihi.

2. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: 3. Intende mihi, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum, 4. A voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates; et in ira molesti erant mihi.

5 « Alieni: » id est, de hostes Ch. legit, superbi: « Zedim » pro « Zarim, apice immutato.
7 « Averte mala: » redde malum: Hier.
3 « Contristatus sum..... » humiliatus sum in meditatione mea: Hier. tot adversis vexatus, ac velut abjecta spe.
6 « A tribulatione peccatoris: » a facie persequentis impii: Hier. scilicet Achitophel. « De-

Cor meum dolui in vitalibus meis et terrores mortis ceciderunt super me.

Timor et tremor venit super me, et operuit me, caligo.

Et dixi : Quis dabit mihi pennas columbæ, ut volem et requiescam ?

Ut procul abeam, et commorer in deserto. Semper.

Festinabo ut salver a spiritu tempestatis et turbinis.

Præcipita, Domine, divide linguas eorum.

Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.

Die et nocte circumeuntes muros ejus; scelus et dolor in medio ejus.

Insidiæ in vitalibus ejus, et non recedit de plateis ejus damnum et fraudulentia.

Non enim inimicus exprobavit mihi ut sustineam; neque is qui oderat, super me magnificatus est, ut abscondar ab eo.

Sed tu homo unanimis meus, dux meus, et notus meus.

Qui simul habuimus dulce secre-

5. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.

6. Timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebræ.

7. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam.

8. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

9. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.

10. Præcipita, Domine, divide linguas eorum; quoniam divide iniquitatem, et contradictionem in civitate.

11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus, 12. et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.

13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.

14. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus :

15. Qui simul mecum dulces ca-

clinaverunt..... « projecerunt super me : Hier. id est, mihi iniquitatem objiciunt ; vel comminiscuntur in me consilium iniquum.

7 « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?..... » Sic enim David ad suos : « Surgite, fugiamus ; neque enim erit nobis effugium a facie Absalom : festinate egredi, ne forte veniens occupet nos. « II. Reg. xv. 14.

8 « Elongavi : « procul abeam : Hier. « In solitudine ; » quo David fugiebat : ibid. 23. 28.

9 « Expectabam eum..... » Deum qui mihi erexit animum. Aliter Hier. festinabo ut salver ; ut supra ℣ 7. « A pusillanimitate spiritus..... » a spiritu : id est, vento tempestatis et turbinis ; Idem Hier.

10 « Præcipita : » demerge in profundum, *Katapontison.* « Divide linguas : » sint eorum: varia concilia. Allusio ad Babel : convenit quod ait ipse David, II. Reg. xv. 31. « Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. Contradictionem : » jam enim video illos inter se divisos, scissaque studia inter Chusai et Achitophel ; ab hoc tandem discessum, unde partibus pernicies : II. Reg. xvii. « In civitate : » In Hebron perfida civitate, quo Absalom suos vocaverat, ubi regnabat. II. Reg. xv. 9, 11.

11 « Die ac nocte circumdabit eam..... » circumeuntes muros ejus : Hier. supp. inimici mei : custodiæ et vigiliæ circum : urbem obeunt milites : hic sensus eliuditur. « Iniquitas, et labor..... » scelus et dolor in medio ejus : Hier. Labor autem sive dolor sceleris comes.

12 « Et injustitia : » addit Hebr. in medio ejus : ut supra. « Usura et dolus : » vicinæ res : « non defecit de plateis ejus : » negotiosissima civitas, sed pessimis dedita negotiis ; ubi tanta undique concursatio, sed avaritiæ fraudisque causa. Vide autem inter mores perditæ atque impiæ civitatis usuram diserte notatam. Summa hæc : non Dei, non hominum, non legum, non fraternæ caritatis respectus ullus.

14 « Homo unanimis : » tu Achitophel, olim amicissimus. « Dux meus : » præceptor qui docuisti me : Ch. cujus consiliis agebam omnia.

15 « Mecum dulces capiebas cibos : » en familiaritas et convictus : at Hier. simul habuimus dulce secretum ; cui arcana omnia committebam ; tanta fiducia ac familiaritas inerat. « In domo Dei .... cum consensu : » in strepitu : Hebr. tumultu, festinatione, magna populi frequentia ; rerum humanarum ac divinarum inter nos summa societas.

tum, in domo Dei ambulavimus in terrore.

Veniat mors super eos, descendant in infernum viventes; quoniam nequitiæ in congregatione eorum et in medio eorum.

Ego ad Dominum clamabo, et Dominus salvabit me.

Vespere, et mane, et meridie loquar et resonabo, et exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam, ab appropinquantibus mihi; multi enim fuerunt adversum me.

Exaudiet Deus, et humiliabit eos, qui judex est ab initio. Semper.

Non enim mutantur, neque timent Deum.

Extendit manum suam ad pacifica; contaminabit pactum suum.

Nitidius butyro os ejus : pugnat autem cor illius; molliores sermones ejus oleo, cum sint lanceæ.

Projice super Dominum charitatem tuam, et ipse enutriet te; non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu autem, Deus, deduces eos in puteum interitus; viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Ego autem fiduciam habeo tui.

piebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu.

16. Veniat mors super illos; et descendant in infernum viventes : Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

17. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

18. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.

19. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi; quoniam inter multos erant mecum.

20. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante secula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum : 21. Extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus; 22. Divisi sunt ab ira vultus ejus : et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.

23. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.

24. Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te, Domine.

PSALMUS LV. DEPRECATORIUS.

V. S. II. — *Victori, pro columba muta, eo quod procul abierit David humilis et simplex, quando tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

V. V. — *In finem*, 1. *Pro populo, qui a sanctis longe factus est David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* (I. Reg. XXI. 10.)

Miserere mei, Deus, quoniam

2. Miserere mei, Deus, quoniam

19 « Ab his qui appropinquant mihi : » ab amicis olim, sed nunc perfidis. Ad Hebr. ab impugnantibus. « Quoniam inter multos : » inter cæteros familiares a meo latere non discedebant : at Hebr. « plures mecum erant quam cum illis; » Deo protegente et angelis circumstantibus, atque invisibili exercitu, qualem ministro suo trepido ac desperanti ostendit Elisæus. IV. Reg. VI. 16, 17.

20 « Non enim est illis commutatio : » non mutantur Hier; Malo agere perseverant, neque ullus rationi locus.

21 « Extendit manum suam in retribuendo : » Deus vindex, scilicet : at Hier. Extendit manum suam ad pacifica, impius, pacis et amicitiæ simulator; clarius, ad pacificos : consociatis dexteris cum iis quibuscum pacem colebat, ut me communi opera male perderent. « Contaminaverunt testamentum ejus : » contaminabit pactum suum : Hier. id est, fidem, quam mihi dederat, fregit.

22 « Divisi sunt ab ira. » Leniora butyro verba oris ejus, et bellum cor ejus; molliores sermones ejus oleo; et ipsi, stricti gladii. Hebr. consonat Hier.

24 « Non dimidiabunt dies suos; » non pervenient ad medium justæ ætatis.

1 « Pro populo, qui a sanctis » (a sanctuario) « longe factus est : » quod forte accommoda-

conculcavit me homo ; tota die pugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me insidiatores mei tota die ; multi enim qui pugnant contra me altissime.

Quacumque die territus fuero, ego in te confidam.

In Deo laudabo verbum ejus, in Deo speravi ; non timebo quid faciat caro mihi.

Tota die sermonibus me affligebant ; contra me omnes cogitationes eorum in malum.

Congregabuntur abscondite, plantas meas observabunt ; expectantes animam meam.

Quia nullus est salvus in eis ; in furore populos detrahet Deus.

Secretiora mea numerasti : pone lacrymam meam in conspectu tuo ; sed non in narratione tua.

Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero : hoc scio quia Deus meus es.

In Deo laudabo verbum : in Domino prædicabo sermonem.

In Deo speravi : non timebo quid faciat homo mihi.

In me sunt, Deus, vota tua : reddam gratiarum actiones tibi.

conculcavit me homo ; tota die impugnans tribulavit me.

3. Conculcaverunt me inimici mei tota die ; quoniam multi bellantes adversum me.

4. Ab altitudine diei timebo ; ego vero in te sperabo.

5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi ; non timebo quid faciat mihi caro.

6. Tota die verba mea execrabantur ; adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.

7. Inhabitabunt et abscondent ; ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, 8. pro nihilo salvos facies illos ; in ira populos confringes.

Deus, 9. vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo :

Sicut et in promissione tua : 10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te ; ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11. In Deo laudabo verbum, in Domimo laudabo sermonem : in Deo speravi; non timebo quid faciat mihi homo.

12. In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.

tus fuerit Psalmus populo inter gentes exuli tempore captivitatis : at Hier. pro columba muta; quod initium notæ cantilenæ. « In tituli inscriptionem, » ad rei memoriam : hæc autem verba habet Hebr. hic et in quatuor Psalmis sequentibus : qua de re vid. tit. Ps. XV. « Allophyli in Geth : » Philistæi sub rege Achis. I. Reg. XXI. 10. Vide titulum Psalmi XXXIII. de eodem argumento conscripti.

2 « Conculcavit me homo : » Saul scilicet.

3 et 4. « Multi bellantes..... ab altitudine. » Altissime : Hier. Tanquam ab excelso loco me oppugnant; hæc ad tertium v. pertinent. Ad quartum vero, quacumque die timebo : Hier. « In te sperabo : » neque eo secius confidam tibi tot inter terrores.

5 « In Deo laudabo sermones meos : » sensus obvius; in sermonibus meis id unum laudabo, quod ad Deum referantur : at planius Hier. In Deo laudabo verbum ejus; Deum laudabo propter verbum suum.

6 « Verba mea execrabantur : » sermonibus me affligebant : Hier.

7 « Inhabitabunt et abscondent : » congregabuntur abscondite ; Hier. « Calcaneum meum observabunt : » insidiose agent serpentis instar, de quo scriptum est : « Et tu insidiaberis calcaneo ejus. » Gen. III. 15. « Sicut sustinuerunt : » expectantes animam meam · Hier. vitæ meæ insidiantes.

8 « Pro nihilo salvos facies : » quia nullus est salvus in eis : Hier. nulla eis ab ira tua salus. « Populos confringes : » populos dejicies, o Deus; vox « Deus, » ad v. 8. revocanda Hier.

9 « Vitam meam annuntiavi tibi : » fugam meam numerasti : Hebr. Nosti quoties ad fugam adactus sum. « Posuisti lacrymas meas..... » Ingentis solatii est quod flentem respiciat : neque id tantum, sed addendum istud, « sicut et in promissione tua. » Nonne et in libro tuo? Hebr. supple, posuisti lacrymas meas, quod est non tantum considerantis, sed etiam studiose numerantis, et sæpe reminiscentis, ne usquam excidant animo.

12 « In me sunt, Deus, vota tua : » vota tibi nuncupavi. « Quæ, » abundat. « Reddam laudationes : » gratiarum actiones : Hier. Vota nuncupata reddam.

Quia eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut ambulem coram Deo in lumine viventium.

13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.

PSALMUS LVI. DEPRECATORIUS.

Deus, omni ope destituto, certus e cœlo auxiliator.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem, quando fugit a facie Saul in speluncam.*

V. V. — *In finem,* 1. *Ne disperdas David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.* (II. Reg. XXII. et XXIV. 4.)

Miserere mei, Deus, miserere mei; quoniam in te speravit anima mea, in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeant insidiæ.

2. Miserere mei, Deus, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.

3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

Mittet de cœlo, et salvabit me, exprobrabit conculcantibus me. Semper.

4. Misit de cœlo, et liberavit me; dedit in opprobrium conculcantes me.

Mittet Deus misericordiam suam, et veritatem suam.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, 5. et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium; filii hominum, dentes eorum lanceæ et sagittæ et lingua eorum gladius acutus.

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ : et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos, Deus : in omni terra gloria tua.

6. Exaltare super cœlos, Deus, et in omnem terram gloria tua.

Rete paraverunt gressibus meis, ad incurvandam animam meam :

7. Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante me foveam; ceciderunt in medium ejus. Semper.

Foderunt ante faciem meam foveam; et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam.

8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psalmum dicam.

Surge, gloria mea, surge, psalterium, et cithara; surgam mane.

9. Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara : exsurgam diluculo.

1 « Ne disperdas : » me scilicet. Titulus frequens, quo admonemur Psalmum pertinere ad amoliendam iram Dei.

2 « Transeat iniquitas : » insidiæ : Hier.

3 « Deum qui benefecit mihi : » ultorem meum : Idem.

4 « Misit de cœlo. . . misericordiam.... » ut est in sequentibus, ad me liberandum : alibi : misit e cœlo auxiliatricem manum. Ps. XVII. 17.

5 « Animam meam... dormivi conturbatus. » Quæ enim requies agenti inter leones? At Hier. anima mea in medio leonum dormivit ferocientium; tanta ex fiducia in Deum securitas inerat. « Arma : » lancea : Hebr.

7 « Et incurvaverunt... » ad incurvandam : Hier. ad prosternendum me.

8 « Paratum cor meum, » Vide initium Ps. CVII.

9 « Gloria mea : » lingua : ut sæpe alias. Vide Ps. XV. 9. Act. II. 26.

Confitebor tibi in populis, Domine : cantabo tibi in gentibus.

Quia magna usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus : in omni terra gloria tua.

10. Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.

11. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

12. Exaltare super cœlos, Deus ; et super omnem terram gloria tua.

PSALMUS LVII. MORALIS, INCREPATORIUS.

In assentatores Saulis.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem.*

Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra : iniquitates manus vestræ appendunt.

Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquentes mendacium.

Furor eorum sicut furor serpentis ; sicut reguli surdi obturantis aurem suam :

Ut non audiat vocem murmurantium ; nec incantatoris incantationes callidas.

Deus, excute dentes eorum ex ore eorum : molares leonum confringe, Domine.

Dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt : intendit arcum suum donec conterantur.

Quasi vermis tabefactus pertranseant : quasi abortivum mulieris quod non vidit solem.

V. V. — *In finem,* 1. *Ne disperdas David in tituli inscriptionem.*

2. Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.

3. Etenim in corde iniquitates operamini : in terra injustitias manus vestræ concinnant.

4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis ; sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.

7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confringet Dominus.

8. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens : intendit arcum suum donec infirmentur.

9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur : supercecidit ignis ; et non viderunt solem.

2 « Si vere.... » Sensus Vulgatæ planus, quem sequitur Hier. Invehitur autem gravissime in eos, qui de justitia multa et præclara locuti, eam contemnunt in judiciis : at Hebr. eodem fere sensu, sed vehementius : num vero, e congregatio, « justitiam loquimini ? » num recta judicatis, filii hominum ? Cum enim videat vix ullum esse justitiæ in tota civitate locum, non singulares homines, sed universam congregationem appellat ; quasi diceret : Cur vobis justitia in ore est ? cur inane tantum nomen ejus ?

3 « In corde.... » Non tantum cogitatis iniqua, sed opere completis.

4 « Alienati sunt peccatores a vulva. » Ab ipsa nativitate errant, pessimis exemplis et præceptis instituti.

5 « Furor : » alii, venenum. « Secundum similitudinem serpentis : » veneni serpentis Hebr. Venenata lingua ; venenatus ipse halitus ipsum aerem inficit ; corrupta omnia.

6 « Quæ non exaudiet : » ut non audiat, etc. Hier. Comparatio ducta ex vulgari opinione. Ne audire quidem volunt quod eos possit a scelere revocare. « Incantantis sapienter : » ex artis occultis, id enim est sapienter, secundum Hebræos.

7 « Conteret : » excute : Hier. « Molas leonum : » dentes molares : vim hominum crudelium.

« Intendit arcum suum : » Deus scilicet.

9 « Sicut cera.... » quasi vermis tabefactus, etc. Hier. « Supercecidit . . . » quasi abortivum mulieris, etc. Idem. In Vulgata autem, ignis intelligendus, ira Dei qua impii consumantur.

Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum : quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.

Lætabitur justus cum viderit ultionem, pedes suos lavabit in sanguine impii.

Et dicet homo : Vere est fructus justo ; vere est Deus judicans in terra.

10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum ; sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

11. Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

12. Et dicet homo : Si utique est fructus justo : utique est Deus judicans eos in terra.

PSALMUS LVIII. DEPRECATORIUS : PROPHETICUS.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem, quando misit Saul, et custodierunt domum, ut occiderent eum.*

V. V. — *In finem,* 1. *Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.* (I. Reg. XIX. 11.)

Erue me de inimicis meis, Deus meus, et a resistentibus mihi protege me.

Libera me ab operariis iniquitatis, et a viris sanguinum salva me.

Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregantur adversus me fortissimi : absque iniquitate mea, et absque peccato meo, Domine.

Non egi inique ; et illi currunt et præparantur : surge ex adverso pro me, et respice.

Et tu, Domine Deus exercituum, Deus Israel, evigila ut visites omnes gentes : non miserearis universis qui operantur iniquitatem. Semper.

Revertantur ad vesperam, et latrent ut canes, et circumeant civitatem.

2. Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem : et de viris sanguinum salva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri, et direxi.

6. Exurge in occursum meum, et vide : et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel,

Intende ad visitandas omnes gentes ; non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

10 « Priusquam intelligerent : » antequam crescant, etc. Totus versus ex Hier. Priusquam malitia vestra mihi noceat ; tunc eum vigere incipit, dissipabitur.

11 « Manus suas lavabit : » tinget : « in sanguine peccatoris : » ulciscendo eum : pedes suos : Hier. proculcatis hostium cadaveribus, in suo sanguine volutatis : tanta erit ultio. Totum autem hoc, idem est, ac si diceret, lætabitur impiorum interitu. Sic Psalm. LXVII, 24. « Ut intingatur pes tuus in sanguine. » Quod ait non illudens peccatori, sed divinæ providentiæ cernens effectus. Theodor.

4 « Ceperunt .... » insidiati sunt animæ meæ : « Hier. Irruerant : » congregantur : Idem.

5 « Neque iniquitas. .. » supple, ulla est. « Cucurri, et direxi » ad æquum gressus meos. At Hier. de inimicis ; illi currunt et præparantur, accingunt se ut me subvertant.

6 « Exsurge in occursum meum : » ex adverso pro me : Idem. « Omnes gentes. » Non in me tantum intende, sed in omnes oppressos, quacumque terrarum ; id enim te decet orbis universi judicem. Sic decet calamitosos, ex ipso miseriæ suæ sensu, pro omnibus æque laborantibus, supplicare.

7 « Convertentur : » revertantur : Hier. percussores quos mihi Saul summiserat, tanquam canes amissa præda. « Famem patientur : » latrent : Hier. « Circuibunt civitatem : » ut me deprehendant.

Ecce loquuntur in ore suo, gladii in labiis eorum : quasi nemo audiat.

Tu autem, Domine, deridebis eos; subsannabis omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te servabo : quoniam tu Deus elevator meus.

Dei mei misericordia præveniet me; Deus ostendet mihi insidiatores meos.

Ne occidas eos, ne forte obliviscantur populi mei : disperge eos in fortitudine tua, et destrue eos, protector noster, Domine.

In peccato oris sui, in sermone labiorum suorum, et capiantur in superbia sua; maledictionem et mendacium narrantes.

Consume in furore, consume ut non subsistant : et scient quoniam Deus dominator Jacob, in finibus terræ. Semper.

Convertentur ad vesperam, et latrent ut canes, et circumeant civitatem.

Ipsi vagabuntur ut comedant, et cum saturati non fuerint, murmurabunt.

Ego autem cantabo imperium tuum, et laudabo mane misericordiam tuam; quoniam factus es for-

8. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?

9. Et tu, Domine, deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es :

11. Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

12. Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos; nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.

13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione et mendacio annuntiabuntur 14. in consummatione : in ira consummationis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.

15. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum; si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam.

8 « Loquentur : » petent, interrogabunt quoscumque occurrentes. « Quis audivit? » ubi lateat David. « Et gladius in labiis eorum. » Hæc voce sanguinaria ab omnibus quærent.

9 « Ad nihilum deduces : » subsannabis : Hier. « Omnes gentes. » Videtur Saul Davidi gentiles submisisse satellites, qualis forte Doeg Idumæus et lingua et manu promptus atque ad cædem instructus, de quo vide in Ps. LI.

10 « Fortitudinem meam ad te custodiam : » in te mea est fortitudo. Non ad me, sed « ad te; » quia in exercendis virtutibus, tibi laudes refero semper, non meis viribus. Comm. Hier.

12 « Ostendet mihi super inimicos : » ostendet mihi insidiatores meos : Hier. id est, ostendet mihi judicium suum occultum de ipsis, quod tale est, ut sequitur, nempe « ne occidas eos : » duret eorum supplicium « Nequando obliviscantur populi mei : » pluraliter in recto; ut popularibus meis documento sint et exemplo. Prophetice, christiani divinæ ultionis oblivisci non possunt, dum Judæi excidio suo superstites, et ubique vagi, pœnam suam et pariter in testimonium eloquia divina circumferunt : August. et alii passim. « Di perge illos : » vagos, qualis Cain.

13 « Delictum oris eorum... » In peccato oris sui, etc. Hier. supple, « disperge eos. » Dispergantur propter peccata oris sui; propter insanas illas et impias adversum me vociferationes, quod et Judæis et inimicis Davidis congruit. « Et de execratione et mendacio : » his sceleribus convicti. « Annuntiabuntur, » omnibus innotescent : at Hier. maledictionem et mendacium narrantes; quasi diceret, nihil nisi maledicta et mendacia in ore habent.

14 « In consummatione... » Consume in furore, consume, etc. Hier.

15 « Convertentur : » revertantur... latrent, ut supra 7. Repetitur autem ille versus ad inculcandum inimicorum furorem, ac Dei liberatoris beneficium.

16 « Dispergentur : » vagabuntur ad manducandum : Hier. prælæ avidi discurrent undique.

17 « Exultabo » prædicabo cum gaudio. « Mane, » recte, cum noctu fugerit. I. Reg. XIX. 12.

titudo mea, et refugium in die tribulationis meæ.

Virtutem meam tibi cantabo; quoniam Deus adjutor meus, Deus misericordia mea.

Quia factus es susceptor meus, et refugium meum, in die tribulationis meæ.

18. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia mea.

PSALMUS LIX. EUCHARISTICUS.

Ultus antiquos Israelitarum hostes Syros, a quibus olim oppressi fuerant sub Judicibus, certam sibi ac singulis tribubus victoriam pollicetur.

V. S. H. — *Victori, pro liliis, testimonium humilis et simplicis David ad docendum; quando pugnavit adversus Syriam Mesopotamiæ, et adversus Syriam Soba, et reversus est Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

V. V. — 1. *In finem, pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem, ipsi David in doctrinam,* 2. *Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.* (II. Reg. VIII, 1. et X. 7. I. Par. XVIII. 1.)

Deus, projecisti nos, scidisti nos, iratus es, convertisti nos.

Commovisti terram, et diripuisti eam; sana contritiones ejus, quoniam mota est.

Ostendisti populo tuo duritiam; potasti nos vino consopiente.

Dedisti metuentibus te signum, ut fugerent a facie arcus. Semper.

Ut liberentur amici tui: salva dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sanctuario suo: lætabor, dividam Sichimam, et vallem Soccoth dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraïm fortitudo capitis mei; Juda legifer meus.

3. Deus, repulisti nos, et destruxisti nos; iratus es, et misertus es nobis.

4. Commovisti terram, et conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota est.

5. Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.

6. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus:

Ut liberentur dilecti tui; 7. salvum fac dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus es in sancto suo: lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.

9. Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraïm fortitudo capitis mei.

18. « Deus meus, misericordia mea: » Deus misericordiæ meæ: Hebr. vel Deus misericor meus, qui totus bonitas, totus misericordia est.

3 « Et misertus es nobis: » revertere ad nos: Hebr.

4 « Commovisti terram: » Judæam; tunc cum a Syris sub Judicibus vexata est.

5 Vino compunctionis: » consopiente: Hier. id est, lethali; alii, horroris.

6 « Dedisti.... significationem; ut fugiant.... » More præclari ac providi ducis significasti tuis, quando hostes immnerent. At Heb. dedisti signum, vexillum, verbum tuum, ut se extollant propter veritatem, hoc est, ut promissis tuis, tua veritate nitantur.

7 « Salvum fac.... » Hæc et sequentia vide repetita Ps. CVII. 7.

8 «Lætabor et partibor Sichimam: » urbem Amorrhæorum. « Convallem tabernaculorum: » vallem Soccoth: Hier. Sensus est, lætabor, potitus victoria, Sichimamque et Soccoth regiones Philistinorum dimetiar, ut in plebem meam partiar.

9 « Meus est Galaad.... » Commemorat tribus Israelis quibus hostium agros, urbesque dispertivit « Ephraïm fortitudido capitis: » firmamentum regni. « Juda rex meus, » legislator: Hier. Mehoceci; ut Gen. XLIX. 10. Tribus Juda regnum obtinebit sub Davide et posteris.

Moab olla lavacri mei : super Idumæam incedam calceamento meo : mihi Palæstina fœderata est.

Quis deducet me ad civitatem munitam ? quis deducet me usque ad Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui projecisti nos, et non egredieris, Deus, in exercitibus nostris ?

Da nobis auxilium de tribulatione; vana est enim salus ab homine.

In Deo faciemus virtutem, et ipse conculcabit tribulantes nos.

Juda rex meus : 10. Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam ? quis deducet me usque in Idumæam ?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostri ?

13. Da nobis auxilium de tribulatione ; quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

PSALMUS LX. EUCHARISTICUS.

Dei bonitatem expertus, certa jam spe eam implorat.

v. s. n. — *Victori, in Psalmis David.*

Exaudi, Deus, laudationem meam; intende orationi meæ.

De novissimo terræ ad te clamabo ; cum triste fuerit cor meum : cum fortis elevabitur adversum me, tu eris ductor meus.

Fuisti spes mea : turris munitissima a facie inimici.

Habitabo in tabernaculo tuo jugiter; sperabo in protectione alarum tuarum. Semper.

Tu enim, Deus, exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies : annos ejus donec est generatio et generatio.

v. v. — *In finem,* 1. *In hymnis David.*

2. Exaudi, Deus, deprecationem meam ; intende orationi meæ.

3. A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, 4. quia factus es spes mea; turris fortitudinis a facie inimici.

5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula : protegar in velamento alarum tuarum.

6. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam ; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

7. Dies super dies regis adjicies; annos ejus usque in diem generationis et generationis.

10 « Moab olla spei meæ : » lavacri mei : Hier. pelvis ad lavandos pedes. Subjiciam illum pedibus; Israel elegi, et sprevi Moab, Idumæos, Philistæos, de quibus postea. « In Idumæam extendam calceamentum... » incedam : Hier. proculcabo eam. « Alienigenæ, » Philistæi, et ita semper.

11 « Quis deducet me usque in Idumæam? » 12. « Nonne tu, Deus? quo duce, David Idumæa potitus est. II. Reg. VIII. 14.

12 « Qui repulisti... » Projeceras nos, et non egrediebaris, etc. Qui tempore Saulis, videbaris nos deserere, nec præesse velle jam nostris exercitibus, cum oracula et solitum auxilium denegares, nunc victores præstas.

14 « Faciemus virtutem : » fortiter rem geremus.

3 « A finibus terræ... clamavi : » a tam longinquo spatio ; ab extremo angulo terræ sanctæ procul a tabernaculo tuo, et tamen me audiebas : nam cum omnino deficerem : « In petra exaltasti me : » qua et in altum erigerer, et firmo pede consisterem.

6 « Dedisti hæreditatem : » regnum et domum quam Deus Davidi stabilivit : II. Reg. VII. 7.

7 « Dies super dies regis... » Davidis ac posterorum ejus, quibus regnum concessisti in longis-

Sedebit semper ante faciem Dei, misericordia et veritas servabunt eum.

Sic canam nomini tuo jugiter; reddens vota mea per singulos dies.

8. Permanet in æternum in conspectu Dei; misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

9. Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi; ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS LXI. CONSOLATORIUS.

Tempore Absalomi, ut videtur, desertus ac deceptus ab omnibus, seque et populum divini auxilii spe sustentat. De titulo vide in Ps. XXXVIII.

V S. H. — *Victori, pro Idithun canticum David.*

Attamen apud Deum silebit anima mea; ex eo salus mea.

Attamen ipse est scutum meum et salus mea; fortitudo mea, non commovebor amplius.

Usquequo insidiamini contra virum, interficitis omnes, quasi murus inclinatus, et maceria corruens.

Partem enim ejus cogitaverunt expellere, placuerunt sibi in mendacio: ore suo singuli benedicunt, et corde suo maledicunt. Semper.

Verumtamen Deo retice, anima mea; ab ipso enim præstolatio mea.

Sed ipse est fortitudo mea et salus mea; susceptor meus, non timebo.

V. V. — *In finem,* 1. *Pro Idithun, Psalmus David.*

2. Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus; susceptor meus, non movebor amplius.

4. Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti; ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea; quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus, et salvator meus; adjutor meus, non emigrabo.

sima tempora, imo in æternum; cum Christo venturo dederis regnum David patris ejus, et ipse in æternum in Jacob regnaturus sit: Luc. I. 32.

8 « Permanet in æternum... » ipse et regnum ejus, cujus non erit finis: Luc. I. 33. « Misericordiam.... ejus.... » Planus Vulgatæ sensus sive ad Deum, sive ad Davidem referas: nemo in Deo, nemo in Davide requiret misericordiam et justitiam; at Hier. misericordia et veritas servabunt eum; Davidem: quod videtur sublimius.

9 « De die in diem: » quotidie.

2 « Nonne Deo... » Certe Deo silebit anima mea: Hebr. imperante Deo, ne mutiet quidem; tanta erit obedientia.

3 « Nam et ipse: » certe utique, ut supra.

4 « Quousque irruitis in hominem?... tanquam parieti inclinato? » Ita irruitis in me, tanquam essem murus, jam impulsus in ruinam, ac facile ruiturus; at non ita est, Deus enim me sustentat. Hic ordo verborum, sed interjectum illud, « interficitis universi vos: » omnes me ad internecionem quæritis; « toto » enim « corde universus Israel » sequebatur « Absalom. » II. Reg. XV. 13.

5 « Verumtamen: » utique, ut supra. « Pretium meum: » partem ejus: Hier. de se enim in tertia persona loquitur, ut v. 3. Sensus est: pretium meum, partem meam quæ mihi est pretiosissima, Deum scilicet, a me alienare se posse putant, sed frustra sunt. « Cucurri in siti. » Ita fugi, ut cervus sitabundus, actus a venatoribus: at planius Hier. Placuerunt sibi in mendacio: unde subdit: « ore suo benedicebant, etc. »

6 « Deo subjecta esto: » Deo retice: Hier. eodem sensu, ut patet ℣. 2.

7 « Non emigrabo: » nihil me commovebit: non mutabo: Hebr. in ejus fide et amore persistam.

In Deo salutare meum, et gloria mea; robur fortitudinis meæ, et salus mea in Deo.

Sperate in eo omni tempore, populi, effundite coram eo cor vestrum; Deus spes nostra est. Semper.

Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri in stateris dolosis; fraudulenter agunt simul.

Nolite confidere in calumnia, et in rapina, ne frustremini; divitiæ si affluxerint, ne apponatis cor.

Unum locutus est Deus, duo hæc audivi; quia imperium Dei est.

Et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opus suum.

8. In Deo salutare meum, et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris; ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere; divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi quia potestas Dei est,

13. et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

PSALMUS LXII. CONSOLATORIUS.

In deserto, sanctuarii memor, sacris conventibus mente se sistit. Deumque certissimum vindicem se habere lætatur. Hæc summo mane evigilans canit. Unde hic Psalmus matutinus dicebatur. Chrys. in Psalm. CXL.

V. S. II. — *Psalmus David. Cum esset in deserto Judææ.*

Deus, fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te.

Sitivit te anima mea, desideravit te caro mea: in terra invia et consistente, ac sine aqua.

Sic in sancto apparui tibi, ut vi-

V V. — *Psalmus David*, 1. *Cum esset in deserto Idumææ.* (I. Reg. XXII. 5.)

2. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

3. In terra deserta et invia et ina-

9 « Omnis congregatio populi. » Addit Hier. omni tempore.

10 « Vani filii hominum : » filii hominis : Hebr. « Mendaces filii hominum : » filii viri : Heb. tam plebii quam nobiles; vide Ps. XLVIII. 2, 3. « In stateris : » in bilance attolluntur ipsi præ vanitate simul; Hebr statim atque bilancibus sunt impositi, vanitate sunt ipsa leviores; vel quod eodem recidit, omnes simul sua vanitate leves, in bilance statim attolluntur, nullo pondere, nulla vi.

11 « In iniquitate... » in calumnia et rapina. Nolite in ejusmodi fidere, ne frustremini (spe vestra :) Hier. « Divitiæ si affluant : » robur si affluat, etc. Hebr. eodem sensu, cum ex divitiis robur existat.

12 « Semel locutus est... » Quod ait semel, firmitatem dictorum ostendit : Comm. Hier. « Semel : » unum : Hier. « Duo hæc audivi : » ex uno et irretractabili decreto Dei, hæc duo intellexi : hæc summa decretorum, ut omnia potestate administret; vim illam potentissimam et indeclinabilem, adhibita misericordia, temperet.

13 « Quia tu reddes unicuique... » quod est summæ potestatis officium.

1 « In deserto Idumææ : » Judææ : Hebr. et 70. apud Theodor. In deserto Ziph, quæ in tribu Juda. I. Reg. XXIII. 15.

2 « Quam multipliciter... » desideravit te caro mea : Hier. Affectus animi, præ vehementia, in ipsum corpus redundant.

3 « Sic in sancto : » quasi in sanctuario : quod quidem assiduo animo volutabam.

deam fortitudinem tuam, et gloriam tuam.

Melior est enim misericordia tua quam vitæ : labia mea laudabunt te.

Sic benedicam tibi in vita mea ; in nomine tuo levabo manus meas.

Quasi adipe et pinguedine implebitur anima mea, et labiis laudantibus canet os meum.

Recordans tui in cubili meo ; per singulas vigilias meditabor tibi.

Quia fuisti auxilium meum, et in umbra alarum tuarum laudabo.

Adhæsit anima mea post te ; me suscepit dextera tua.

Ipsi vero interficere quærunt animam meam; ingrediantur in extrema terræ.

Congregentur in manus gladii ; pars vulpium erunt.

Rex autem lætabitur in Deo, laudabitur omnis qui jurat in eo ; quia obstruetur os loquentium mendacium.

quosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

5. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.

6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.

7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te : 8. quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo. 9. Adhæsit anima mea post te ; me suscepit dextera tua.

10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ ; 11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

12. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo ; quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMUS LXIII. DEPRECATORIUS ET INCREPATORIUS.

In maledicos qui, conspiratione facta, Saulem in ipsum instigabant.

V. S. H. — *Victori*, *Psalmus David.* V. V. — *In finem*, 1. *Psalmus David.*

Audi, Deus, vocem meam loquentis, a timore inimici serva vitam meam.

Absconde me a consilio malignorum ; a tumultu operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt quasi gladium

2. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor ; a timore inimici eripe animam meam.

3. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

4. Quia exacuerunt ut gladium

4 « Super vitas : » melior omni vita divitum, potentium, hominum suaviter viventium, cujuscumque generis.

6 « Sicut adipe... » tanquam cibo suavissimo repleor, cum te laudo.

7 « Si memor fui tui... » cum recordor tui in cubili meo, tum exultat os meum : ex vers. præcedenti.

8 « In velamento... » in umbra : Hier.

10 « In vanum quæsierunt... » interficere quærunt animam meam : (me.) Hier. « In inferiora terræ : » in sepulcrum.

11 « Partes vulpium... » pars vulpium et eorum cibus : bestiis laniandi relinquentur.

12 « Rex : » David. « Qui jurant in eo : » rege scilicet, per cujus salutem jam libere jurabitur, Saule, et inimicis extinctis. Theodor. « Loquentium iniqua : » mendacium : Hier.

3 « Protexisti : » absconde : Hier protege. « A multitudine : » a tumultu : Idem.

4 « Arcum : » sagittam suam verbum amarissimum : Hier. hoc enim sagittæ instar.

linguam suam; tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.

Ut sagittarent in absconditis simplicem; subito sagittabunt eum, et non timebunt.

Confortaverunt sibi sermonem pessimum, narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio, et cogitatione singulorum, et corde profundo.

Sagittabit ergo eos Deus jaculo repentino; inferentur plagæ eorum.

Et corruent in semetipsos linguis suis: fugient omnes qui viderint eos.

Et timebunt omnes homines, et annuntiabunt opus Dei, et opera ejus intelligent.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo: et exultabunt omnes recti corde.

linguas suas; intenderunt arcum rem amaram, 5. ut sagittent in occultis immaculatum.

6. Subito sagittabunt eum, et non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?

7. Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: 8. et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: 9. et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos, 10. et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS LXIV. EUCHARISTICUS.

Oblatis primitiis, vel frugibus collectis, mense septimo; certe in magna solemnitate. Unde: *Omnis caro ad te veniet.* v. 3.

v. s. h. — *Victori, Psalmus David Cantici.*

Tibi silentium laus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum.

v. v. — *In finem, Psalmus David.* 1. *Canticum Jeremiæ, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.*

2. Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.

6 « Firmaverunt sibi sermonem nequam : » frontem obfirmaverunt ad aggerendas calumnias. « Quis videbit eos? » laqueos scilicet. Tantæ artes, tam occultæ tendiculæ, ut nullius cautioni locus.

7 « Scrutati sunt iniquitates : » vias nocendi studiose exquisierunt. « Defecerunt scrutantes... » Perfecerunt scrutinium scrutinii : Hebr. occultissimum ac profundissimum. « Accedet homo ad cor altum : » ad intima hominis : cum facta desint quæ arguant, etiam corda scrutantur, et arcanas cogitationes accusant. Sic enim David ipse queritur ad Saulem : « Quare audis verba hominum loquentium : David quærit malum adversum te? I. Reg. XXIV. 10.

8 « Exaltabitur Deus : » ulciscendo et puniendo. Sensus apertus; sed aliter Hier. « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : » ut hoc ad vindictam pertineat quod « sagittæ parvulorum, » imbecilles licet, tamquam infirma manu jactæ, tamen alte infigantur. Sed Hebr. cui congruit Hier. sagittabit eos Deus jaculo repentino : inferentur eis plagæ, quod est, declinare non poterunt ictus. Atque ita Theodot. apud Theodor.

9 « Infirmatæ sunt... » Corruent in semetipsos linguis suis : Hier. Sibi mutuo nocebunt, ac tam varia fingent, ut nec ipsi sibi constare possint.

10 « Timuit omnis homo : » cum viderint iniquos, mutua veluti cæde confectos, ac Deum justum esse clamabunt. « Annuntiaverunt opera Dei... intellexerunt. » Annuntiabunt... intelligent : Hier.

1 « Jeremiæ : » aliqui addebant « Aggæi : » sed hæc desunt Hier. Hebr. et a Theodoreto respuuntur.

2 « Te decet. » Tibi silentium laus : Hier. cum nihil de te digne dici possit. « In Jerusalem, » deest Hebr.

Exaudi orationem, donec ad te omnis caro veniat.

Verba iniquitatum prævaluerunt adversum me : sceleribus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegeris et susceperis : habitabit enim in atriis tuis ; replebimur in bonis domus tuæ, sanctificatione templi tui.

Terribilis in justitia exaudi nos, Deus, salvator noster : confidentia omnium finium terræ, et maris longinqui.

Præparans montes in virtute sua, accinctus fortitudine.

Compescens sonitum maris, fremitum fluctuum ejus, et multitudinem gentium.

Et timebunt qui habitant in extremis a signis tuis : egressus matutini et vesperi laudantes facies.

Visitasti terram, et irriga eam ; ubertate dita eam ; rivus Dei plenus aqua : præparabis frumentum eorum, quia sic fundasti eam.

Sulcos ejus inebria, multiplica fruges ; fluviis irriga eam, et germini ejus benedic.

Volvetur annus in bonitate tua, et vestigia tua rorabunt pinguedine.

3. Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.

5. Beatus quem elegisti et assumpsisti ; inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, 6. mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : 8. qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, 9. et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.

10. Visitasti terram, et inebriasti eam ; multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum ; quoniam ita est præparatio ejus.

11. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus ; in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.

3 « Omnis caro, » omnes homines.

4 « Verba iniquorum : » verba iniquitatum : Hier. res iniquæ ; verbum pro ipsa re, noto hebraismo.

5 « Beatus quem elegisti : » Beati sacerdotes et levitæ templum inhabitantes. « Replebimur... » Nos quoque sacris cibis satiabimur « Sanctum est templum... » Sanctificatione templi tui : Hier. nempe victimis, instructo et exis sacro epulo.

6 « Templum tuum, mirabile, » terribile. « In æquitate. » Terrentur qui cogitant quam pure, quam sancte sit adeundum. « Et in mari... » et maris longinqui : Hier. In te sperant et qui terram incolunt, et qui navigant.

7 « Præparans montes ; » condens jam inde ab origine mundi. « Virtute tua ; » sua : Hier.

8 « Qui conturbas... » Tu nempe tempestates cies. At Hier. Compescens sonitum maris, etc. ; et multitudinem gentium, elegantissime : Deus enim animata ac inanima æque in potestate habet, motusque omnes suis subdit legibus.

9 « Timebunt qui habitant terminos ; » supple, terræ. « A signis : » a miraculis, quæ in gratiam populi tui edidisti. « Exitus matutini... delectabis ; » laudantes facies : Hier. Facis ut te laudent qui, seu mane, seu vespere, ad sacrificia procedunt.

10 « Inebriasti : immissa pluvia desiderare fecisti eam. Hebr. cum aresceret, et aquas sitire videretur. « Multiplicasti locupletare... » Admodum locupletasti, dato imbre copioso, quo factum est ut « flumen Dei, » quod est flumen ingens, hebraismo noto, Jordanis scilicet, intumesceret. Id autem Jordani contingit messis tempore, ut videre est Jos. III. 15. Unde forte ad Pentecosten Psalmus pertinet. « Cibum illorum : » frumentum : Hier. « Ita est præparatio ' » sic fundasti eam : Idem. terram, scilicet : sic comparasti eam, ut irrigata ferax esset.

11 « Rivos : » sulcos : Idem et 70 Genimina, » fruges : Hier. « In stillicidiis... » Pluviis irriga eam, et germini ejus benedic : Idem.

12 « Coronæ anni : » coronabis annum benignitate tua : Hebr. cinges, exornabis, cumulabis frugibus. « Campi tui : » vestigia tua, etc. Hier. id est, itinera terræ sanctæ, quam Deus inhabitare et inambulare videbatur.

Pinguescent pascuæ deserti, et exultatione colles accingentur.

Vestientur agnis greges; et valles plenæ frumento coæquabuntur et canent.

13. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.

14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent.

PSALMUS LXV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Populo a calamitatibus liberato.

V. S. H.—*Victori, Canticum Psalmi.*

Jubilate Deo, omnis terra. Cantate gloriam nomini ejus; date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribile opus tuum; in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te et canat tibi; canat nomini tuo. Semper.

Venite et videte opera Dei, terribilia consilia super filiis hominum.

Convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede; ibi lætabimur in eo.

Qui dominatur in fortitudine sua seculo, oculi ejus gentes aspiciunt: qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis. Semper.

Benedicite, populi, Deo nostro, et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam nostram ad vitam, et non dedit in commotionem pedes nostros.

Probasti enim nos, Deus; igne nos conflasti, sicut conflatur argentum.

Introduxisti nos in obsidionem, posuisti stridorem in dorso nostro.

Posuisti homines super capita nostra; transivimus per ignem et

V. V. — *In finem*, 1. *Canticum Psalmi resurrectionis.*

Jubilate Deo, omnis terra, 2. psalmum dicite nomini ejus; date gloriam laudi ejus.

3. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo.

5. Venite et videte opera Dei; terribilis in consiliis super filios hominum.

6. Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt; qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

8. Benedicite, gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.

9. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: 12. imposuisti homines super capita nostra.

14 « Arietes ovium. » Agnis greges: Hier. eodem sensu; fœcundabuntur oves, agnis abundabunt. « Hymnum dicent » agricolæ, pro tanta anni fertilitate, rerumque copia.

1 « Resurrectionis: » deest Hebr. etiam apud 70. teste Theodor.

3 « Mentientur tibi.... » Præ timore negabunt se Israelitis adversari.

6 « Mare, » Rubrum Hebræis pervium « In flumine; » in Jordane, quod factum est sub Josue. Jos. III. « Ibi lætabimur in ipso: » in Deo.

7 « Qui exasperant... » Contumaces, ne superbiant.

8 « Gentes: » populi, Ammim. At Israelitæ plerumque « populus, » singulari numero.

9 « Animam meam: » animas nostras: Hebr. « Pedes meos; » nostros: Hebr.

11 « In laqueum: » in obsidionem: Hier. in angustias. « Tribulationes: » stridorem: Hier. « In dorso nostro: » immisisti hostes tergo insistentes cum diris comminationibus.

12 « Imposuisti homines, » nobis graves; inequitantes: Hebr. quasi humeris insidentes. « In refrigerium; » in irriguam: Hebr. supp. terram.

aquam : et eduxisti nos in refrigerium.

Ingrediar domum tuam in holocaustis ; reddam tibi vota mea ,

Quæ promiserunt labia mea, et locutum est os meum in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum ; faciam boves cum hircis. Semper.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ.

Ipsum ore meo invocavi, et exaltavi in lingua mea.

Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Ideo exaudivit Deus ; et attendit vocem deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam , et misericordiam suam a me.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis ; reddam tibi vota mea ,

14. quæ distinxerunt labia mea ,

Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

PSALMUS LXVI. DEPRECATORIUS.

Populus Deo tutore lætus , accinere sibi gentes omnes , ejusdemque cultus participes fieri optat.

V. S. H. — *Victori, in Psalmis Canticum carminis.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nos : illustret faciem suam super nos. Semper.

Ut nota fiat in terra via tua ; in universis gentibus salus tua.

Confiteantur tibi populi , Deus ; confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et laudent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentium quæ in terra sunt ductor es sempiternus.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit germen suum.

V. V. — *In finem,* 1. *In hymnis, Psalmus Cantici David.*

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

3. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi, Deus ; confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes ; quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

6. Confiteantur tibi populi, Deus ; confiteantur tibi populi omnes : 7. terra dedit fructum suum.

14 « Distinxerunt : » promiserunt : Hier. clare et aperte pronuntiaverunt. « Et locutum est... » supple, « quæ : » vota quæ feci, et quæ sum locutus, etc.

15 « Medullata ; » pinguia, opima.

1 « David : » deest Hier.

2 « Et misereatur nostri : » desunt Hier. 70. Primus autem hic versus desumptus est ex Num. VI. 24, etc., et erat solemnis formula, qua sacerdotes conceptis verbis populo benedicerent.

7 « Dedit fructum. . » cum et universæ gentes ad Deum convertentur et electi abundabunt bonis operibus, rerumque omnium copia.

Benedicat nos Deus, Deus noster.
Benedicat nobis Deus, et metuant eum omnes fines terræ.

Benedicat nos Deus, Deus noster, S. benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS LXVII. EUCHARISTICUS.

Dum arca ad Sionem transfertur, populus Dei, veterum sub Mose mirabilium memor, instar Mariæ sororis Mosis, lætatur, atque in hostes Dei opem implorat. II. Reg. VI. 5. Ps. XLVI.

V. S. II. — *Victori, David Psalmus Cantici.*

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant, sicut tabescit cera a facie ignis; sic pereant impii a facie Dei.

Justi autem lætentur, et exultent in conspectu Dei, et gaudeant in lætitia.

Cantate Deo, canite nomini ejus; præparate viam ascendenti per deserta, in Domino nomen ejus, et exultate coram eo,

Patre pupillorum, et defensore viduarum; Deus in habitaculo sancto suo.

Deus inhabitare facit solitarios in domo, educet vinctos in fortitudine; increduli autem habitaverunt in siccitatibus.

Deus, cum egredereris ante populum tuum, et ambulares per desertum. Semper.

Terra commota est, et cœli distillaverunt a facie tua, Deus, hoc est, in Sinai, a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam elevasti,

V. V. *In finem,* 1. *Psalmus Cantici, ipsi David.*

2. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

3. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

4. Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.

5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus, 6. patris orphanorum et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo; 7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8. Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto:

9. Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

10. Pluviam voluntariam segrega-

2 « Exurgat Deus. » Verba Mosis, cum elevaretur arca : Num. x. 35. ubi habetur integer hic versus.

4 « Epulentur : » lætentur. Hier: « In conspectu Dei : » metaphora ducta a sacris circa Dei altare conviviis.

5 « Super occasum : » super nubes : Hebr. Nubibus ut curru invehitur. « Turbabuntur a facie ejus. » Abundant hæ voces, et sunt alia versio præcedentium.

7 « Unius moris : » unanimes; at Hier. solitarios, quos habitare facit in domo, dum orbos facit fœcundos. Sic. Ps. CXII. 9. « Similiter eos qui exasperant... » Increduli autem habitaverunt in siccitatibus : Hier. in desertis et aridis locis. Atque hæc est commemoratio miraculorum Dei ex Ægypto educentis vinctos, eosdem rebelles et incredulos punientis ac prosternentis in deserto.

9 « Terra mota... » Deo appropinquante, omnia commoventur. « A facie Dei Sinai : » nominativo casu : a facie Dei : ipse « Sinai » (distillavit). Idem in Cantico Deboræ, Judic. v. 4, 5.

10 « Pluvium voluntariam ; » gratam, liberalem; libentissimo animo a Deo datam. « Segregabis; » reservabis. Pluvia larga perpluisti hæreditatem tuam, terram promissam. « Infirmata est... » laborantem confortasti.

Deus : hæreditatem tuam et laborantem tu confortasti.

Animalia tua habitaverunt in ea ; præparasti in bonitate tua pauperi, Deus.

Domine, dabis sermonem, annuntiatricibus fortitudinis plurimæ.

Reges exercituum fœderabuntur ; fœderabuntur, et pulchritudo domus dividet spolia.

Si dormieritis inter medios terminos, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora ejus in virore auri.

Cum dividcret robustissimus reges in ea , nive dealbata est in Selmon.

Mons Dei , mons pinguis ; mons excelsus, mons pinguis.

Quare contenditis, montes excelsi, adversus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo? siquidem Dominus habitabit. Semper.

Currus Dei innumerabilis, millia abundantium : Dominus in eis, in Sinai, in sancto.

Ascendisti in excelsum, captivam

bis, Deus, hæreditati tuæ : et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea ; parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

13. Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

15. Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon. 16. Mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus , mons pinguis ; 17. ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ; etenim Dominus habitabit in finem.

18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium ; Dominus in eis , in Sina, in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti

11 « Animalia tua : » grex tuus, populus tuus. Ps. LXXVII. 52. « Parasti ; » supple terram. « Pauperi : » populo.

12 « Evangelizantibus : « fœminino genere ; annuntiatricibus : Hier. « Virtute multa : » exercitui multo : Hebr. Magnæ multitudini mulierum illarum, quæ cum Maria Mosis sorore, Dei victorias prædicabant : sumpto enim tympano cæteris accinentibus, Maria cœpit canere Mosaicum illud : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. » Exod. XV. 20, 21. Vide etiam infra, 26.

13 « Rex virtutum dilecti dilecti. » Reges exercituum fugerunt, fugerunt, Hebr. Hæc canent illæ mulieres : prædicebant enim Philistæos, regesque Moab et Edom ab Israele vincendos : Exod. XV. 15, 16. « Et speciei domus... » pulchritudo domus dividet spolia : Hier. Alii : habitatrix domus ; mulieres speciosæ domi relictæ, quo nihil magnificentius ; ut viri pugnent, mulieres autem spolia inter se dispertiant.

14 « Inter medios cleros : » medias ollas, tripodas : Hebr. Etsi non in cubiculis, sed tanquam in culina inter ollas versari cogimini, servi scilicet ipsa fuligine nigri, et mœrore squalentes. Sic Joel. II. 6. « Omnes vultus redigentur in ollam. » Nahum. II. 10. « Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. » Si ergo tales eritis, tamen Deo vos protegente ; « penna columbæ, etc. » eritis sicut pennæ columbinæ, variis depictæ coloribus, candidi, deaurati, læti.

15 « Dum discernit : » cum divideret Omnipotens : Hebr. « Reges : » puta Og et Sehon. « Super eam : » hæreditatem suam, de qua ℣ 10. et seq. cum adversos populo suo reges profligaret. « Nive dealbabuntur... » nivescet : Hebr. alba facta est (hæreditas) ut nix quæ est in monte Selmon ; candida, lucida, victrix, fortunataque erit.

16 « Mons Dei : » hebraismus, pro excelso monte. « Mons pinguis. » mons Basan : Hebr. « Mons coagulatus : » excelsus, exaggeratus. « Mons pinguis : » mons Basan : Hebr. montem igitur Basan, aliosque excelsos montes his compellat verbis.

17 « Ut quid suspicamini... » Quare despicitis, montes excelsi, montem quem dilexit Deus? etc. Hebr. nempe terram sanctam, terram excelsam situ, et nobilem, quæ etiam ea causa « mons » dicitur Ps. LXXVII. 54. Item Exod. XV. 17. in Cantico Mosis et Mariæ : « mons hæreditatis tuæ. »

18 « Decem millibus : » innumerabilis : Hier. Sedes Dei circumdatur angelis innumeris. Sic Deut. XXXIII. 2. « Apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. »

19 « Accepisti dona » Ita Hier. ex Hebr. et 70. ut victor accepisti dona distribuenda inter homines. At Paulus, Eph. IV. 8. « Dedit dona hominibus ; » eodem sensu : Deus invectus curru sublimi, captivos Israelitas eduxit ex Ægypto : ac, triumphatoris instar, dona distribuit. Prophetice, Paulo interprete : de Christo in cœlum ducente captivos quos liberaverat. « Etenim non

duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus : insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus per singulos dies : portabit nos Deus salutis nostræ. Semper.

Deus noster, Deus salutis; et Domini Dei, mortis egressus.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis, perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus; de Basan convertam, convertam de profundis maris.

Ut calcet pes tuus in sanguine ; lingua canum tuorum ex inimicis a temetipso.

Viderunt itinera tua, Deus, itinera Dei mei, regis mei in sancto.

Præcesserunt cantatores eos, qui post tergum psallebant in medio puellarum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

Ibi Benjamin parvulus continens

captivitatem ; accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

20. Benedictus Dominus die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

21. Deus noster, Deus salvos faciendi; et Domini Domini exitus mortis :

22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; verticem capilli perambulantium in delictis suis :

23. Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.

24. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

25. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei : regis mei qui est in sancto.

26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

27. In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

28. Ibi Benjamin adolescentulus

credentes... » etiam non credentibus Deum habitare nobiscum : quod superioribus connectendum : ut sensus sit dedisse dona etiam hominibus antea incredulis, nec satis Deo fidentibus : quod etiam Christo congruit, gentes vocanti.

20 « Die quotidie : » per singulos dies : Hier. « Prosperum iter, » etc. , proteget nos Deus, etc. Hebr.

21 « Deus salvos faciendi : » servandi arbiter. Deus salutis : Hier. « Exitus mortis : » egressus ejus mortiferi, hostibus *ai diecsodoi* 70. recto casu.

22 « Verticem capilli : » usque ad capillos impiorum conteret, cum piorum capilli omnes numerati sint. Matth. x. 30.

23 « Ex Basan convertam : » Israelitas meos; e terra Og victores reducam. « In profundum maris : » de profundis maris : Hier. maris Rubri.

24 « Intingatur pes tuus in sanguine. » Ipsam plebem alloquitur. De hac autem phrasi vide Ps. LVII. 11. « Lingua canum tuorum ; » supple, intingatur. « Ex inimicis ab ipso, » sanguine canes tui hostilem sanguinem lingant.

25 « Viderunt ingressus tuos, Deus : » itinera tua : Hier. Viderunt tribus Israel qua majestate pergeres auxiliaturus eis, qua ferires manu.

26 « Prævenerunt; » præcesserunt cantatores eos qui post tergum, etc. Hier. Cum Maria hæc caneret, Deique miracula celebraret, antecedebant præcentores, succedebant psallentes, in medio erant puellæ tympanistriæ; Maria ipsa et sociæ annuntiatrices, de quibus supra, 12. ita Ch. Philo memorat ad eum ritum compositas solemnes Therapeutarum suorum choreas, et cantari quidem hymnos alternantibus vocibus, ipso sermonis duce in verba præeunte : mox duos choros, alterum virorum, alterum mulierum variis flexibus ac reflexibus sacras obire choreas; denique in unum chorum cogi, velut a numine actos. « Exemplo, » inquit, « antiqui illius chori ad mare Rubrum propter admiranda ibi opera; quo divino beneficio moti viri ac mulieres, uno confecto choro, hymnos eucharisticos servatori Deo cecinere; viris præcinente Mose propheta; mulieribus vero Maria prophetide, quorum exemplo gravi vivorum voce, acutiori mulierum voci mixta, suavissimum concentum edunt. » Hæc Philo : de Vit. contemp. Qui ritu ad hunc versum explicandum factus videtur.

27 « De fontibus Israel . » vos qui estis e fontibus Israel, ab illo orti.

28 « Ibi Benjamin ; » tribus Benjamini. « Adolescentulus : » quod Benjamin minimus nata

eos, principes Juda in purpura sua: principes Zabulon, principes Nephtali.

Præcepit Deus tuus de fortitudine tua; conforta, Deus, hoc quod operatus es in nobis.

De templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

Increpa bestiam calami, congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas; disperge populos qui bella volunt.

Offerantur velociter ex Egypto; Æthiopia festinet dare manus Deo.

Regna terræ, cantate Deo, canite Domino. Semper.

Qui ascendit super cœlum cœli a principio; ecce dabit voci suæ vocem fortitudinis.

Date gloriam Deo: super Israel magnificentia ejus, et fortitudo ejus in cœlis.

Terribilis Deus de sanctuario suo: in mentis excessu.

Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

29. Manda, Deus, virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

30. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

31. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt: 32. venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

33. Regna terræ, cantate Deo: psallite Domino: psallite Deo, 34. qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, 35. date gloriam Deo: super Israel magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

36. Mirabilis Deus in sanctis suis,

filiorum Jacob. « In mentis excessu : ». Spiritu sancto abreptus, tanta in lætitia populi. A Hier. pro mentis excessu, continens eos, imperans ipsis : Hebr. princeps futurus sub Saule. Omnes Patres de Paulo apostolo accipiunt, rapto ad tertium cœlum, et dicente, « Sive mente excedimus, Deo, » etc. II. Cor. v. 13. XII. 2. « Principes Juda, duces eorum ; » in purpura sua : Hier. quod est imperii insigne. Ergo in eo cœtu ex Israele orto, et Domini victorias cantante, primus erat Benjamin regnum auspicaturus : deinde post eum regnaturus Judas sub Davide : tum principes cæterarum tribuum etiam minimarum. His autem tribuum nominibus vult Theodoretus Apostolos designari, fratres Domini ex Juda, reliquos e Galilæa, ubi Zabulon et Nephtali ; adde in Benjamino Paulum.

29 « Manda, Deus... » Post commemorationem liberationis ex Ægypto, Dei in Sion habitaturi auxilium in hostes Israelis implorat. « Manda, Deus : » præcepit Deus, de fortitudine tua, etc. Hier. Vult eam esse invictam.

30 « A templo. » Templum vocat tabernaculum arcæ; ut sæpe alias : sensusque est : propter templum tuum, undique in Jerosolymam reges et peregrini confluent. II. Par. VI. 32.

31 « Feras arundinis : » bestiam calami : Hier. Hippopotamum vel crocodilum, id est, regem Ægypti, ita designatum, ex bellua Nilo nota : Ezech. XXIX, 2, 3, 4 et seq. « Congregatio taurorum : » congregationem robustorum : Hebr. supp. increpa. « In vaccis populorum... » in vitulis populorum gloriantem, hoc est, increpa cœtum robustorum qui inter lascivientes, exultantesque in morem vitulorum, populos, gloriantur. « Qui probati sunt argento ; » in fragmentis argenti. Sic constat integer versus hoc sensu : Increpa regem Ægypti populo tuo invidentem, increpa etiam optimates qui inter populos honore et viribus eminent, argenteis clavis, vel aliis insignibus ornati. Cæterum Theodoretus, aliique mystico sensu de Judæis intelligunt, qui excludere volebant a Dei regno gentes in Christum credentes, et instar argenti per patientiam probatas.

32 « Venient legati ex Ægypto. » Etiam ex Ægypto nunc infestissima, venient legati deprecaturi Deum Israelis; quin etiam « Æthiopia præveniet : » festinet dare manus Deo : Hier. id est; ipsa Æthiopia festinabit proferre manus muneribus plenas : certatim omnes accurrent, donis onusti.

34 « Ad orientem : » ut, unde sol ingreditur, Deus ipse triumphare videatur. At Hier. a principio, ab ipsa diei, adeoque mundi ipsius origine.

35 « Date gloriam... » robur : Hebr. Vim ejus agnoscite. « In nubibus : » in cœlis : Hebr.

36 « In sanctis suis : » de sanctuario suo : Hier. unde tanta edit miracula et oracula.

Deus Israel ipse dabit fortitudinem, et robur populo, benedictus Deus.

Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

PSALMUS LXVIII. PROPHETICUS.

Christus patiens in figura Davidis ab omnibus derelicti. Congruit tempori Absalomi, cum de Sion loquatur ℣. 36. Sub persona Israelitarum in Davidem rebellium, Judæorum Christi persecutorum pœna describitur. *Vide* Ps. XXI. Chaldæus populo captivo accommodat, et congruunt ultimi versus.

V. S. H. — *Victori, pro liliis David.*

Salva me, Deus; quoniam venerunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, et non possum consistere; veni in profundum aquarum, et flumen operuit me.

Laboravi clamans, exasperatum est guttur meum; defecerunt oculi mei, expectantes Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persequebantur me inimici mei injuste: quæ non rapueram, tunc reddebam.

Deus, tu scis stultitiam meam, et peccata mea a te non sunt abscondita.

Non confundantur in me qui expectant te, Domine Deus exercituum: non confundantur in me qui quærunt te, Deus Israel.

Quia propter te portavi opprobrium; operuit confusio faciem meam.

Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

Quia zelus domus tuæ comedit me; et opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me.

Et flevi in jejunio animam meam;

V. V. — *In finem, pro iis qui commutabuntur David.*

2. Salvum me fac, Deus; quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

3. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.

6. Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.

7. Non erubescant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutum.

Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

8. Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam.

9. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me; et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

11. Et operui in jejunio animam

3 « Non est substantia : » non possum consistere : Hier. nihil est firmi. « Altitudinem maris : » profundum aquarum : Hier.

5 « Quæ non rapui... » Ex persona Christi : ita mecum agitur, ac si rapta ab altero, ab altero eoque innoxio repetas; neque enim, impiorum exemplo, Deo rapui honorem debitum; at pro eis solvo quicumque rapuerunt : sicut scriptum est : « Propter scelus populi mei percussi eum. » Isa. LIII. 8.

6 « Insipientiam meam, et delicta mea... » quæ in me suscepi : « quia posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. » Isa. LIII. 6.

10 « Zelus domus tuæ. » De Christo expellente vendentes in templo exponit Joan. II. 17. « Opprobria exprobrantium tibi » in me redundabant, cum dicerent : « Si rex Israel est, descendat de cruce, confidit in Deo; liberet nunc, si vult eum, etc. » Matth. XXVII. 42, 43. Quare hunc Davidis locum de Christo Paulus intelligit. Rom. XV. 3.

11 « Operui ; » flevi in jejunio animæ meæ : Hebr. cum jejunarem, fletus miscui jejuniis.

et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum saccum; et factus sum eis in parabolam.

Contra me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bibentes vinum.

Mea autem oratio ad te, Domine: tempus reconciliationis est; Deus, in multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me in veritate salutis tuæ.

Erue me de luto, ut non infigar; libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquis.

Ne operiat me fluvius aquæ, et ne absorbeat me profundum; et non coronet super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam bona est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum, respice ad me.

Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo: quoniam tribulor, cito exaudi me.

Accede ad animam meam, redime eam; propter inimicos meos libera me.

Tu scis opprobrium meum, et confusionem meam, et ignominiam meam; coram te sunt omnes hostes mei.

Opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum:

Et expectavi qui contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Sit mensa eorum coram eis in la-

meam; et factum est in opprobrium mihi.

12. Et posui vestimentum meum cilicium; et factus sum illis in parabolam.

13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.

14. Ego vero orationem meam ad te, Domine; tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

15. Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

16. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum; neque urgeat super me puteus os suum.

17. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum, respice in me.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo; quoniam tribulor velociter exaudi me.

19. Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me.

20. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.

21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

22. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

23. Fiat mensa eorum coram ipsis

12 « In parabolam : » in proverbium, in fabulam.

13 « Qui sedebant in porta : » senatus, judices, viri graves. « Qui bibebant vinum ; » juvenes; illusores. Sic omnes mihi iniqui; nec tantum furiosi, sed etiam qui sapientes videbantur.

14 « Ego vero. ... » mea autem oratio, etc. Hier. « Tempus beneplaciti : » reconciliationis : Idem : « Quoniam quidem erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis delicta ipsorum. » II. Cor. v. 19. « Deus : » junge sequenti.

20 « Reverentiam : » ignominiam : Hier. et ita passim.

21 « Improperium : » opprobrio contritum est cor meum, etc. Hier.

22 « Dederunt in escam meam fel..... » In Christo impletum : Matth. XXVII. 48. Joan. XIX. 29.

23 « Mensa eorum.... ; in laqueum · » ut contingit avibus, quæ victum quærentes capiuntur.

queum, et in retributiones ad corruendum.

Contenebrentur oculi eorum ne videant; et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos indignationem tuam; et ira furoris tui comprehendat eos.

Fiat commoratio eorum deserta; in tabernaculis eorum non sit qui habitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; et ut affligerent vulneratos tuos narrabant.

Da iniquitatem super iniquitatem eorum; et non veniant in justitia tua.

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

Ego autem pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in confessione.

Et placebit Domino super vitulum novellum, cornua efferentem et ungulas.

Videntes mansueti lætabuntur; qui quæritis Deum, vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

Laudent eum cœli et terra; mare et omnia quæ moventur in eis.

Quia Deus salvabit Sion, et ædificabit civitates Juda, et habitabunt ibi, et possidebunt eam.

in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.

24. Obscurentur oculi eorum ne videant; et dorsum eorum semper incurva.

25. Effunde super eos iram tuam; et furor iræ tuæ comprehendat eos.

26. Fiat habitatio eorum deserta; et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

28. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum; et non intrent in justitiam tuam.

29. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

30. Ego sum pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me.

31. Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.

32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.

33. Videant pauperes, et lætentur; quærite Deum, et vivet anima vestra.

34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

35. Laudent illum cœli et terra, mare, et omnia reptilia in eis.

36. Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.

« Et in retributiones: » et paces eorum in offendiculum: Hebr. ubi prospera sperant, ibi impingant. De Judæis intelligit Paulus: Rom. XI. 9, 10. Nec minus eis conveniunt quæ sequuntur.

26 « Fiat habitatio eorum deserta. » De Juda proditore exponitur, Act. I. 20 Congruit etiam Judæis eversa Jerosolyma, quod Christus prædixerat: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. » Luc. XIII. 35.

27 « Super dolorem....: » vulneribus vulnera, et insuper opprobria addunt.

28 « Appone iniquitatem super iniquitatem..... » desereudo, et permittendo, non operando; ut theologi norunt.

29 « De libro viventium: » de ipsa vita; tanquam Deus vivos omnes in libro descriptos habeat, deleatque eos quos morti destinat. Altiore sensu, « viventes, » ipsi justi intelliguntur, et seq. congruunt.

32 « Placebit Deo super vitulum..... » Laus Deo acceptior quam victimæ: Ps. XLIX. 8, 23. L. 18. et alibi passim.

33 « Videant pauperes, et lætentur: » Christi enim erga pauperes benevolentia singularis. Convenit cum Ps. XXI. 27. LXXI. 4. « Quærite Deum..... » qui quæritis Deum, vivet, etc. Hier. Eodem sensu hæc et sequentia ad redemptionem per Christum, sub figura solutæ captivitatis, videntur pertinere.

36 « Sion: » spirituali sensu, Ecclesiam. « Civitates Juda: » singulares Ecclesias.

Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

37. Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

PSALMUS LXIX. DEPRECATORIUS.

Temporibus Absalomi convenit cum sequente. Hic autem gravi calamitate pressus, festinum postulat auxilium. ℣ 6.

V. S. H. — *Victori, David ad recordandum.*

V. V. — *In finem, Psalmus David.* 1. *In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.*

Deus, ut liberes me; Domine, ut auxilieris mihi festina.

2. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et erubescant, qui quærunt animam meam; convertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi malum.

3. Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.

Revertantur ad vestigium confusionis suæ, qui dicunt : Vah, vah.

4. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge.

Gaudeant et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

5. Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt et, te dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem egenus et pauper : Deus, festina pro me : auxilium meum et salvator meus es tu; Domine, ne moreris.

6. Ego vero egenus, et pauper sum : Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu : Domine, ne moreris.

PSALMUS LXX. DEPRECATORIUS ET CONSOLATORIUS.

David senex, Absalomo rebellante, auxilium Dei quod ab ineunte ætate sæpius expertus est, nec in fine sibi defuturum sperat. *Nota* ℣ 9, 18.

V. S. H.

V. V. *Psalmus David.* 1. *Filiorum Jonadab, et priorum captivorum.*

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

1. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum : 2. In justitia tua libera me, et eripe me.

In justitia tua erue me, et libera me : inclina ad me aurem tuam, et salva me.

Inclina ad me aurem tuam, et salva me.

1 « In rememorationem : » sive ad recordandum : supp. divini auxilii. « Quod salvum fecerit..... » deest Hebr.

3 « Revereantur : » Pudore afficiantur.

4 « Euge : » Vah : Hier. Non enim adhortantis aut collaudantis vox est, sed increpantis et exprobrantis, qualis Semei. II. Reg. XVI. 7.

5 « Et dicant semper..... » Ordo verborum : « qui diligunt salutare tuum, dicant semper, Magnificetur Dominus : » qui a te se salvos volunt, non se, sed Deum magnifieri optent.

1 « Filiorum Jonadab : » de quibus Jerem. XXXV. Hunc titulum sic refert et exponit Hier.

Esto mihi robustum habitaculum, ut ingrediar jugiter; præcepisti ut salvares me quia petra mea, et fortitudo mea es tu.

Deus meus, salva me de manu impii, de manu iniqui et nocentis.

Quia tu es expectatio mea, Domine Deus, fiducia mea ab adolescentia mea.

A te sustentatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus; in te laus mea semper.

Quasi portentum factus sum multis, et tu spes mea fortissima.

Impleatur os meum laude tua, tota die magnitudine tua.

Ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui observabant animam meam, inerunt consilium pariter,

Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eruat.

3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.

4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui :

5. Quoniam tu es patientia mea, Domine; Domine, spes mea a juventute me.

6. In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper : 7. Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

9. Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,

11. Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum; quia non est qui eripiat.

Epist. ad Paulin. de instit. monachi : Filii Jonadab et eorum qui primi in captivitatem ducti sunt; qui in tabernaculis habitantes, ad extremum propter irruptionem Chaldæorum exercitus Hierosolymam intrare compulsi, hanc primam captivitatem sustinuisse dicuntur; quod post solitudinis libertatem, urbe, quasi carcere sint reclusi; ut est apud Jer. xxxv. 11. Cæterum in Hebræo nullus est titulus, neque quidquam in textu, quod ad Rechabitas, eorumque patrem Jonadabum proprie pertineat : quem tamen Psalmum ad divinam misericordiam impetrandam per id tempus decantatum, eo quod necessitate compulsi, a patriis institutis deflexisse videntur, haud absimile vero est.

3 « In Deum protectorem, » deest Hier. Nisi forte idem est cum loco munito, sitque Vulgata versio duplex. Addit autem Hier. ut ingrediar jugiter : tu mihi non modo tutum, sed etiam continuum refugium, ac semper patens. Addit et Hebr. Præcepisti servare me; tanta tibi est cura salutis meæ, ut de me tuendo mandata dederis angelis tuis : « Angelis » enim « suis mandavit de te. » Ps. xc. 11.

5 « Patientia mea : » expectatio : Hier.

6 « Confirmatus : » sustentatus : Hier. te nitor. « De ventre matris meæ protector.... : » extractor, avulsor : Hebr. tu mihi obstetricis loco : per te matris meæ faustus partus fuit; jam inde a nativitate tuas in manus sum depositus. Sic Ps. xxi. 10. « Cantatio : » laus : Hier.

7 « Tanquam prodigium..... » in me obstupuerunt, cum viderent tot inusitatos vitæ meæ casus, tantumque regem ab omnibus repente destitutum. Vide præf. cap. viii. num. 41.

8 « Ut cantem gloriam tuam : » desunt Hier.

9 « Cum defecerit virtus mea : » fortitudo mea : Hier. En senes confectis corporis animique viribus quale sibi auxilium parare debeant.

10 « Inimici mei mihi : » de me. « Qui custodiebant animam meam : » qui observabant, etc. Hier. qui insidiabantur vitæ meæ. « Consilium fecerunt : » convocato Achitophel et aliis, sacrificii obtento. II. Reg. xv. 12. Dicebant sequentia.

11 « Deus dereliquit eum, » ut adulterum et homicidam : agite : opportunum tempus est. « Persequimini.... non est qui eripiat. » Hoc erat consilium Achitophel. II. Reg. xvii. 1. « Consurgens persequar David hac nocte : et irruens super eum..... percutiam regem desolatum, etc. »

Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum festina.

Confundantur, et consumantur adversarii animæ meæ, operiantur opprobrio et confusione, qui quærunt malum mihi.

Ego autem jugiter expectabo; et adjiciam super omnes laudationes tuas.

Os meum narrabit justitiam tuam, tota die salutare tuum; quia non cognovi litteraturas.

Ingrediar in fortitudine Domini Dei : recordabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me ab adolescentia mea, et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.

Et insuper usque in senectutem et canos, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi, cunctisque qui venturi sunt, fortitudines tuas,

Et justitiam tuam, Deus, usque in excelsum; quanta fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi ?

Qui ostendisti mihi tribulationes plurimas et malas; conversus vivificabis nos, et de abyssis terræ rursum educes nos.

Multiplicabis magnitudinem meam, et conversus consolaberis me.

Ego autem confitebor tibi in vasis psalterii veritatem tuam : Deus meus, cantabo tibi in cithara, sancte Israel.

Laudabunt labia mea cum can-

12. Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice.

13. Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ; operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperabo; et adjiciam super omnem laudem tuam.

15. Os meum annuntiabit justitiam tuam; tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam 16. introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

17. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

18. Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me,

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est;

Potentiam tuam, 19. et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus quis similis tibi ?

20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas; et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

21. Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.

22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel.

23. Exultabunt labia mea cum

13 « Detrahentes animæ meæ : » adversarii : Hier.

14 « Adjiciam super omnem laudem tuam : » novis te in dies laudibus cumulabo.

15 « Justitiam tuam : » qua me ab impiis ac perfidis vindicasti. « Litteraturam : » numerationem : Hebr. numerum mirabilium tuorum. Quia mox dixerat : « Os meum annuntiabit justitiam tuam et salutare tuum : » nunc se agnoscit tantæ rei imparem, nec posse recensere innumerabilia Dei beneficia. Sic Ps. xxxix. 6. Theodor.

16 « Introibo in potentias Domini : » ingrediar in fortitudine Domini Dei : Hier. *en dunasteia*. 70. Error in Vulg. ut videtur. Nota verborum connexionem : primum annuntiabo justitias et misericordiam tuam : tum agnoscit id esse supra vires suas; introibo tamen, inquit, te duce et auctore, in hæc inscrutabilia.

19 « Justitiam tuam... . usque in altissima..... » Aliter Hier. annuntiabo justitiam tuam usque in excelsum : exaltabo eam, mox : quanta fecisti magnalia, etc.

20 « Quantas ostendisti..... vivificasti me..... reduxisti me. » Qui ostendisti..... vivificabis nos..... educes nos : Hier. Pro multitudine malorum, bona cumulatim in nos conferes.

21 « Multiplicasti..... consolatus es..... » Multiplicabis; consolaberis : Idem.

22 « Vasis psalmi : » instrumento nablio : Hebr. instrumentis musicis. *secui*, Græc. vas et instrumentum. « Sanctus Israel : » sancte : Hier.

tavero tibi, et anima mea quam redemisti.

Insuper et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : quia confusi sunt et dehonestati, quærentes malum mihi.

cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti.

24. Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

PSALMUS LXXI. HISTORICUS ET PROPHETICUS.

Davidis : cum moriens regem constitueret Salomonem. Ingressis namque ad eum optimatibus ac dicentibus : *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum; et magnificet thronum ejus super thronum tuum; et adoravit rex in lectulo suo, et locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis :* III. Reg. I. 47. Qua in exultatione vir sanctus, ac supra seipsum evectus, Christoque suo intentus, magnificentissimo carmine vaticinatur de adventu ejus, et vocatione gentium. Neque satis conveniunt Salomoni quæ dicuntur versibus 5, 11, 12, 17, nisi ut Christi typo. Ex quo patet sanctum regem Dei spiritu actum, ad extremum usque halitum prophetasse.

V. S. H. — *Salomoni.*

Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.

Judicabit populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

Assument montes pacem populo, et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvabit filios pauperis, et confringet calumniatorem.

Et timebunt te quandiu erit sol, et ultra lunam, in generatione generationum.

Descendet ut pluvia super vellus, ut stillæ irrorantes terram.

Germinabit in diebus ejus justus, et multitudo pacis, donec non sit luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ.

V. V. — *Psalmus,* 1 *In Salomonem.*

2. Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

3. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.

4. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum : et humiliabit calumniatorem.

5. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.

6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

7. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis; donec auferatur luna.

8. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

2 « Regi..... filio regis : » Salomoni, qui rex et filius regis. « Judicare : » judicabit : Hier.

3 « Suscipiant montes .... » Universa regio pace et justitia florebit.

4 « Pauperes. » Nota pauperes regi specialiter commendatos : vide infra, 12, 13.

5 « Permanebit..... » timebunt te quandiu erit sol, et ultra lunam : Hier.

6 « Descendet sicut pluvia : » tam gratus. « In vellus : » in tonsionem : Hebr. id est, supra tonsam herbam, ut rursus incrementum capiat.

7 « Orietur..... justitia : » florebit in diebus ejus : Hebr. At Hier. Germinabit in diebus ejus justus : eodem fere sensu : tota regio viris justis abundabit, quo nihil est bono regi carius, aut honestius.

8 « A mari usque ad mare. » De Salomone quidem : a mari Rubro ad mare magnum. « A flumine..... » ab Euphrate ad terminos terræ (sanctæ) : Hier. At 70. *tēs oikouménēs* : quod Christus imperium protensurus esset per universa maria ac terras, atque orbe universo.

Ante eum procident Æthiopes, et inimici ejus pulverem lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabiæ et Saba tributum conferent

Et adorabunt eum omnes reges : universæ nationes servient ei.

Quia eruet pauperem a potente, et inopem cui non est adjutor.

Parcet inopi et pauperi, et animas pauperum salvabit.

Ab usura et iniquitate redimet animas eorum; et pretiosus erit sanguis eorum coram oculis ejus.

Et vivet, et dabitur ei de auro Saba, et orabunt de eo jugiter; tota die benedicent ei.

Erit memorabile triticum in terra : in capite montium elevabitur sicut Libani fructus ejus, et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ.

Erit nomen ejus in æternum, ultra solem perseverabit nomen ejus : et benedicentur in eo; omnes gentes beatificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israel; qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen gloriæ ejus in sempiternum : et implebitur glo-

9. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.

10. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent.

11. Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.

12. Quia liberabit pauperem a potente et pauperem cui non erat adjutor.

13. Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum; et honorabile nomen eorum coram illo.

15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei.

16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in secula; ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.

18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

19. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum; et reple-

9 « Æthiopes : » Siim : incolæ deserti. Ps. LXXIII. 14.

10 « Reges Tharsis, et insulæ : » regna occidua. « Reges Arabum et Saba : » oriens et meridies. Vide Gen. X. Naves Salomonis ibant in Tharsis. III. Reg. X. 22. Regina Saba ad eum venit. III. Reg. X. 1. Atque hæc in figuram Christi toto orbe potituri, idque a Magorum munere intelligimus inchoatum, qui gentium regumque typum tenuisse monstrantur. Comm. Hier.

11 « Reges terræ : terræ » deest etiam in 70. « Gentes : » Goïm : Hebr. id est, gentes idolis addictæ.

14 « Honorabile nomen. » Pretiosus erit sanguis eorum, etc. Hier. forte in 70. ex *aima*, factum *onoma*.

15 « Arabiæ : » Saba : Hebr. « Adorabunt de ipso : » orabunt de eo : Hier. gratias agent Deo pro Salomonis beneficientia; longe autem magis pro collatis a Christo beneficiis. Potest intelligi secundum Hebr. Orabunt pro eo, pro Salomone : quæ summa regum gloria, ut exteris quoque honori et amori sint.

16 « Firmamentum in terra..... » pugillus frumenti in terra, in capite montium : Hebr. *stérigma* forte pro *sitou dragma*. « Superextolletur..... » perstrepet sicut Libanus : Hebr. Si vel pugillus frumenti seratur in montium vertice arido plerumque et saxoso, silvescet messis altior cedris Libani. « Florebunt de civitate. » Cives multiplicabantur; urbes florentes erunt; agri, urbes, omnia sub bono rege felicia.

17 « Sit nomen ejus (benedictum) » deest. Erit nomen ejus in æternum ultra solem : Hier. fama ubique diffusa et immortalis. « Benedicentur in ipso..... » At Hier sic distinguit; et benedicentur in eo; omnes gentes, etc. « Omnes tribus terræ » deest. « Gentes » autem est Goïm : ut supra. ℣ 11. Qui proprius veluti character Christi, de quo ab initio dictum erat Abrahamo : « In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. » Gen. XII. 3. XXII. 18. etc.

19 « Fiat : » Amen : Hebr.

ria ejus universa terra. Amen et amen.

Completæ sunt orationes David filii Jesse.

bitur majestate ejus omnis terra: Fiat, fiat.

20. *Defecerunt laudes David filii Jesse.*

PSALMORUM

LIBER III

SECUNDUM HEBRÆOS, USQUE AD PS. LXXXIX.

DE PSALMIS ASAPHI NOMINE INSCRIPTIS.

Duodecim omnino Psalmi sunt, Asaphi inscripti nomine. Primus XLIX; atque ab hoc LXXII ad LXXXII. Asaph autem I. Par. VI. 39. accensetur Levitis quos David ad canendum ordinavit. Item I. Par. XV. 17. XVI. 5, 37. Asaph et fratres ejus in conspectu Arcæ ministrant. Memorantur item Heman, Asaph et Ethan in cymbalis æneis concrepantes. I. Par. XV, 17 et 19. Hos cantores inter, a sancto Spiritu toties celebratos, cum tres excellerent, Asaph, Heman et Idithun, I. Par. XXV. 1. tum ipse Asaph inter alios clarus habetur, princeps quippe cantorum a Davide constitutus: ibid. XVI. 5. et singulari quadam honoris prærogativa, nominatus inter eos, qu juxta Regem prophetarent: ibid. XXV. 2.

Quo loco considerandum venit, cantandi officium quo honore præcelleret, cum ad ministerium propheticum pertinere judicetur: unde I. Par. XXV. 1, 2, 3. inducuntur filii Asaph et Heman et Idithun, qui in citharis aliisque instrumentis prophetarent: docti nempe a Deo ut ipsi canerent, quemadmodum Beseleel aliique periti artifices repleti divino Spiritu, quorum egregia opera tabernaculum ac cætera divino cultui destinata, affabre

20 « Defecerunt laudes. ... » Hic est ultimus Psalmus Davidis non tamen suo loco positus, cum multi sequantur quos ipsius esse certissimum est; ut Ps. CIX. aliique: unde apparet aliam fuisse olim Psalmorum collectionem, in qua temporis ordo servatus esset. Hæc autem verba, quidam codices sequentis Psalmi titulo adjungebant, nullo sensu; quos confutat Comm. Hier. et ipsi hebraici codices

fierent. Exod. XXXI. 2, etc. Atque is instinctus eo magis musicis cantibus congruebat, quo musica ad excitando in Dei amorem animos, imo vero ad compescendum malum spiritum, bonumque ac propheticum accersendum, Deo ita volente, potentior habebatur : exemplo Saulis Davidem egregium psalten adducentis. I. Reg. XVI. 15, etc. ipsiusque Elisæi psaltem item accersentis, quo canente prophetaret, IV. Reg. III. 15. Verum inter eos qui ad canendum prophetabant, quidam altiore sensu Videntes habebantur, qualis Heman Videns regis in sermonibus Dei, ut exaltaret Davidis gloriam. I. Par. XXV. 5. Quo ritu Asaphum Videntem fuisse diserte memoratur his verbis : *Præcepitque Ezechias et principes Levitis ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph Videntis* : II. Par. XXIX. 30. Quibus verbis sancto Asaph, æque ac ipsi Davidi sermones Dei, hoc est Psalmi, tribuuntur.

Neque minus insigne est, quod legitur Nehemiæ XII, 45. *In diebus David et Asaph;* quo loco Asaph Davidi propemodum comparatur, atque ambo quasi ex æquo memorantur, quibus quippe auctoribus sacræ observationes, et leviticorum ministeriorum ordo, et ipse canendi ritus, universo populo tanto honori habitus, ad posteros defluxerit. Atque hæc sufficiunt ut intelligamus quam celebre fuerit Asaphi nomen, cujus etiam titulo hi Psalmi commendati ad nos devenerint.

Jam vero an ab ipso conscripti fuerint, Patres ipsi variant : ac sanctus quidem Ambrosius a Davide compositos, sancto Asaph ut caneret datos tradidit, in tit. Psalm. LXXII. Sanctus vero Hieronymus usque adeo ab Asapho non modo cantatos, sed etiam compositos existimat, ut etiam Matthæi XIII. 35. pro eo quod scriptum est : *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam* (quo loco multa exemplaria *Esaiam* habebant) ipse reponi velit : *Hæc facta sunt ut impleretur quod scriptum est in Asaph Propheta;* quia locus a Matthæo laudatus : *Aperiam in parabolis os meum*, ex Psalm. LXXVII, qui Asapho tribuitur, sumptus esset : *Hoc enim*, inquit Hieronymus, *non Esaias loquitur, sed Asaph.* Id habet Hieron. Commentario in Psalm. LXXVII ; atque etiam lib. I. in Matth. in exposit. cap. XIII.

Hinc sacri interpretes in varias distracti sententias. Nos cur Hieronymo potius assentiamur, hæ causæ sunt : primum inscriptio Psalm. LXXVI. *Pro Idit'hun, Psalmus Asaph :* nullo alio commodo sensu, nisi intelligamus ab Asapho compositum Idithuno canendum traditum, ut ibi observavimus : quo sensu item scriptum est in tit. Ps. XXXVIII, LXI. *Pro Idithun, Psalmus David :* tum eo vel maxime, quod ut supra memoravimus, sermones Domini non modo Davidi, verum etiam Asapho, ut Prophetæ, tribuuntur. II. Par. XXIX. 30. Cæterum Davidisne sint an Asaphi, parvi refert et ad auctoritatem et ad temporum inquirendas notas, cum et ab uno spiritu, et Davide rege factos esse constet. Porro Asaphi filios in canendi ministerio patri successisse, atque etiam inter canendum divino spiritu ad pandenda futura fuisse afflatos, docent II. Par. XX. 14. XXIX. 13. I. Esd. III. 10. et II. XI. 22.

PSALMUS LXXII. CONSOLATORIUS.

Impios tarde quidem persæpe, sed graviter Deus ulciscitur; hinc spes bonorum. Idem argumentum de divina providentia: vide *Eccl.* VIII. 10, *etc.* XI. 9. XII. 14. *Sap.* II, III, IV, V. *et alibi passim.*

V. S. H. — *Canticum Asaph.*

Attamen bonus est Israel Deus his qui mundo sunt corde.

Mei autem pene vacillaverunt pedes; pene effusi sunt gressus mei.

Quia æmulatus sum contra iniquos; pacem impiorum videns.

Quod non recogitaverint de morte sua, et firma sint vestibula eorum.

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo nutriti sunt ad superbiam, circumdederunt iniquitatem sibi.

Processerunt a pinguedine oculi eorum; transierunt cogitationes cordis.

Irriserunt, et locuti sunt in malitia calumniam, de excelso loquentes.

Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum deambulavit in terra.

Propterea convertetur populus ejus huc, et quis plenus invenietur in eis?

Et dixerunt: Quomodo novit Deus? et si est scientia in excelso?

Ecce isti impii, et abundantes in

V. V. — *Psalmus Asaph.*

1. Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!

2. Mei autem pene moti sunt pedes pene effusi sunt gressus mei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.

5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua.

7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

8. Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt.

9. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra.

10. Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus? et si est scientia in excelso?

12. Ecce ipsi peccatores, et abun-

1 « Quam bonus : » quam : Hebr. particula asserendi : utique, profecto. Bonus Israeli Deus, nempe rectis corde.

2 « Monti sunt : » vacillaverunt : Hier.

4 « Quia non est respectus : » quod non recogitaverint de morte sua : Hier. etc. Non ligamenta ad mortem illis ; sana fortitudo eorum : Hebr. nullo morbo ad mortem trahuntur.

6 « Et impietate sua, » deest Hier.

7 « Prodiit quasi..... » processerunt a pinguedine oculi eorum : Hier. ut contra famelicis præ macie cavi oculi. Sic Deut. XXXII. 15. « Incrassatus est dilectus, etc. Transierunt in affectum cordis : » dilexerunt iniquitatem, ut passim in Psalmis. At Hier. transierunt cogitationes cordis ; supra quam cogitabant, felices se putant.

8 « Cogitaverunt..... » irriserunt et locuti sunt in malitia calumniam : Hier. « In excelso, » de excelso loquentes : Idem. Tanquam ex alto despicientes.

9 « Posuerunt in cœlum..... » Blasphemi in Deum, in homines maledici.

10 « Populus meus hic. » Adverbialiter; populus ejus huc : Hier. *entautha* : hinc eo redigetur populus : supp. ex antecedentibus, ut Deum contemnat, et credat nihil prodesse juste vivere. « Dies pleni : » justam ætatem vivent : impii pleni dierum morientur.

11 « Et dixerunt : » justi malorum felicitate commoti.

seculo, multiplicaverunt divitias.

Ergone frustra mundavi cor meum, et lavi in innocentia manus meas ?

Et fui flagellatus tota die, et increpatio mea in matutinis.

Dixi : Si narravero sic, ecce generationem filiorum tuorum reliqui.

Et cogitavi ut intelligerem istud; labor est in oculis meis :

Donec veniam ad sanctuaria Dei, et intelligam in novissimo eorum.

Verumtamen in lubrico posuisti eos ; dejecisti eos ad interitum.

Quomodo vastati sunt subito ; defecerunt, consumpti sunt quasi non sint.

Quasi somnium evigilantis, Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.

Quia contractum est cor meum, et lumbi mei velut ignis fumigans.

Et ego insipiens, et nescius ; quasi jumentum factus sum apud te.

Et eram semper tecum, et tenebas manum dexteram meam.

In consilium tuum deduces me, et postea in gloria suscipies me.

Quid mihi est in cœlo ? et tecum nolui in terra.

dantes in seculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas :

14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

15. Si dicebam : Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me :

17. Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.

18. Verumtamen propter dolos posuisti eis ; dejecisti eos dum allevarentur.

19. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt ; perierunt propter iniquitatem suam.

20. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21. Quia inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt :

22. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

23. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.

24. Tenuisti manum dexteram meam, et voluntate tua deduxisti, me, et cum gloria suscepisti me.

25. Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?

13 « Et dixi, » deest Hebr. recte tamen suppletum. « Inter innocentes : » in innocentia. Hier.

14 « Flagellatus : » afflictus. « In matutinis ; » a mane usque ad vesperam.

15 « Si dicebam : » si dixero : Hebr.

16 « Labor est ante me : » difficile intellectu.

17 « In sanctuarium..... » in arcanum, in consilium. Vide infra, 24.

18 « Propter dolos : » illusisti eis specie blandientis ; digni enim erant. In lubrico posuisti eos : Hier. nec firmo gradu consistunt. « Dum allevarentur : » dum allevatos se putabant ; dejecisti eos ad interitum : Hier.

19 « Perierunt propter iniquitatem..... » defecerunt consumpti a terroribus : Hebr. ipso terrore confecti.

20 « In civitate tua : » palam, coram omnibus civibus. « Imaginem ipsorum ; » ipsos in quibus nihil veri, nihil solidi. « Præterit enim figura hujus mundi. » I. Cor. VII. 31.

21 « Inflammatum est cor meum : » efferbuit, intumuit, tanquam a fermento : Hebr. « Renes mei commutati sunt : » tabuerunt : Hebr. præ indignatione.

22 « Et ego ad nihilum..... » ego insipiens et nescius : Hier. qui malorum prosperitate tantopere conturbarer.

23 « Ut jumentum : » ut homo despicabilis, quem vix jumento anteferres. « Et ego semper tecum : » cum me despici putarem, tecum eram : tu me tuebare. Unde sequitur.

24 « Tenuisti manum dexteram meam : » dextera apprehensum deducebas. « In voluntate... » in consilium tuum deduxisti me : Hier. Ad arcanas tuæ providentiæ ac justitiæ rationes.

25 « A te quid volui : tecum nolui in terra : Hebr. te unum volui : non tecum aliud quidquam.

Consumpta est caro et cor meum: robur cordis mei et pars mea, Deus, in æternum.

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnem fornicantem a te.

Mihi autem appropinquare Deo bonum est: posui in Domino Deo spem meam: ut narrem omnes annuntiationes tuas.

26. Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.

27. Quia ecce qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam:

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

PSALMUS LXXIII. PROPHETICUS.

Polluto templo, et in hostium potestatem redacto, cum nullus esset propheta qui spem salutis ostenderet, populus, veterum beneficiorum commemoratione, Deum ad auxilium provocat. Nullis congruit temporibus, nisi Machabaicis. Captivitatis enim tempore non modo pollutum, sed etiam excisum; et liberationem post 70 annos Jeremias pronuntiaverat. Constat ergo hunc Psalmum esse propheticum, utpote ab Asapho, Davide rege, cantatum, et de Machabaica vexatione scriptum; cum jam inde ab Esdræ tempore, perfecto jam hebraico canoni nihil sit additum.

V. S. H. — *Eruditio Asaph.*

Ut quid, Deus, repulisti in finem? fumabit furor tuus in gregem pascuæ tuæ?

Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, et redemisti virgam hæreditatis tuæ, montem Sion, in quo habitasti.

Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem: omnia mala egit inimicus in sanctuario.

Fremuerunt hostes in medio pacti tui: posuerunt signa sua in trophæum.

Manifesta in introitu desuper: in saltu lignorum secures.

Et nunc sculpturas ejus pariter bipenne et dolatoriis deraserunt.

V. V. — 1. *Intellectus Asaph.*

Ut quid, Deus, repulisti in finem; iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ; mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!

4. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa:

5. Et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum, securibus

6. exciderunt januas ejus in idipsum in securi et ascia dejecerunt eam.

26 « Deus cordis mei: » robur cordis mei: Hier.

28 « In portis filiæ Sion: » desunt Hier.

2 « Virgam hæreditatis tuæ: » hæreditatem ipsam, virga mensoria, seu pertica, per tribus divisam. « Mons Sion: » montem: Hier, *oros*, neutr.

3 « Leva manus..... » attolle pedes: Hebr. Incede sublimis et velox. « In superbias eorum. » hostium populi tui: ad vastitates eorum: Hebr. ad vastandos eos. « Quanta malignatus est.. » omnia mala, etc. Hier. « In sancto: » in sanctuario.

4 « Gloriati sunt: » fremuerunt hostes: Hier. « Solemnitatis.... » congregationis: Hebr. eodem sensu. « Posuerunt signa sua, signa. » Sic Hebr. id est: posuerunt ea, ut signa victoriæ suæ. Quod recte Hier. posuerunt signa sua in trophæum, manifesta in introitu, etc. Vexilla profana in portis templi, in signum victoriæ statuerunt.

6 « Januas ejus: » valvas: alii, sculpturas. « Dejecerunt..... » deraserunt Hier. Vide portas exustas: I. Mac. IV. 38.

Miserunt ignem in sanctuarium tuum : in terra contaminaverunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul : incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.

Signa nostra non vidimus, non est ultra propheta : et non est nobiscum qui sciat usquequo.

Usquequo, Deus, exprobrabit adversarius? blasphemabit inimicus nomen tuum in finem.

Quare convertis manum tuam et dexteram tuam? de medio sinu tuo consumens?

Deus autem rex meus ab initio, operatur salutes in medio terræ.

Tu dissipasti in fortitudine tua mare; contrivisti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita Leviathan; dedisti eum in escam populo Æthiopum.

Tu dirupisti fontem et torrentem; tu exsiccasti flumina fortia.

Tuus est dies, et tua est nox: tu ordinasti luminaria et solem.

Tu statuisti omnes terminos terræ: æstatem et hiemem tu plasmasti.

7. Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

9. Signa nostra non vidimus, jam non est propheta : et nos non cognoscet amplius.

10. Usquequo, Deus, improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?

12. Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ.

13. Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita draconum in aquis.

14. Tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes et torrentes; tu siccasti fluvios Ethan.

16. Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem.

17. Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea.

7 « Incenderunt igni..... » admoverunt ignem ad templum, portis etiam exustis ; ibid. « In terra : » in ipsa terra Deo tot miraculis consecrata : vide ibid.

8 « Cognatio eorum..... » depopulabimur eos : Hebr. « Quiescere faciamus : « id molliebatur Antiochus : I. Mac. I. 41, etc. Incenderunt omnes congregationes Dei : Hebr., id est : synagogas, loca congregationum.

9 « Signa nostra : » templum, altaria, signa præsentiæ Dei, et religionis insignia. « Non est propheta, » qui nos consoletur spe futuri, ut olim Isaias, premente Sennacheribo : Jeremias in captivitate ; et alii. Tempore Antiochi expresse dicitur non fuisse prophetas. I. Mach. IX. 27. « Et nos non cognoscet amplius : » Deus oblitus est nostri : melius Hier. et non est nobiscum, qui sciat usquequo ; non est propheta qui sciat quousque inimicus desæviat.

10 « Improperabit inimicus. » Id maxime Antiocho convenit, ejusque ducibus Nicanori, et aliis. I. Mach. I. 25, etc. VII, XIV, XV, etc.

11 « Ut quid avertis..... » Sic distingue : « ut quid avertis manum tuam » ab hostibus? quin tu profer eam « de medio sinu tuo : » exere vires ; ne sis velut manibus in sinum complicatis, quod est nihil agentis. Prov. XIX. 24. « Abscondit piger manum sub ascella. In finem ; » consumere : Hebr. profer manum consumere, id est, ad consumendos hostes.

13 « Confirmasti..... mare : » stare fecisti utrinque quasi murum fluctus Rubri maris, ut populus transiret. Exod. XIV. 22. At Hier. dissipasti, divisisti, exsiccasti : ibid. *ekrataiausas* : 70. dominatus es. « Capita draconum : » regem et principes Ægypti devolvisti in mare : ibid.

14 « Capita draconis : » Leviathan : Hebr. crocodili. Vide Job. XL. 20. Pharaonis : Ezech. XXIX. 3. « Populi Æthiopum : » Letsiim : populo deserti siticuloso. Ichthyophagis ad mare Rubrum positis, apud quos fama vigebat, magno quondam maris recessu, fundum coloris viridis apparuisse, et rursum mare refluum in priorem locum esse restitutum. Diod. Sic. lib. 3 His igitur dedisti devorandos pisces Ægyptiorum carnibus saginatos.

15 « Dirupisti fontes : » scissa rupe elicuisti fontem. Ch. « Fluvios Ethan : » flumina fortia : Hier. Jordanem et torrentes Arnon. Num. XXI 14. Deuter. II. 36. Jos. III. et ita Ch

16 « Fabricatus es : » ordinasti luminaria et solem : Hier

17 « Æstatem et ver : » et hiemem : Hier.

Memento hujus, inimicus exprobravit Domino; et populus insipiens blasphemavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animam eruditam lege tua: vitæ pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.

Respice ad pactum: quia repletæ sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ subrutæ.

Ne revertatur confractus et confusus: egenus et pauper laudabunt nomen tuum.

Surge, Deus, judica causam tuam: memento opprobrii tui ab insipiente tota die.

Ne obliviscaris voces hostium tuorum: sonitus adversariorum tuorum ascendit jugiter.

18. Memor esto hujus: inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum.

19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20. Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

PSALMUS LXXIV. MORALIS

Ad superbos, ne extollantur; sed Deum fausta æque et adversa pro sua æquitate temperantem agnoscant.

V. S. H. — *Victori, ut non disperdas, Psalmus Asaph Cantici.*

Confitebimur, tibi Deus, confitebimur: et juxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua.

Cum accepero tempus, ego recta judicabo.

Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus suis: ego appendi columnas ejus. Semper.

V. V. — 1. *In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.*

2. Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: 3. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

4. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.

18 « Memor esto hujus: » (rei) nempe quod « inimicus » Antiochus, Nicanor, alii: I. Mach. VII, XIV, XV. « improperavit Domino: » tanquam imbecilli, nec valenti tueri plebem suam, Sennacheribi instar dicentis: « Quis Deus eruet vos de manu mea? » quod exemplum Judas Machabæus memoravit. I. Mach. VII. 41. « Incitavit: » blasphemavit: Hier.

19 « Animas confitentes: » animam eruditam lege tua. « Animas pauperum..... » vitæ pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum: Hier. Quo magis se pauperes abjectosque putant, eo apud Deum clariores.

20 « Repleti sunt..... » tenebrosa loca terræ violentia repleta sunt: Hebr. nullæ jam latebræ ab hostium incursibus securæ sunt.

21 « Ne avertatur humilis: » ne pauper repulsam passus, confusus abeat.

23 « Superbia: » sonitus: Hier. superbæ voces semper increscunt: « dum tu differs pœnas, illi proficiunt in blasphemiis: » Hier. ad Sun. et Fret.

1 « Ne corrumpas: » ne disperdas; ut supra, Ps. LVI, et aliis.

2 « Et invocabimus nomen tuum: » et prope est nomen tuum: tu præsens auxiliator. At Hier. Juxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua: te tantum extollent, quam est nomen tuum inclytum. « Cum accepero tempus. » Loquitur Deus: tempore opportuno recte judicabo, justa decernam.

4 « Liquefacta est terra: » debilitata: exinanita defluxit ad nihilum, prævalente iniquitate.

Dixi inique agentibus, nolite inique agere : et impiis, nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in excelsum cornu vestrum, loquentes in cervice veteri.

Quia neque ob oriente, neque ab occidente; neque a solitudine montium.

Sed Deus judex; hunc humiliabit, et hunc exaltabit.

Quia calix in manu Domini est, vino mero usque ad plenum mixtus, et propinabit ex eo : verumtamen faces ejus epotabunt bibentes omnes impii terræ.

Ego autem annuntiabo in sempiternum : cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua impiorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.

5. Dixi iniquis : Nolite inique agere, et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.

6. Nolite extollere in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus :

8. Quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat :

9. quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

Et inclinavit et hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

10. Ego autem annuntiabo in seculum : cantabo Deo Jacob.

11. Et omnia cornua peccatorum confringam; et exaltabuntur cornua justi.

PSALMUS LXXV. EUCHARISTICUS.

Victoria de hostibus parta, quales multæ fuere sub Davide : II. Reg. v, VIII, x. Asaphus, optimi regis nomine, Deo Israelis epinicium canit.

V. S. H. — *Victori, in carminibus, Psalmus Asaph Canticum.*

Cognoscitur in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus.

V. V. — 1. *In finem, in laudibus, Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.*

2. Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus.

6. « Nolite loqui : » loquentes in cervice veteri : Hier. id est, in contumacia pridem genti insita.

7 « Neque a desertis montibus : » supp. veniet vobis auxilium.

9 « Calix in manu Domini : » ultio : calix iræ, indignationis : Isa. LI. 17, 22. calix mœroris et tristitiæ : Ezech. XXIII. 33. « Vini meri : » et hoc ad ultionem pertinet. « Ebrietate enim et dolore repleberis : » Ezech. ibid. Et apud Jerem. LI. 7. « Calix aureus Babylon in manu Domini : de ejus vino bibent gentes. Plenus : » Calix plenus plenam ultionem designat : « Calicem bibes profundum et latum : » Ezech. XXIII. 32. « Plenus mixto : » vine mero usque ad plenum mixtus : Hier. In regionibus æstu torrentibus, ubi erant vino fervidissima, non bibebant, ac nequidem condebant (quod in usu est etiamnum per Italiam) nisi aliqualiter temperata : unde vulgaris potio Græcis *karsis*, hoc est mixtio, dicebatur. Alii sic volunt intelligi, ut calicem Deus teneat non vino simplice, sed rebus aliis vino mero mixtis atque infusis plenum, quibus fiat nocentius. « Et inclinavit..... » propinavit ex eo : calice scilicet : Hier. « Fæx ejus : » fæces ejus epotabunt, etc. Hier. « Bibes ilium, et epotabis usque ad fæces : Ezech. ibid. 34. « Usque ad fundum potasti, usque ad fæces. » Isa. LI. 17. Erat ergo illa mixtio quam Deus propinabat : et amplissima, pleno videlicet calice : et fervidissima, vinumque merum redolens : et turbida fæcibus, quam tamen ad imum haurire peccatores cogerentur, neque ullam partem divinæ ultionis effugerent.

1 « Ad Assyrios : » deest quidem in Hebr. sed repeti potuit, Assyriis sub Ezechia per angelum cæsis.

2 « In Judæa : » in Juda : Hebr. Magnus quidem Deus in universo Israele, sed maxime Judæ notus jam regiæ tribui, ac Davidis victoriis nobilitatæ.

Et erit in Salem tabernaculum ejus, et habitatio ejus in Sion.

Ibi confringet volatilia arcus, scutum, et gladium, et bellum. Semper.

Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.

Spoliati sunt superbi corde: dormitaverunt somnum suum, et non invenerunt omnes viri exercitus manus suas.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, consopitus est currus, et equus.

Tu terribilis es, et quis stabit adversum te? ex tunc ira tua.

De cœlo annuntiabis judicium: terra timens tacebit.

Cum surrexerit ad judicandum Deus, ut salvos faciat omnes mites terræ. Semper.

Quia ira hominis confitebitur tibi: reliquiis iræ accingeris.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terribili.

Auferet spiritum ducum: terribili regibus terræ.

3. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.

4. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum.

5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis:

6. Turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

7. Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.

8. Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

9. De cœlo auditum fecisti judicium: terra tremuit et quievit.

10. Cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

12. Vovete, et reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu ejus affertis munera:

Terribili, 13. et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

3 « In pace: » in Salem: Hebr. quæ est Jerusalem: Gen. XIV. 18. a pace sic vocata. Hebr. VII. 2. « Locus ejus: » propter arcam eo a Davide translatam, et in Sione collocatam.

4 « Ibi confregit potentias..... » volatilia arcus: Hier. sagittas; inde nobis auxilium quo arma hostium viresque confregimus: ibi arma et manubias hostium, in memoriam præstiti a Deo auxilii, consecravimus; quod factum a Davide: II. Reg. VIII. 7, 11, 12, etc.

5 « Illuminans tu mirabiliter: » lumen tu es, etc. Hier. a quo illustramur ingente gloria « A montibus æternis: » cœlis: a montibus captivitatis: Hier. Alii, prædæ: a montibus Syriæ, et aliorum quibus olim prædæ fuimus. Inde ergo nobis lux, ubi quondam captivi fuerâmus. Judic. II, III.

6 « Turbati sunt: » spoliati sunt superbi corde: Hier. « Dormierunt somnum: » inertes et veluti somnolenti: sicut ℣ 7. « Nihil invenerunt..... » non invenerunt omnes viri exercitus manus suas: Hier. velut in somnis magna moliri videmur, casso conatu; tales hostium nisus. Notum illud poetæ de Turno: « Ac velut in somnis, etc. » Æneid. XII. sub finem. Vel, parte exercitus cæsa, et somnum mortis dormiente, reliqui conterriti, nec pugnare potuerunt. Simili comparatione usus est Isa. XXIX. 7, 8. Porro Vulgatæ sensus obvius, sed contextui parum congruit.

7 « Dormitaverunt: » consopitus est currus, et equus: Hier id est, nihil egit; cessavit, evanuit.

8 « Quis resistet?..... ex tunc: » ex quo apparet « ira tua? » qui resistet tibi? quis stabit adversum te? Hier.

9 « Auditum fecisti: » annuntiabis: Hier. « Terra tremuit; » timens tacebit: Idem: te de cœlo intonante.

10 « Mansuetos: » Israelitas mites et humiles, unoque Deo nixos.

11 « Cogitatio hominis: » ira hominis: Hier. « Confitebitur: » id est, cedet in laudem tuam. « Reliquiæ cogitationis: » reliquiis iræ accingeris: Hier. ut ornamento; tibi erunt decori. Sensus est: qui prius irascebantur et fremebant sub hostili jugo, nunc tuas canunt laudes, ac si quid irarum dolorisque superest, tibi laudi vertet, deletis ad internecionem hostibus.

12 « Affertis munera: » offerent dona terribili: Hier.

13 « Spiritum: » animum, consilium. Sic Sauli sic Nabuchodonosori, aliisque superbis ducibus Deus mentem eripuit.

PSALMUS LXXVI. CONSOLATORIUS.

Rebellante Absalomo, Davide ad Domini judicia contremiscente, Asaphus, pii regis nomine, hoc carmen edidit. Certe ad versum usque 13, persona quædam singularis inducitur, eaque quæ Psalmos confecerit. *Vide* v. 7. ex Heb. Reliquus Ps. a v. 14. afflicti reficit animum, ex recordatione Dei populum ab Ægyptiaca servitute liberantis. Convenit etiam populo a Nabuchodonosore afflicto, ex miraculis in suam olim gratiam factis spem erigenti.

V. S. H. — *Victori, pro Idithun, Psalmus Asaph.*

Voce mea ad Dominum exclamavi; voce mea ad Dominum, et exaudivit me.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi; manus mea nocte extenditur, et non quiescit; noluit consolari anima mea.

Recordans Dei, conturbabar: loquebar in memetipso, et deficiebat spiritus meus. Semper.

Prohibebam suspectum oculorum meorum: stupebam, et non loquebar.

Recogitabam dies antiquos, annos seculorum.

Recordabar psalmorum meorum: in nocte cum corde meo loquebar, et scopebam spiritum meum.

V. V. — 1. *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.*

2. Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Deum, et intendit mihi.

3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi; manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: 4. Memor fui Dei, et delectatus sum; et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.

5. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, et non sum locutus.

6. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.

7. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

1 « Pro Idithun, Psalmus Asaph. » Ita Hebr. et omnes interpretes: quo demonstrari videtur carmen hoc ab Asapho compositum, atque Idithuno traditum; quo etiam sensu in titulo Psalm. XXXVIII legimus: « pro Idithun, canticum David: » ut supra diximus.

3 « Manibus meis nocte..... » manus mea nocte extenditur, et non quiescit: Hier.

4 « Et delectatus sum..... Quantum in peccatis meis fui, nullam invenire potui consolationem: rursum cogitavi de Deo, et misericordia ipsius delectatus sum. » At Hier. ex Hebr. aliter: memor fui Dei, et conturbabar. Qui olim, afflictus quamvis, audito Dei nomine respirabam, nunc minis ejus territus, divini nominis recordatione conturbor: nempe « consideravi mansuetudinem ipsius, consideravi pietatem, consideravi munditiam; et videns meipsum immundum, vehementer conturbabar. » Comm. Hier. « Et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. » Hier. in Comment. In Hebræo melius habet: Loquebar in memetipso, et defecit spiritus meus: quod etiam ita vertit hic ipse Hier. sensusque est: homo anxius ac tremens, suis se ipse cogitationibus conficit.

5 « Anticipaverunt vigilias oculi mei. » Comm. Hier. In Hebræo aliter habet: Prohibebam suspectum oculorum meorum: constupebam, et non loquebar; ac sic ipse vertit hic. Idem. in Comm. « Quod dicit, hoc est: Considerans peccata mea, oculos ad cœlum erigere non audebam: propterea superbam, timebam, loqui non poteram. Hebr. ad verbum: tenuisti vigilias oculorum meorum: seu, tenuisti in custodiis oculos meos, ut ne palpebras quidem possem attollere.

6 « Cogitavi dies antiquos. » Lege Hier. Cum præsentia omnia nil nisi horrorem injicerent, priscorum seculorum miracula revolvebam, quibus sustentarem spem meam: vide v. 14.

7 « Et meditatus sum: recordabar psalmorum: Hier. cui Hebr. congruit: quærebam solatium in recordatione suavissimorum carminum, quæ, te auctore, cecini. » Et exercitabar: » nocte loquebar cum code meo: Hier. cum corde meo garriebam: 70. *edoleschoun*. Vana et confusa animo volutabam, abreptus incerto cogitationum æstu. » Scopebam: » scrutabar spiritum meum: alii, ventilabam: ac illaeque versabam: profundissimis et acutissimis curis me ipse conficiebam. At 70. *escallon*: Sarriebam animam meum: cogitationes meas secabam quasi sarculo: Hier. ad Sun. et Fret. Quæ modo probaveram, eadem improbabam rursus, eodem ubique sensu, eadem animi fluctuatione.

Ergone in æternum projiciet Dominus, et non propitiabitur ultra ?

Ergone complebit usque in finem misericordiam suam : consummabitur verbum de generatione in generationem ?

Numquid oblitus est misereri Deus ? aut complebit furore misericordiam suam ? Semper.

Et dixi, imbecillitas mea est: hæc commutatio dexteræ Excelsi.

Recordabor cogitationum Domini : reminiscens antiqua mirabilia tua.

Et meditabor in omni opere tuo, et adinventiones tuas loquar.

Deus, in sancto via tua, quis Deus magnus, ut Deus ?

Tu es Deus faciens mirabilia : ostendens in populis potentiam tuam.

Redemisti in brachio populum tuum, filios Jacob et Joseph. Semper.

Videntes te aquæ, Deus, videntesque aquæ parturierunt, et commotæ sunt abyssi.

Excusserunt aquas nubila, vocem dederunt nubes, et sagittæ tuæ discurrebant.

Vox tonitrui tui in rota, apparuerunt fulgura tua orbi ; concussa est, et commota est terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis ; et vestigia tua non sunt agnita.

8. Numquid in æternum projiciet Deus ? aut non apponet ut complacitior sit adhuc ?

9. Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem.

10. Aut obliviscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas ?

11. Et dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.

12. Memor fui operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

13. Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.

14. Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus, sicut Deus noster ? 15. Tu es, Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam : 16. redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

17. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

18. Multitudo sonitus aquarum : vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt : 19. Vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est, et contremuit terra.

20. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis ; et vestigia tua non cognoscentur.

8 « Non apponet ut complacitior sit adhuc ? » non propitiabitur ultra ? Hier.

9 « Abscindet. » Adde ut apud Hier. Consummabitur verbum de generatione in generationem ? id est, oracula ejus quæ toties fausta audivimus, penitus desierunt ; nec spes ulla super.

11 « Et dixi : Nunc cœpi : » Hier. hic et in Comment. In Hebræo aliter habet : et dixi, imbecillitas mea ; id est, hoc quod patior, non est de crudelitate Dei, sed de peccatis meis. « Hæc mutatio..... » id est : Dei est res turbidas immutare ; inde expectandæ sunt vices.

13 « Exercebor..... » adinventiones tuas loquar : Hier. sapientiæ tuæ arcana, et ad salutem nostram excogitata consilia.

14 « In sancto via tua : » viæ tuæ sanctæ.

17 « Viderunt te aquæ..... » Ps. CXIII. 3. « Mare vidit, et fugit, etc. » Ex hoc incipit graphice describere transitum maris Rubri. Infra ℣ 20.

18 « Multitudo sonitus aquarum : » recedentium, ac statim in Ægyptios refluentium. Ac Hier. excusserunt aquas nubila, id est, effuderunt imbres. « Etenim sagittæ : » et sagittæ tuæ (fulmina) discurrebant : Hier. Dominus enim respiciebat Ægyptios per columnam ignis et nubis, et pugnabat contra eos. Ex. XIV. 24, 25.

19 « Vox tonitrui tui in rota : » instar rotæ rapide discurrentis ; sive Deus revera intonuit, ut textus Exodi significare videtur ; sive iram ejus tonitrui ac fulguris imagine, Psalmi auctor designat : ut Ps. XVII. 14.

20 « In mari via tua : » qua tu populum deduxisti ; dux ipse itineris, et ante eos gradiens. Exod. XIII. 21, etc.

Deduxisti quasi gregem populum tuum: in manu Moysi et Aaron.

21. Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron.

PSALMUS LXXVII. HORTATORIUS ET INCREPATORIUS.

Ad decem tribus, ne agnito Davide, et in unum semel cum Juda coalitæ. II. Reg. v. 1, 5. a Davide, ejusque posteris desciscant. Hæc autem sanctus Asaph cecinit, præscius futurorum. Namque inerant jam inde ab ipsis Davidis initiis inter Judæ tribum et reliquas, æmulationis ac discordiæ semina : cum in Hebron regnantem Davidem super Judam cæteri, bello etiam illato, repellerent, et Isboseth regem sequerentur. II. Reg. ii, iii. Victo quoque Absalomo, Judæ tribu facile ad obsequium redeunte, cæteri Israelitæ tardissimi ac postremi omnium resipuerunt. II. Reg. xix. 11. ei seq. 40. et seq. Quin etiam paulo post : *Seba vir Jemineus cecinit buccina, et ait : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai : revertere in tabernacula tua, Israel :* Igitur *separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba : viri autem Juda adhæserunt regi suo.* II. Reg. xx. 1, 2. Adeo invidebant tribui Juda, quod una non modo singulis, verum etiam omnibus, et numero et gloria clarior potiorque haberetur, attributa etiam nuper ad cumulum regia dignitate, civitate regia, sacris etiam ; quæque gloria gentis erat, arca Dei, temploque. His igitur irarum fomitibus in æterna dissidia proni videbantur, ut postea contigit, Jeroboamo duce, cum decem tribus a fratribus, et Davidis familia se abruperunt. Hæc ergo cogitans Asaph, hortatur has tribus ut in fide perstent. Causas autem has maxime commemorat : quod Deus Davidem elegerit : quod Jerosolymis et in ipsa Sione civitatem David sedem arcæ elegerit : quod ibidem ipse David locum futuri templi designarit ; II. Reg. xxiv. 25. et I. Par. xxi. 22. et ii. Par. iii. 1, etc. quod hujus templi exstructio Davidis Salomoni filio reservata esset : idque repulsa Silo, vetere arcæ sede, ne Ephraimitæ quorum in sorte erat, ea superbirent. Sic decem tribus Davidis familiæ arctissimis, cum civilibus, tum etiam religionis vinculis, conjungebat; quas etiam causas refert Abias Roboami filius cur decem tribus ad se, Davidicamque stirpem reverterentur. II. Par. xiii. 5 et seq.

v. s. h. — *Eruditio Asaph.*

Ausculta, populus meus, legem meam : inclinate aurem vestram ad verba oris mei.

Aperiam in parabola os meum : loquar ænigmata antiqua.

Quæ audivimus et cognovimus, et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt abscondita a filiis eorum, a generatione sequenti.

v. v. — 1. *Intellectus Asaph.*

Attendite, popule meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei.

2. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio.

3. Quanta audivimus et cognovimus ea : et patres nostri narraverunt nobis.

4. Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.

1 « Intellectus Asaph. » Psalmus revera singulari consideratione dignissimus : unde sic incipit : « Attendite : » Propheta loquitur : « Popule meus : » populares mei. « Legem meam : » doctrinam meam.

2 « In parabolis. ... » Aliud dicit : aliud innuit : ac præteritorum specie futura præsagit. Id quoque ex persona Christi ; Matth. xiii. 35. « Propositiones ab initio : » abscondita a constitutione mundi : Matth. ibid. Mysteria antiqua ab Abrahamo et Jacobo patrum traditione collecta, et posteris tradita.

Narrantes laudes Domini, et potentiam ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.

Statuit contestationem in Jacob, et legem posuit in Israel, quæ mandavit patribus nostris, ut docerent filios suos.

Ut cognosceret generatio subsequens filii nascituri: surgent, et narrabunt filiis suis:

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur cogitationum Dei, et mandata ejus custodiant:

Et non sint sicut patres eorum, generatio declinans, et provocans; generatio quæ non præparavit cor suum, et non credidit Deo spiritus ejus.

Filii Ephraïm intendentes et mittentes arcum, terga verterunt in die belli.

Non custodierunt pactum Dei sui, et in lege ejus noluerunt ingredi.

Et obliti sunt commutationum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia, in terra Ægypti, in regione Taneos.

Divisit mare, et transduxit eos, et stare fecit aquas quasi acervum.

Et duxit eos in nube per diem, et tota nocte in lumine ignis.

Scidit petram in deserto, et potum dedit quasi de abyssis magnis.

Et eduxit rivos de petra, et elicuit quasi flumina aquas.

Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.

5. Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel.

Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis:

6. Ut cognoscat generatio altera.

Filii qui nascentur: et exsurgent, et narrabunt filiis suis,

7. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant:

8. Ne fiant sicut patres eorum; generatio prava et exasperans,

Generatio, quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

9. Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum; conversi sunt en die belli.

10 Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.

11. Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit.

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

13. Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre.

14. Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.

15. Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa.

16. Et eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas.

8 « Exasperans : » provocans : Hier. contumax : per luellis. « Non direxit cor suum : » rectum non habuit. « Non est creditus..... » non credidit Deo spiritus ejus : Hier.

9 « Filii Ephrem. » Cur Ephremitas hic potissimum commemoret, hæ causæ sunt : quod Josephi tribus, propter ipsum Josephum, Deo dilectissima videretur : quod Josephi filius Ephraïm, Dei nutu, Manassi, primogenito licet, antepositus : Gen. XLVIII. 17, etc., quod jam inde ab initio, Ephraimitæ fortitudine ac viribus prævalerent : Deut. XXXIII. 17. quo factum est, ut ab ipso Davide, fortitudo capitis sui, ac regni firmamentum haberentur : Ps. XLIX. 9. quod denique futurum, ut sub Roboamo tribus desciscerent hortatore Jeroboamo Ephraïmita, ipsaque novi regni Israelitici sedes Samariæ in sorte tribus amEphricollocanda esset. Unde passim in Prophetis scissæ tribus, Ephraim nomine vocantur. « Intendentes arcum : » Ephraimitæ habiti jaculatores egregii. « Conversi sunt in die belli : » sæpe in fugam acti a Davide cum sociis tribubus : II. Reg. II. Denique sub Abia a paucis fusi sunt : II. Par. XIII. 15, etc.

14 « Et deduxit eos in nube diei » per diem : eadem columna nubis, per diem præbente umbraculum, nocte facis instar, prævia. Vide Exod. XIII. 21, etc.

15 « Velut in abysso multa : » quasi ex aquis profundis, six ex silice potum præstitit.

16 « Deduxit tanquam flumina..... » aqua enim populum peregrinantem sequebatur : unde Paulus affirmat spiritualem petram ipsos consecutam, quæ perennem aquam deduceret. I. Cor. X. 4.

Et addiderunt ultra peccare ei, ut provocarent Excelsum in invio.

Et tentaverunt Deum in cordibus suis; petentes cibum animæ suæ.

Et loquentes contra Deum, dicebant: Numquid poterit Deus ponere mensam in solitudine?

Ecce percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt: numquid et panem poterit dare, aut præparare carnem populo suo?

Ideo audivit Dominus, et non distulit, et ignis accensus est in Jacob: et furor ascendit in Israel:

Quia non crediderunt in Deo; nec habuerunt fiduciam in salutari ejus.

Et præcepit nubibus desuper, et portas cœli aperuit.

Et pluit super eos manna ut comederent, et triticum cœli dedit eis.

Panem fortium comedit vir: cibaria misit eis in saturitatem.

Abstulit Eurum de cœlo, et induxit in fortitudine sua Africum.

Et pluit super eos quasi pulverem carnes, et quasi arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum: in circuitu tabernaculorum eorum.

Et comederunt, et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis.

Non indiguerunt de cupiditate sua; cum adhuc cibus esset in ore eorum.

Furor ergo Dei ascendit super eos; et occidit pingues eorum, et electos Israel incurvavit.

17. Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

19. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

20. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt;

Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

21. Ideo audivit Dominus, et distulit: et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel:

22. Quia non crediderunt in Deo nec speraverunt in salutari ejus.

23. Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit.

24. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis.

25. Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.

26. Transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum.

27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.

28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.

29. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: 30. non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, 31. et ira Dei ascendit super eos;

Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.

17 « In inaquaso: » in deserto; et ita passim.

20 « Quoniam percussit: » ecce percussit; Hier.

21 « Distulit: » ne tam cito in terram promissionis intrarent. At Hebr. excanduit: quam vocem Vulgata vertit, « sprevit; » infrà 59, 62.

24 « Panem cœli: » triticum cœli: Hier. a cœlo: quasi messem ab alto provenientem.

25 « Panem angelorum: » tanquam per angelos ministratum: Theodor. panem fortium Hebr.

26 « Austrum: » Eurum: Hier. ventum a mari flantem: Num. XI. 31.

27 « Volatilia: » coturnices, de quibus ibid.

30 « Adhuc escæ eorum: » ipsissima verba, Num. XI. 33.

31 « Impedivit: » incurvavit: Hier. id est, prostravit. Adverte autem iram incipientem ab optimatibus et divitibus, quippe qui superbius rebellabant.

In omnibus his peccaverunt ultra; et non crediderunt in mirabilibus ejus.

Et consumpsit in vanitate dies eorum, et annos eorum velociter.

Si occidebat eos, tunc requirebant eum, et convertebantur, et diluculo consurgebant ad Deum.

Et recordabantur quia Deus fortitudo eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.

Et lactaverunt eum in ore suo, et in lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat firmum cum eo: nec permanserunt in pacto ejus.

Ipse vero misericors propitiabitur iniquitati, et non disperdet: multumque avertit iram suam, et non suscitavit totum furorem suum.

Sed recordatus est quia caro essent; spiritus vadens, et non revertens.

Quoties provocaverunt eum in deserto, afflixerunt eum in solitudine?

Et conversi sunt, et tentaverunt Deum: et sanctum Israel concitaverunt.

Non sunt recordati manus ejus: diei qua redemit eos a tribulante.

Qui fecit in Ægypto signa sua, et ostenta sua in regione Taneos.

Qui convertit in sanguinem fluvios eorum, et rivos eorum ne biberent.

Qui immisit in eis omne genus muscarum, ut comederent eos, et ranas ut disperderent eos.

Qui dedit brucho germen eorum, et laborem eorum locustæ.

Qui occidit in grandine vineas eo-

32. In omnibus his peccaverunt adhuc; et non crediderunt in mirabilibus ejus.

33. Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.

34. Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.

35. Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.

36. Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei.

37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam: et non accendit omnem iram suam.

39. Et recordatus est quia caro sunt; spiritus vadens, et non rediens.

40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?

41. Et conversi sunt, et tentaverunt Deum: et sanctum Israel exacerbaverunt.

42. Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis.

43. Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.

44. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent.

45. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos.

46. Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ.

47. Et occidit in grandine vineas

32 « In omnibus his: » inter ipsa supplicia peccaverunt.
34 « Diluculo: » festinanter.
36 « Dilexerunt: » blanditi sunt: Hier.
38 « Abundavit: » multum: id est, longe: avertit iram suam: Hier.
39 « Spiritus vadens..... » Ut ventus vadit et non redit, ita vita hominis, brevis ævi
41 « Conversi sunt: » redierunt ad peccata.
44 « Imbres eorum: » rivos: Hier. nec tantum fluviales aquas, sed etiam quæ ex pluvia colliguntur, vertit in sanguinem.
45 « Cænomyiam: » omne genus muscarum: Hier.

rum, et sycomoros eorum in frigore.

Qui tradidit grandini pascua eorum, et jumenta eorum volucribus.

Qui misit in eos iram furoris sui: indignationem, et comminationem, et angustiam: immissionem angelorum malorum.

Munivit semitam furori suo: non pepercit a morte animæ eorum; et animantia eorum pesti tradidit.

Et percussit omne primogenitum in Ægypto: principium partus in tabernaculis Cham.

Et tulit velut oves populum suum, et minavit eos sicut gregem in deserto.

Et eduxit eos cum fiducia et absque timore: inimicos autem eorum operuit mare.

Et adduxit eos ad terminum sanctificatum suum: montem istum quem possedit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum gentes: et possidere eos fecit in funiculo hæreditatem, et collocavit in tabernaculis eorum tribus Israel.

Et tentaverunt, et provocaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.

Et aversi sunt, et prævaricati sunt ut patres eorum: incurvati sunt quasi arcus inutilis.

Et provocaverunt eum in excelsis

eorum, et moros eorum in pruina.

48. Et tradidit grandini jument eorum, et possessionem igni.

49. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem: immissiones per angelos malos.

50. Viam fecit semitæ iræ suæ: non pepercit a morte animabus eorum; et jumenta eorum in morte conclusit.

51. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

52. Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

53. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.

54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel. 56. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.

57. Et averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum: conversi sunt in arcum pravum.

58. In iram concitaverunt eum in

49 « Immissiones per angelos malos : » pœnas ab angelis malis immissas.

50 « Viam fecit semitæ : » munivit semitam iræ suæ : Hier. fecit inevitabilem iram. « In orte conclusit : » pesti tradidit : Hier.

51 « Laboris : » doloris : partus, Hier. id est, primogenitos. Sic Jacob Ruben primogenitum ; principium doloris sui, sive initium curarum vocat. Gen. XLIX. 3. « Tabernaculis Cham : » Ægypto, a filiis Cham habitata. Gen. X. 6. Ps. CIV. 23.

53 « In spe, et non timuerunt : » cum fiducia et absque timore : Hier.

54 « Montem sanctificationis : » terminum sanctificatum suum : Hier. in regionem a se sanctificatem : *oros* · 70. quæ vox et montem et terminum significat. « Montem..... » terram promissam, excelsam et nobilem. Sic in Cantico Mariæ. Exod. XV. 17. Vel totam terram a nobiliori parte appellat, a monte Sion, scilicet « quem acquisivit dextera ejus : » prælio et victoriis

56 « Et tentaverunt..... » Memoratis populi rebellionibus in deserto, transgreditur ad eas quæ sub Judicibus, ac deinceps contigerunt.

57 « Conversi sunt .... » quasi arcus inutilis : Hier dolosus : Hebr. qui intendentem fallit ictu debili. Sic illi, bene instituti licet, a scopo aberrarunt. Vel : « arcus perversus est, qui dum contra inimicos sagittam putatur jacere, sanciat tenentem ; sic et Judæi, qui in Deum liberatorem suum iniquas jaculabantur verborum sagittas. » Comm. Hier. in hunc Psal.

58 « In collibus suis : » excelsis : Hier. ubi sacrificabant. Tacite increpat rebellaturas tribus, quæ relicto templo, sibi fana in excelsis fecerint. III. Reg. XII. 31, etc.

suis; et in sculptilibus suis ad æmulandum concitaverunt.

Audivit Deus, et non distulit, et projecit vehementer Israel.

Et reliquit tabernaculum Silo: tentorium quod collocavit inter homines.

Tradidit in captivitatem gloriam suam, etdecorem suum in manu suam.

Et conclusit in gladio populum suum, et in hæreditatem suam non distulit.

Juvenes ejus devoravit ignis, et virgines ejus nemo luxit.

Sacerdotes ejus gladio ceciderunt; et viduæ ejus non sunt fletæ.

Et evigilavit quasi dormiens Dominus: quasi fortis post crapulam vini.

Et percussit hostes suos retrorsum; opprobrium sempiternum dedit eis.

Et projecit tabernaculum Joseph; et tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Juda: montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit in similitudine monocerotis sanctuarium suum: quasi terram fundavit illud in seculum.

collibus suis; et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

59. Audivit Deus, et sprevit; et ad nihilum redegit valde Israel.

60. Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.

62. Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit.

63. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.

64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt; et viduæ eorum non plorabantur.

65. Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.

66. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.

67. Et repulit tabernaculum Joseph; et tribum Ephraim non elegit.

68. Sed elegit tribum Juda: montem Sion quem dilexit.

69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in secula.

59 « Sprevit: » excanduit: Hebr. ut supra, 21, et infra, 62.

60 « Tabernaculum Silo: » quod erat in Ephraim: nempe, ut ostenderet se Jerusalem elegisse, abjecto Ephremitarum loco.

61 « Virtutem eorum: » fortitudinem: robur: Hebr. id est, arcam fœderis, qua confidebant. « Pulchritudinem eorum: » decorem suum: Hier. eamdem arcam, quæ decus erat Israelis, propter inhabitantem Deum; captaque est a Philistæis, cæsis Heli filiis Ophni et Phinees, I. Reg. IV. 11. ac tunc dictum: « Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei. » Ibid. 21, 22.

62 « Sprevit: » in eam excanduit: Hebr.

63 « Juvenes eorum comedit ignis: » urbibus scilicet igni ferroque populatis, ut fit in vastitate. « Non sunt lamentatæ: » passive; fletæ, ut ℣ 64. « Inhumata, infletaque turba: » ut ait poeta, Æneid. XI. At Hebr. non sunt laudatæ, epithalamio scilicet: nullæ nuptiæ ut in publico luctu.

64 « Sacerdotes eorum: » Ophni et Phinees. « Non plorabantur. » Vide 63 At Hebr. non plorabant, suos scilicet, sed arcam. Uxor Phinees, audita viri nece, non eum deploravit, sed ait. « Translata est gloria ad Israel, » etc. ut supra ad v. 61.

65 « Crapulatus a vino: » quasi post gravem somnum, qualis solet esse, largiter epotis poculis.

66 « Inimicos suos: » Philistæos. « In posteriora: » in secretiori parte natium. I. Reg. v. 6

67 « Tabernaculum Joseph: » Silo. Non elegit locum templi apud Josephi posteros, aut e regiam potestatem attribuit.

68 « Elegit tribum Juda: » in regnum: « Sion: » in locum arcæ, et arcem regiam. Vide orationem Abiæ, II. Par. XIII. 5. 8.

69 « Et ædificavit sicut unicornium: » quorum cornu et excelsum et unum: ut et templum Dei. At Hebr. sicut excelsa: supp palatia. « Sanctificium: » templum a Davide de-

Et elegit David servum sum ; et tulit eum de gregibus ovium.

Sequentem fœtas adduxit eum, ut pasceret Jacob populum ejus, et Israel hæreditatem suam.

Qui pavit eos in simplicitate cordis sui, et in prudentia manuum suarum dux eorum fuit.

70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum.

71. Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.

72. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

PSALMUS LXXVIII. PROPHETICUS.

Super desolatione domus sanctuarii : Ch. quod prophetico spiritu vult dictum. Melius ut videtur, polluto templo, urbe vastata ab Antiocho : vide dicta in Psalm. LXXIII. ℣ 2 et 3. Citantur I. Mac. VII, 17. ut ex antiqua scriptura et ad tempora Machabaica pertinentes.

V. S. H. — *Canticum Asaph.*

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in acervos lapidum.

Dederunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cœli : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Jerusalem : et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris : subsannatio et derisio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem, ardebit quasi ignis zelus tuus ?

Effunde furorem tuum super gentes quæ non cognoverunt te, et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob, et decorem ejus desolaverunt.

V. V. — 1. *Psalmus Asaph.*

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

2. Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli ; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem : et non erat qui sepeliret.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris ; subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

5. Usquequo, Domine, irasceris in finem : ascendetur velut ignis zelus tuus?

6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt :

7. Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.

signatum, a Salomone condendum, ex Nathani vatinicio, II. Reg. VII. 13. « In terra..... » quasi terram fundavit, etc. Hier. Sicut terram in æternum voluit esse stabilem, ita etiam templum.

70 « Elegit David : » deditque ei regnum in sempiternum, ipsi et filiis ejus, ut dicebat Abia Roboami filius ad rebellantes tribus : II. Par. XIII. 5. « De post fœtantes : » sequentem fœtas : Hier. Ex pastore pecudum, pastorem hominum fecit : quæ certissima nota divinæ voluntatis a Deo ipso memoratur. II. Reg. VII. 8.

1 « Polluerunt. » Non dicit excisum, sed pollutum, ut I. Mac. I. 41, 49. II. 12. IV. 38. « In pomorum custodiam : » in « speculum quam custodes satorum et pomorum habere consueverant : » Hier. Epist. ad Sun. et Fret. palatiis, ipsaque urbe velut in tugurium versa. Idem Hier. ibid. et hic ex Hebræo sic vertit : in acervos lapidum. De Antiocho et sancta civitate scriptum. « Succendit eam igni, et destruxit domos ejus, et muros ejus in circuitu. » I. Mac. I. 33.

6 « Effunde iram tuam : » hic et seq. versus a Jerem. repetiti. X. 25.

7 « Locum ejus : » habitaculum : Hebr. templum. Alii vertunt, decus ; pulchritudinem : eodem sensu. Tempore Antiochi, « Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo. » I. Mac. I. 41. » Sancta nostra et pulchritudo nostra et claritas nostra desolata est. » Ibid. II. 12. Vide etiam IV. 38, etc.

Ne recorderis iniquitatum nostrarum veterum : cito occupent nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus nimis.

Auxiliare nobis, Deus JESUS noster, propter gloriam nominis tui : et libera nos ; et propitiare peccatis nostris, propter nomen tuum.

Quare dicunt gentes : Ubi est Deus eorum ? nota fiat in gentibus ante oculos nos trosultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.

Ingrediatur coram te gemitus vinctorum in magnitudine brachii tui : relinque filios interitus.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : opprobrium suum quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos enim populus tuus, et grex pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sempiternum : in generatione et generatione narrabimus laudes tuas.

8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum : cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

9. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos ; et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

10. Ne forte dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum ? et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est. 11. Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.

12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

13. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in seculum.

In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.

PSALMUS LXXIX. DEPRECATORIUS ET PROPHETICUS.

Cæso Saule a Philistæis, quo tempore David super solo Juda regnabat in Hebron, petit adunari tribus, et populum ab hostibus vindicari ; deinde Davidis victorias, ac demum terræ sanctæ vastitatem prædicit per Nabuchodonosorem. Hinc forte apud 70. titulus, *super Assyrios.*

V. S. H. — *Victori, pro liliis, testimonium Asaph, Canticum.*

Qui pascis Israel, ausculta, qui ducis quasi gregem Joseph ; qui sedes super Cherubim, ostendere.

Ante Ephraim et Benjamin et Manasse suscita fortitudinem tuam, et veni ut salvos facias nos.

V. V. — 1. *In finem, pro iis, qui commutabuntur, testimonium Asaph. Psalmus.*

2. Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim, manifestare 3. coram Ephraim, Benjamin et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.

10 « Ne forte dicant : » quare dicunt, etc. Hier. « Coram oculis nostris : ultio, » etc. Jungenda hæc, ut apud Hier. et 70.

11 « Posside filios mortificatorum : eorum qui cæsi sunt. Sint ex nobis reliquiæ quas nec eximas. At Hier. relinque filios interitus : morti addictos licet, jube esse superstites.

2 « Qui regis Israel : « pastor Israel : Hebr. Totum populum conjuncturus, a communi nomine Israelis, ad Josephum ac speciales quasdam familias descendit. « Qui deducis velut ovem Joseph : » velut gregem : Hier. Ergo tribus Joseph nondum a vero cultu recesserat. « Qui sedes super Cherubim : » in arca fœderis. « Manifestare ; » imperativo, resplende.

3 « Ephraim..... » Hæ tribus arcam sequi solebant. Num. 11. 18. Rogat ergo ut Deus ex arca eis affulgeat : pro eis autem orat, ut ostendat Davidem, non tantum pro Juda sibi com-

Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus : Domine, Deus exercituum, usquequo fumabis ad orationem populi tui ?

Cibasti nos pane flebili, et potasti nos in lacrymis tripliciter.

Posuisti nos contentionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus exercituum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto tulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam.

Præparasti ante faciem ejus, et stabilisti radices ejus, et replevit terram.

Operti sunt montes umbra ejus, et ramis illius cedri Dei.

Expandit comas suas usque ad mare, et usque ad flumen germina sua.

Quare dissipasti maceriem ejus, et vindemiaverunt eam omnes qui transeunt per viam.

Vastavit eam aper de silva, et omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.

Deus exercituum, revertere, obsecro ; respice de cœlo, et vide, et visita vineam hanc.

Et radicem quam plantavit dextera tua, et filium quem confirmasti tibi.

Succensam igni et deramatam : ab increpatione faciei tuæ pereant.

4. Deus, converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

5. Domine, Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui ?

6. Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.

8. Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

9. Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam.

10. Dux itineris fuisti in conspectu ejus : plantasti radices ejus, et implevit terram.

11. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.

12. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.

13. Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam ?

14. Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam ?

15. Deus virtutum, convertere ; respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

17. Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.

junctissimo, sed etiam pro tribubus sibi adversantibus, esse sollicitum. præcipuæ vero erant ex Josepho oriundæ. Benjaminitas inserit Josephi filiis, Saulis ejusque filii Isbosetí memor. Simul ut uno tempore commemoret totam Rachelis familiam Jacobo carissimam.

4 « Ostende faciem : » illumina : Hebr. fac inde coruscare vividum lumen.

5 « Servi tui : » populi tui : Hier.

6 « Cibabis : » cibasti : Hier. « Potum dabis : » potasti : Idem. « In mensura : » salis : Hebr. quod nomen mensuræ magnæ. Unde Hier. tripliciter, id est, lacrymis nos cumulatissime satiasti : Saule et Jonatha, totoque exercitu fœde cæsis, magno populi et Davidis luctu II. Reg. 1. 17, etc.

10 « Dux itineris... » repurgasti ante eam : Hebr. locum vacuasti quem occuparet, ejectis Chananæis ; viam præparasti : Hier.

11 « Arbusta : » rami : Hebr. « Cedros Dei : » magnas, proceras.

12 « Palmites : » comas : Hier. eodem sensu. « Flumen : » Euphraten. Davidis victoriæ a mari ad Euphraten protensæ.

14 « Aper : » rex Assyrius « Singularis ferus : » omnes bestiæ agri : Hier.

16 « Filium hominis. Hominis, « deest Hebr. sed videtur subintelligendum ex v. 18 ; quanquam alii referunt ad metaphoram vitis, quasi diceret, et propaginem.

17 « Et suffossa : » supp. est vitis : sed non impune ; nam, « peribunt : » supp. qui eam incenderunt, ac devastarunt, sive Philistæi, sive etiam Assyrii.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non recedimus a te : vivificabis nos, et nomine tuo vocabimur.

Domine, Deus exercituum converte nos : ostende faciem tuam, et salvi erimus.

18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

19. Et non discedimus a te, vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus.

20. Domine, Deus virtutum, converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

PSALMUS LXXX. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Prima die mensis septimi, quod est sabbatum, memoriale clangentibus tubis. Lev. XXIII. 24. in memoriam omnium beneficiorum Dei consecratum, populus congregatus antiqua jam inde a Josepho et Mose accepta beneficia commemorat. Alii ad festum tabernaculorum referri malunt, quibus favet versio Hier. ut patebit. v 4. Indicat populum pro peccatis afflictum, nulla temporis nota. Canitur ab Ecclesia in jejunio septimi mensis, in quo antiquæ Hebræorum ejusdem septimi mensis solemnitates memorantur.

V. S. H. — *Victori, pro torcularibus, Asaph.*

Laudate Deum fortitudinem nostram : jubilate Deo Jacob.

Assumite carmen, et date tympanum : citharam decoram cum psalterio.

Clangite in Neomenia, buccina, et in medio mense, die solemnitatis nostræ.

Quia legitimum Israel est, et judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit eum ; cum egrederetur de terra Ægypti : labium quod nesciebam, audivi.

Amovi ab onere humerum ejus : manus ejus a cophino recesserunt.

V. V. — *In finem,* 1. *Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.*

2. Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob.

3. Sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara.

4. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.

5. Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.

6. Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti : linguam quam non noverat, audivit.

7. Divertit ab oneribus dorsum ejus : manus ejus in cophino servierunt.

18 « Virum dexteræ tuæ : » Davidem a te designatum et confirmatum regem, et in ejus figura Christum.

1 « Pro torcularibus : » vide tit. Psalm. VIII.

4 « In Neomenia : in novo mense, prima die mensis septimi, ut in argumento dictum Hebr. in mense mox inchoato, eodem sensu : unde alii vertunt, in calendis. Est autem secundum Hebr. in Novilunio, ut docet Hier. in fine Epist. ad sun. « In insigni die : » stato die Hebr. At Hier. medio mense, die solemnitatis nostræ : quod sane pertineret ad Tabernaculorum festum, medio mense septimo celebrandum. Lev. XXIII. 34.

6 « Testimonium in Joseph. » Beneficia Dei enarraturus, orditur a Josepho, quo auctore e terra Chanaan, ubi Jacob et filii fame laborabant, in Ægyptum inducti, omnium rerum copia fruebantur. « Posuit illud : » præceptum illud : legitimum illud voluit esse testimonium, sive monumentum tot miraculorum quæ in Josepho Deus fecit. At Hier. Testimonium..... posuit eum : referendo ad diem de quo v. 4. qui dies tantæ rei monumentum est ; eodem ubique sensu. « Cum exiret de terra Ægypti : » super terram Ægypti : Hebr. cum a Josepho vocatus Jacob egrederetur cum suis e terra Chanaan in Ægyptum. « Linguam quam non noverat, audivit : » Ægyptiacam scilicet : quam non noveram, audivi . Hebr. Populum loquentem inducit.

7 « Divertit..... » amovi..... Hier Jam Deus loquitur de populo. « In cophino servierunt . »

In tribulatione invocasti, et erui te, et exaudivi te in abscondito tonitrui : probavi te super aquam contradictionis. Semper.

Audi, populus meus, et contestabor te : Israel, si audieris me ;

Non sit in te deus alienus, et non adores deum peregrinum.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non credidit mihi.

Et dimisi eum in pravitate cordis sui : ambulabunt in consiliis suis.

Utinam populus meus audisset me, Israel in viis meis ambulasset.

Quasi nihilum inimicos ejus humiliassem, et super hostes eorum vertissem manum meam.

Qui oderunt Dominum, negabunt eum, et erit tempus eorum in seculum.

Et cibavit eos de adipe frumenti, et de petra melis saturavit eos.

8. In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te apud aquam contradictionis.

9. Audi, populus meus, et contestabor te : Israel, si audieris me, 10. non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum, et implebo illud.

12. Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.

13. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis.

14. Si populus meus audisset me ; Israel si in viis meis ambulasset.

15. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.

16. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in secula.

17. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.

PSALMUS LXXXI. MORALIS.

Ad judices Jerosolymis constitutos : de quibus Ps. CXXI. v. 5. Vide Psalm. XCII

V. S. H. — *Psalmus Asaph.*

Deus stetit in cœtu Dei : in medio deos dijudicat.

Usquequo judicatis iniquitatem et facies impiorum suscipitis ? Semper.

V. V. — *Psalmus Asaph.*

1. Deus stetit in synagoga deorum : in medio autem deos dijudicat.

2. Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis ?

a cophino recesserunt : Hier. a servitutis ministeriis. Cophinus autem, vas humeris impositum ad gestenda onera, quale erat lutum ab Hebræis supportatum ad ædificia regia. Theodor.

8 « In tribulatione invocasti me. » Jam Deus sermonem convertit ad populum, quem audierat in Ægypto clamantem. Exod. II. 23, 24, etc.

10 « Deus recens : » Deus alienus : Hier. « Deum alienum : » peregrinum : Idem.

11 « Dilata os tuum, et implebo illud : » ut olim dato manna ; esca nullo labore parta, ut os tantum aperiendum esse videretur.

12 « Non intendit mihi : » non credidit : Hier.

15 « Pro nihilo : » brevi : Hebr.

16 « Mentiti sunt ei : » mentirentur : Hebr. id est, supplices et dissimulantes negarent se quidquam in eum molitos. « Erit : » esset. « Tempus eorum : » Israelitarum. « In secula : » esset eorum tuta felicitas ; quæ omnia deducenda sunt ab eo quod dictum est : « Si me audissent, » etc. v. 14.

17 « Cibavit... saturavit » : cibaret... saturaret. Heb. Hæc enim omnia ad illud : « Si populus meus : » supra 14. referenda sunt, et conditionaliter accipienda.

1 « In synagoga deorum : » in consessu judicum, qui et dii vocantur Exod. XXI. 6. et sæpe alias. « Deos dijudicat : » quippe qui exercebant judicium non hominis, sed Dei. II. Par. XIX. 6.

2 « Facies peccatorum sumitis : » in judicio personas accipitis : favetis violentis et oppressoribus

Judicate pauperi et pupillo ; egeno et inopi juste facite.

Salvate inopem ; et pauperem de manu impiorum liberate.

Non cognoscunt nec intelligunt ; in tenebris ambulant : movebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes vos.

Ergo quasi Adam moriemini, et quasi unus de principibus cadetis.

Surge, Domine, judica terram : quoniam tu hæreditabis omnes gentes.

3. Judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate.

4. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.

5. Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant : movebuntur omnia fundamenta terræ.

6. Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.

8. Surge, Deus, judica terram ; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

PSALMUS LXXXII. DEPRECATORIUS.

Oratio ad Deum, ut Davidem tueatur insurgentibus Philistæis, Syris, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, aliisque Arabibus : II. Reg. VIII, X, XI, I. Par. XVIII, XX. Potest et prophetice Psalmus sub nomine Machabæorum dictus intelligi, quorum tempore has gentes in Judæos arma consociasse constat.

V. S. H. — *Canticum, Psalmus Asaph.*

Deus, ne taceas : ne sileas, et non quiescas, Deus.

Quia ecce inimici tui tumultuati sunt, et qui oderunt te, elevaverunt caput.

Contra populum tuum nequiter tractaverunt, et inierunt consilium adversus arcanum tuum.

Dixerunt : Venite, et conteramus eos de gente, et non sit memoria nominis Israel ultra.

Quoniam tractaverunt corde pariter : contra te fœdus pepigerunt

Tabernacula Idumeæ et Ismaelitarum : Moab et Agareni :

V. V. — 1. *Canticum Psalmi Asaph.*

2. Deus, quis similis erit tibi ? ne taceas, neque compescaris, Deus :

3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput.

4. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

5. Dixerunt : Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra.

6. Quoniam cogitaverunt unanimiter : simul adversum te testamentum disposuerunt 7. tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ :

5 « Movebuntur... . » concussis legibus, quibus publica concordia nititur, regnum nutabit.

7 « Sicut unus de principibus..... » sicut alii principes, morti omnes obnoxii, ita « cadetis. » Alii ex Hebr. sicut unus, o principes, cadetis ; sicut unus, e plebe scilicet.

8 « Tu hæreditabis in omnibus gentibus : » omnes gentes, tua hæreditas, tua possessio.

2 « Quis similis... tibi ? » deest Hebr. Deus, ne taceas, ne sileas, ne quiescas, Deus. Hier. Quod est summo in discrimine laborantis, et ingeminatis vocibus festinum auxilium implorantis.

3 « Sonuerunt : » tumultuati sunt : Hier.

4 « Super populum tuum malignaverunt consilium : » contra populum tuum nequiter tractaverunt : Hier. exitiosa plebi tuæ fœdera inierunt. « Sanctos tuos : » absconditos tuos Hebr. servos, quos protegis ; quos in sinu habes.

5 « Disperdamus eos de gente : » ut gens non sit : Hebr. « Sic. « I. Mac. V. 2. « Cogitabant tollere genus Jacob. »

6 « Testamentum disposuerunt : » fœdus pepigerunt : Hier

7 « Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ ; Moab et Agareni. « Gentes Arabicæ quæ sibi mutuo ferebant opem, vulgo in tentoriis habitantes

Gebal et Ammon et Amalec; Palestina cum habitatoribus Tyri.

Sed et Assur venit cum eis : facti sunt brachium filiorum Lot. Semper.

Fac illis sicut Madian et Sisarai, sicut Jabin in torrente Cison.

Contriti sunt in Endor : fuerunt quasi sterquilinium terræ.

Pone duces eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana omnes principes eorum,

Qui dixerunt : Possideamus nobis pulchritudinem Dei.

Deus meus, pone eos ut rotam; quasi stipulam ante faciem venti.

Quomodo ignis comburit silvam, et sicut flamma devorat montes :

Sic persequere eos in tempestate tua, et in turbine tuo conturba eos.

Imple facies eorum ignominia : et quærent nomen tuum, Domine.

Confundantur et conturbentur usque in seculum : erubescant et pereant.

Et sciant quia nomen tuum est Dominus solus tu : Excelsus super omnem terram.

Moab et Agareni : 8. Gebal, et Ammon, et Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

9. Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot.

10. Fac illis sicut Madian et Sisaræ; sicut Jabin in torrente Cison.

11. Disperierunt in Endor : facti sunt ut stercus terræ.

12. Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana;

Omnes principes eorum, 13. qui dixerunt : Hæreditare possideamus sanctuarium Dei.

14. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.

15. Sicut ignis, qui comburit silvam; et sicut flamma comburens montes :

16. Ita persequeris illos in tempestate tua : et in ira tua turbabis eos.

17. Imple facies eorum ignominia : et quærent nomen tuum, Domine.

18. Erubescant, et conturbentur in seculum seculi, et confundantur, et pereant.

19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus in omni terra.

8 « Gebal : » Gabala, regio Arabica secundum Stephanum : vel Idumæa, dicta Gabalena eidem Stephano, Hieronymo et Targum Hierosolymitano, quasi montana : a voce « Gebal, » mons. « Alienigenæ : » Philistæi : ita passim.

9 « Etenim Assur : » sed et Assur venit cum illis : Hier. Syri : II. Reg. x. 8, 9. qui et Assur dicebantur : unde Isa. LII. 4. « Descendit in Ægyptum populus meus in principio, ut colonus esset ibi; et Assur absque ulla causa calumniatus est eum : » Syri, ut videtur, cum quibus sæpe haberent acerba dissidia et odia. « Filiis Lot : » Ammonitis.

10. 11. 12. « Fac illis sicut Madian et Sisaræ..... » quemadmodum hi omnes populi internecione deleti sunt : Jud. IV, VII, VIII. ita fiat hostibus David. Sic Isa. x. 26. « Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb. » Hoc est, penitus delebuntur.

13 « Sanctuarium. » pulchritudinem : Hier. terram sanctam.

14 « Ut rotam : » da illos præcipites; volve ac revolve, ut consistere nequeant. Sicut Abigail ad Davidem : « inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu et circulo fundæ. I. Reg. XXV. 29.

15 « Comburens montes : » silvas in montibus.

16 « Persequeris : » persequere : Hier.

17. 18. 19. « Imple facies.. .. quærent nomen tuum. » Perterriti ac pudefacti inimici tui quærent quis sis, et inveniet te esse altissimum illum Deum. Morali sensu, peccator arguitur, corripitur, ostenditur sibi, confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem. Aug. (enarr. in hunc Ps. n. 13.) « Respicientes ignominiam peccatorum suorum, ad hoc conturbantur, ut quærant nomen Domini, per quod non conturbentur.

PSALMUS LXXXIII. CONSOLATORIUS.

Vota populi Jerosolymas ad festa solemnia ex omnibus terræ sanctæ finibus summa lætitia properantis. Ad ea tempora pertinet quibus altaria, tabernaculum, arca ipsa uno in loco collocata erant ℣ 1, 4, 5, 8, quod ante Salomonem non contigit, cum ipse Salomon initio regni sacrificaturus ad Gabaon perrexerit, ubi altare æneum et tabernaculum fœderis : II. Par. I. 3, 5, arca pridem in Sion a Davide translata. *Ibid.* 4. Hic autem omnia visebantur simul, ac domus Dei una cum ministeriis levitarum omnibus numeris absoluta. ℣ 2, 5, 11. Quæ sane per Davidem designata, per Salomonem impleta sunt. II. Par. VIII. 14. Hæc igitur concupiscebant, ac sub horum specie, Ecclesiam, ejusque mysteria, cœlum denique ipsum, et verum sanctuarium non manufactum, quorum ista sacramenta sunt. Hic Psalmus conferendus cum XLI, Coritis æque ad canendum dato.

V. S. H. — *Victori, pro torcularibus, filiorum Core Psalmus.*

Quam dilecta tabernacula tua, Domine exercituum!

Desiderat et deficit anima mea in atria Domini : cor meum et caro mea laudabunt Deum viventem.

Siquidem passer invenit sibi domum, et avis nidum sibi, ut ponat pullos suos : altaria tua, Domine exercituum, rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua : adhuc laudabunt te. Semper.

Beatus homo cujus fortitudo in te est : semitæ in corde ejus.

Transeuntes in valle fletus, fontem ponent eam : benedictione quoque amicietur doctor.

Ibunt de fortitudine in fortitudinem ; parebunt apud Deum in Sion.

V. V. — *In finem,* 1. *Pro torcularibus filiis Core, Psalmus.*

2. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! 3. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

4. Et enim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum : rex meus, et Deus meus.

5. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.

6. Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, 7. in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

8. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

3 « Concupiscit, et deficit anima mea : » ante concupiscens, et totam se effundens in concupiscentiam, longo fine suspensa, defectione dissolvitur. Quomodo deficiat anima in salutare Dei, Jeremias docet : « Et factus est, » inquit, « in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. » (Jerem. XX. 9.) Amb. in illud Ps. CXVIII. « Defecit in salutare tuum anima mea : » quem locum vide. « Cor meum et caro mea : » gaudio spiritus etiam in corpus redundante : ut Ps. LXII. 3.

4 « Passer invenit. » Sicut passer invenit nidum suum, ita ego altaria tua : in his ergo acquiescit, vagus antea et inquietus.

6 « Ascensiones in corde suo : » semitæ in corde ejus : Hier. atque hic versus clauditur. Semitæ autem, id est, præcepta legis ; melius : in ejus animo versantur semitæ ferentes ad templum quo properat. Morali sensu : « Quicumque sanctus est, quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur, » cum Paulo (Phil. III. 13). Comm. Hier. hic.

7 « Disposuit in valle lacrymarum : » transeuntes in valle fletus, fontem ponent eam : Hier. Transibunt loca flebilia et siticulosa tam jucunde, ac si fontibus scaterent.

8 « Benedictionem dabit : » benedictione quoque amicietur doctor : Hier. Doctor populum iter agentem legis expositione consolabitur. Sic enim procedebant ab omnibus finibus una cum

Domine, Deus exercituum, exaudi orationem meam: ausculta, Deus Jacob. Semper.

Clypeus noster vide, Deus, et attende faciem Christi tui.

Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia : elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impietatis.

Quia sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus : nec prohibebit bonum ab iis qui ambulant in perfectione.

Domine exercituum, beatus homo qui confidit in te.

9. Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.

10. Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui :

11. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

12. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

PSALMUS LXXXIV. EUCHARISTICUS.

Soluta captivitate Babylonica. Fidelibus per Christum a peccato liberatis.

V. S. H. — *Victori, filiorum Core, Psalmus.*

Placatus es, Domine, terræ tuæ : reduxisti captivitatem Jacob.

Dimisisti iniquitatem populo tuo : operuisti omnes iniquitates eorum. Semper.

Continuisti omnem indignationem tuam : conversus es ab ira furoris tui.

Converte nos Deus, Jesus noster, et solve iram tuam adversum nos.

Noli in æternum irasci nobis : extendens iram tuam in generationem et generationem.

Nonne tu revertens vivificabis nos, et populus tuus lætabitur in te ?

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

V. V. — 1. *In finem, filiis Core, Psalmus.*

2. Benedixisti, Domine, terram tuam : avertisti captivitatem Jacob.

3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

4. Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuæ.

5. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.

6. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

7. Deus, tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te.

8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Levitis. « Ibunt de virtute..... » de turma in turmam : Hebr. variis catervis tandem in Sion pervenient. « Videbitur : » parebunt apud Deum in Sion : Hier. Ibi enim in civitate David templum : ibi arca, Dei præsentis ope nobilis.

9 « Domine Deus. » Hæc est illorum oratio, postquam ad templum pervenerunt.

10 « Christi tui : » regis, qui Christi figura.

11 « Abjectus esse : » ad limen adstare : Hebr. *Histopheph;* quod convenit Coritis janitoribus templi, quibus etiam Psalmus inscribitur.

12 « Misericordiam et veritatem..... » sol et scutum, Dominus Deus : Hier lux et protectio.

2 « Benedixisti..... » placatus es .... « Avertisti..... » reduxisti, etc. Hier.

4 « Avertisti..... » conversus es : Idem.

7 « Deus, tu conversus..... » nonne tu revertens : Hier.

Audiam quid loquatur Dominus Deus : loquetur enim pacem ad populum suum, et ad sanctos suos, ut non convertantur ad stultitiam.

Verumtamen prope est his qui timent eum salutare ejus : ut habitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas occurrerunt : justitia et pax deosculatæ sunt.

Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

Sed et Dominus dabit bonum, et terra nostra dabit germen suum.

Justitia ante eum ibit, et ponet in via gressus suos.

9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.

11. Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt.

12. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

13. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

14. Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.

PSALMUS LXXXV. DEPRECATORIUS ET PROPHETICUS.

David e summis sub Saule periculis erutus. Christus ab inferis revocatus, et gentes vocans.

V. S. H. — *Oratio David.*

Inclina, Domine, aurem tuam, exaudi me : quia egenus et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quia sanctus sum : salva servum tuum, tu Deus meus, qui confidit in te.

Miserere mei, Domine ; quoniam ad te clamabo tota die.

Lætifica animam servi tui : quia ad te, Domine, animam meam levo.

Tu enim es, Domine, bonus, et propitiabilis, et multus misericordia omnibus qui invocant te.

Exaudi, Domine, orationem meam, et ausculta vocem deprecationum mearum.

In die tribulationis meæ invocabo te, quia exaudies me.

Non est similis tui in diis, Domine ; et non est juxta opera tua.

V. V. — *Oratio ipsi David.*

1. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops et pauper sum ego.

2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserere mei, Domine ; quoniam ad te clamavi tota die : 4. lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

5. Quoniam tu, Domine, suavis et mitis : et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

6. Auribus percipe, Domine, orationem meam : et intende voci deprecationis meæ.

7. In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti me.

8. Non est similis tui in diis, Domine ; et non est secundum opera tua.

9 « Qui convertuntur ad cor : » qui serio resipiscunt. At Hier. ne convertantur ad stultitiam, ut malo admoniti, post captivitatem, ab idololatria, et reliquis insaniis abstineant.

11. 12. « Misericordia et veritas..... Veritas de terra orta est. ... » Soluta captivitate, felicem populi statum designat, omni bonorum copia et virtutibus florentis : quæ maxime impleta sunt, postquam Christus ipsa veritas, idemque pax nostra, e terra ortus est.

13 « Terra nostra dabit fructum suum : » frugum omnium copiam : prophetice, ipsum Christum.

14 « Justitia ante eum. » Deus justitiam ante se præmittet : qua duce, populus e captivitate rediens secure iter aget.

Omnes gentes quas fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu Deus solus.

Doce me, Domine, viam tuam, ut ambulem in veritate tua : unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo; et glorificabo nomen tuum in sempiternum.

Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam de inferno extremo.

Deus, superbi surrexerunt adversum me, et cœtus robustorum quæsierunt animam meam; et nôn proposuerunt te in conspectu suo.

Tu autem, Domine, Deus misericors et clemens : patiens, et multæ misericordiæ, et verus.

Respice ad me, et miserere mei; da fortitudinem tuam servo tuo, et salva filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonitate, et videant qui oderunt me, et confundantur : quia tu, Domine, auxiliatus es mihi, et consolatus es me.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

10. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

11. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

12. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum.

13. Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam; et non proposuerunt te in conspectu suo.

15. Et tu, Domine, Deus miserator et misericors : patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

16. Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo; et salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

PSALMUS LXXXVI. MORALIS.

Sion et Ecclesia viris egregiis præ omnibus populis abundat. Ægypti porro et Babylonis mentio ultima regum tempora demonstrat.

V. S. H. — *Filiorum Core Psalmus Cantici.*

Fundamenta ejus in montibus sanctuarii.

Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt in te, civitas Dei. Semper.

V. V. — *Filiis Core Psalmus Canticis.*

1. Fundamenta ejus in montibus sanctis :

2. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

9 « Omnes gentes. » Manifesta vocatio gentium.

11 « Lætetur : » unicum fac cor meum : Hier. ne scindatur variis affectibus, teque unum spiret.

13 « Ex inferno inferiori : » e sepulcris infimis.

16 « Imperium : » fortitudinem : Hier. « Filium ancillæ : » vernam tuum herili imperio assuetum. Sic Psal. cxv. 16. « Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ. »

17 « Signum in bonum : » insigne favoris tui.

1 « Fundamenta ejus : » templi ac sub ejus figura Ecclesiæ, quæ est illa « civitas supra montem posita. » Matth. v. 14.

2 « Diligit Dominus portas Sion : » Jerosolymam omnibus in Judæa urbibus anteponit.

3 « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei : » o Jerusalem : o Ecclesia. Quæ autem illa sint, jam edisseret.

Commemorabor superbiæ et Babylonis scientium me : ecce Palæstina et Tyrus cum Æthiopia ; iste natus est ibi.

Ad Sion autem dicetur, vir et vir natus est in ea, et ipse fundavit eam Excelsus.

Dominus numeravit scribens populos; ipse natus est in ea. Semper.

Et cantabunt quasi in choris omnes fortes mei in te.

4. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

5. Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ?

6. Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum, horum, qui fuerunt in ea.

7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

PSALMUS LXXXVII. DEPRECATORIUS.

Ex persona hominis in carcere constituti et malis mersi puta Jeremiæ, cum in lacum missus est. Jerem. XXXVIII.

V. S. H. — *Canticum carminis filiorum Core, victori per chorum ad præcinendum, eruditionis Eman Ezrahitæ.*

Domine, Deus salutis meæ, per diem clamavi, et nocte coram te.

Ingrediatur ante te oratio mea : inclina aurem tuam ad laudationem meam.

Quia repleta est malis anima mea, et vita mea ad infernum descendit.

Reputatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum quasi homo invalidus,

Inter mortuos liber, sicut interfecti et dormientes in sepulcro, quo-

V. V. — *Canticum Psalmi*, 1. *filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.*

2. Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.

3. Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.

4. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.

5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, 6. inter mortuos liber,

Sicut vulnerati dormientes in se-

4 « Rahab ; » Ægypti : Chald. Sic Psalm. LXXXVIII. 11. et Isaiæ, LI. 9. « Percussisti superbum ; » Rahab, id est, Ægyptium. « Scientium : » scientibus me commemorabo Ægyptum et Babylonem. Ita Hebr. et 70. « Hi fuerunt illic : » hi geniti sunt ibi : *egennéthésan*. Iste natus est ibi : Hier. id est, aliquis unus vir magnus uno quoque in loco, sensusque est : qui me norunt, admonebuntur apud Ægyptum Babylonem et reliquas gentes, aliquem in singulis natum esse virum pium et magnum, in Sion autem multos, ut docebunt sequentia.

5 « Numquid Sion : » mater Sion : 70. Sion urbium mater, metropolis. Sic etiam August. 2. de Symb. ad catechum. ex *métar*, mater, factum *mèti*, numquid. Clarius Hier. ad Sion autem dicetur, vir et vir natus est in ea. Sensus est, ad Sion, vel de Sion dicetur : non unus aliquis, sed alter et alter ; id est, multi magni homines in ea nati sunt. An autem et hæc de Sione dicantur, an ipsa Sion mater urbium de se dicat, parvi refert.

6 « Dominus narrabit : » Dominus numeravit, scribens populos : ipse ; etc. Hier. « Principum : » deest Hebr. Idem quod supra v. 4. Deus reliquos populos in tabulis suis conscribens, unum aliquem notat sibi placentem ; at in Sion sanctorum immensa multitudo, et velut chori lætantes : unde subdit :

7 « Sicut lætantium : » cantabunt quasi in choris, etc. Hier. Canent et tripudiabunt Deo.

1 « Ad respondendum : » alternis canendum. Eman Ezrahitæ : » non illius ergo qui tempore Davidis memoratus : is enim levites : I. Par. XV. 17. de filiis Caath, ibid. VI. 33. Ezra autem de filiis Juda. ibid. IV. 1, 17.

3 « Precem : » clamorem : Hebr.

4 « Repleta est : » saturata. « Inferno appropinquavit : » ad sepulcrum descendit : Hebr.

5 « Homo sine adjutorio : » invalidus : Hier.

rum non recordaris amplius, et qui a manu tua abscissi sunt.

Posuisti me in lacu novissimo, in tenebrosis et in profundis.

Super me confirmatus est furor tuus, et cunctis fluctibus tuis afflixisti me. Semper.

Longe fecisti notos meos a me : posuisti me abominationem eis, clausum, et non prodeuntem.

Oculus meus infirmatus est ab afflictione, invocavi te, Domine, tota die ; expandi ad te palmas meas.

Numquid mortuis facies mirabilia, aut gigantes resurgent, et confitebuntur tibi ? Semper.

Numquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, et veritas tua in perditione ?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra quæ oblivioni tradita est ?

Ego autem ad te, Domine, clamavi, et mane oratio mea præveniet te.

Quare, Domine, abjicis animam meam : abscondis faciem tuam a me ?

Pauper ego et ærumnosus, ab adolescentia mea portavi furorem tuum, et conturbatus sum.

Super me transierunt iræ tuæ ; terrores tui oppresserunt me.

Circumdederunt me quasi aquæ tota die : vallaverunt me pariter.

Longe fecisti a me amicum et sodalem : notos meos abstulisti.

pulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.

7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, et in umbra mortis.

8. Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.

9. Longe fecisti notos meos a me ; posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : 10. oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die ; expandi ad te manus meas.

11. Numquid mortuis facies mirabilia ; aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione ?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?

14. Et ego ad te, Domine, clamavi, et mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid, Domine, repellis orationem meam : avertis faciem tuam a me ?

16. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

17. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me simul.

19. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.

6 « Inter mortuos liber : » nec libertatem spero nisi per mortem. Patres Christo aptant qui unus inter mortuos liber ; data potestate ponendi animam, et iterum sumendi eam. Joan. x. 18.

7 « Posuerunt me : » posuisti : Hier. « In umbra mortis : » in profundis : idem.

8 « Fluctus tuos : » calamitates. Vide Psalm. XLI. 8

9 « Posuerunt me..... » posuisti me abominationem eis, clausum et non prodeuntem : Hier. carcere inclusum, nulla spe libertatis.

10 « Inopia : » angustia.

11 « Medici suscitabunt : » an forte mortuum medici suscitabunt, ut rursus te laudet in cœtu piorum ? At Hier. gigantes resurgent : antiquissimi homines ac pridem vita functi ; uno verbo, mortui : manes.

13 « In terra oblivionis : » apud inferos, ubi oblivio : unde etiam poetis ille fluvius Lethe.

15 « Orationem : » animam meam : Hier.

16 « Pauper sum. » Sic Jeremias demersus in lacum : Thren. III. 1. « Ego vir videns paupertatem meam. 2. Me minavit et adduxit in tenebras et non in lucem. Et in laboribus. ... » Talis ille qui « portaverit jugum ab adolescentia. » ibid. 27. « Exaltatus autem, humiliatus sum : » de gloria dejectus ad miseriam.

19 « A miseria : » propter miseriam meam.

PSALMUS LXXXVIII. LUCTUS ET INVOCATIONIS

IN PUBLICA CALAMITATE.

Sedecia capto, domo David e solio deturbata, promissiones Dei irritas videri propheta queritur, necdum adesse Christum. Vide autem promissiones II Reg. VII. 12, etc. I. Par. XXII. 10. item, Psalm. LXXI.

V. S. H. — *Intellectus Ethan Ezrahitæ.*

Misericordias Domini in æternum cantabo : in generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quia dixisti, sempiterna misericordia ædificabitur ; cœlos fundabis, et veritas tua in eis.

Percussi fœdus cum electo meo ; juravi David servo meo :

Usque in æternum stabiliam semen tuum, et ædificabo in generatione et generatione thronum tuum. Semper.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quis enim in nubibus æquabitur Domino : assimilabitur Domino de filiis Dei ?

Deus inclytus in arcano sanctorum nimio, et terribilis in cunctis qui circa eum sunt.

Domine Deus exercituum, quis similis tui, fortissime Domine ? et veritas tua in circuito tuo.

Tu dominaris superbiæ maris, et elationes gurgitum ejus tu comprimis.

Tu confregisti quasi vulneratum,

V. V. — 1. *Intellectus Ethan Ezrahitæ.*

2. Misericordias Domini in æternum cantabo.

In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3. Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis ; præparabitur veritas tua in eis.

4. Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo : 5. Usque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.

6. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino : similis erit Deo in filiis Dei ?

8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum : magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

9. Domine Deus virtutum, quis similis tibi ? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

10. Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

11. Tu humiliasti sicut vulnera-

1 « Ethan Ezrahitæ : » ut Eman in titulo Psalmi præcedentis. Alius autem Ethan, ut et alius Eman. I. Par. II. 6. non tamen Ezrahitæ ; sed longe antiquiores, utpote Zaræ filii, et ipsius Judæ nepotes. Memoratur et alius Ethan Ezrahites vir sapientissimus Salomonis tempore : III. Reg. IV. 31.

3 « In æternum : » sempiterna misericordia ædificabitur. « Cœlis..... » tam firma sunt promissa mea atque ordo cœlorum.

4 « Disposui testamentum : » percussi fœdus cum electo : Hier. id est, Davide et Christo.

6 « Confitebuntur cœli..... in ecclesia sanctorum : » comparat cœlis ecclesiam mirabilia Domini confitentem. Vide Ps. XVIII. 2.

7 « In filiis Dei : » angelis.

8 « In consilio sanctorum : » arcano. Hier. « In circuitu ejus : » angelis scilicet sanctis circumfusis throno ejus.

9 « In circuitu tuo : » tibi adhæret : a te separari nequit.

10 « Potestati maris : » superbiæ : Hier. « Motum..... fluctuum..... » elationes gurgitum.. .. Idem.

11 « Tu humiliasti : » confregisti. « Superbum : Rahab : » Hebr. Ægyptium, antiquum Israelis hostem, qui Rahab dicebatur : sup. LXXXVI. 4. Confregisti autem tempore Mosis, ac recens per Nabuchodonosorem.

superbum : in brachio forti tuo dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra : orbem et plenitudinem ejus tu fundasti.

Aquilonem et austrum tu creasti : Thabor et Hermon nomen tuum laudabunt.

Tuum brachium cum fortitudine, roboretur manus tua, et exaltetur dextera tua.

Justitia et judicium firmamentum throni tui : misericordia et veritas præcedent faciem tuam.

Beatus populus, qui novit jubilum : Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.

In nomine tuo exultabunt tota die ; et in justitia tua exaltabuntur :

Quia gloria fortitudinis eorum tu es, et in voluntate tua elevabis cornu nostrum.

Quia a Domino est protectio nostra, et a sancto Israel rege nostro.

Tunc locutus es per visionem sanctis tuis ; et dixisti : Posui adjutorium super robustum ; et exaltavi electum de populo.

Inveni David servum meum : oleo sancto meo unxi eum.

Cum quo manus mea firma erit, et brachium meum roborabit eum.

Non decipiet inimicus eum, et filius iniquitatis non affliget eum.

Sed concidam ante faciem ejus hostes illius, et qui eum oderunt pereutiam.

Veritas autem mea et misericordia mea erit cum eo ; et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.

tum, superbum : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

12. Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti : 13. Aquilonem et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt : 14. tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua : 15. justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam. 16. Beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, 17. et in nomine tuo exultabunt tota die ; et in justitia tua exaltabuntur.

18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es : et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

19. Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.

20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adjutorium in potente ; et exaltavi electum de plebe mea.

21. Inveni David servum meum : oleo sancto meo unxi eum.

22. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

23. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

24. Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.

25. Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso ; et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

26. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.

13 « Mare : » austrum : Hebr. « Thabor et Hermon : » occidens et oriens, horum montium situ designati : Ch.

15 « Præparatio : » firmamentum : Hier. basis.

16 « Qui scit jubilationem : » verum gaudium, quod est in Deo solo : sive etiam epinicium, atque hymnum triumphalem Deo servatori canendum : Psalm. XLVI. 2. Hoc autem non omnes sciunt, sed qui a Deo accipiunt, ut Deum ipsum, quam suavis sit, gustent.

19 « Domini est assumptio..... » a Domino protectio nostra : Hier. clypeus. Hebr.

20 « Tunc locutus es..... sanctis tuis : » Nathano et Davidi. II. Reg. VII. « Posui adjutorium in potente : » in Davide, qui meo auxilio potens.

22 « Manus enim....., » cum quo manus mea, etc. duo versus ex Hier.

24 « In fugam convertam : » percutiam : Idem.

26 « Ponam in mari : » vid. Ps. LXXI. 8.

Ipse invocabit me, Pater meus es tu : Deus meus, et fortitudo salutis meæ.

Ego autem primogenitum ponam eum, excelsum regibus terræ.

In æternum custodiam ei misericordiam meam; et pactum meum fidele erit ei.

Et ponam perpetuum semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint :

Si cæremonias meas profanaverint, et præcepta mea non custodierint :

Visitabo in virga scelera eorum, et in plagis iniquitates eorum.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo ; nec mentiar in veritate mea.

Non violabo pactum meum ; et quod egressum est de labiis meis non mutabo.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar.

Semen ejus in sempiternum erit ; et thronus ejus sicut sol in conspectu meo.

Sicut luna stabilietur in sempiternum, et testis in cœlo fidelis. Semper.

Tu autem repulisti et projecisti : iratus es adversus Christum tuum.

Attenuasti pactum servi tui : profanasti in terra diadema ejus.

Dissipasti omnes macerias ejus : posuisti munitiones ejus pavorem.

27. Ipse invocabit me : Pater meus es tu : Deus meus, et susceptor salutis meæ.

28. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.

29. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.

30. Et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.

31. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint :

32. Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint :

33. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.

34. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo ; neque nocebo in veritate mea.

35. Neque profanabo testamentum meum ; et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

36. Semel juravi in sancto meo : si David mentiar : 37. semen ejus in æternum manebit.

38. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo ; et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

39. Tu vero repulisti et despexisti : distulisti Christum tuum.

40. Evertisti testamentum servi tui : profanasti in terra sanctuarium ejus.

41. Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.

27 « Susceptor : » petra : Hebr.

30 « Thronum ejus sicut dies cœli. » Vide Ps. LXXI. 5.

32 « Justitias : » cæremonias : Hier.

34 « Neque nocebo : » non mentiar : idem. neque fallam fidem.

36 « In sancto meo ; » per sanctitatem meam. « Si David mentiar : » jurisjurandi formula apud Hebræos.

38 « Testis in cœlo fidelis : stabilitate cursus, sui conditoris testatur potentiam et constantiam.

39 « Tu vero : » tanta pollicitus : « repulisti et despexisti : » quem tot oraculis commendaveras. » Distulisti Christum tuum : » adventum ejus in longissima tempora distulisti. Iratus es adversus Christum tuum : Hier. adversus Sedeciam, Davidis filium et hæredem.

40 « Sanctuarium : » diadema. Idem.

41 « Sepes : » macerias : Idem. arces, urbium mœnia. Comparatione ducta a vineis fossa muroque tectis. « Firmamentum .... » munitiones..... Idem. Quæ cum tutelæ essent, nunc sunt formidini, postquam excisæ sunt.

Diripuerunt eum omnes qui transeunt per viam : factus est opprobrium vicinis suis.

Elevasti dexteram hostium ejus : lætificasti omnes inimicos illius.

Avertisti robur gladii ejus, et non sublevasti eum in prælio.

Quiescere fecisti munditiam ejus, et thronum illius in terra detraxisti.

Abbreviasti dies adolescentiæ ejus; operuisti eum ignominia. Semper.

Usquequo, Domine, absconderis in finem? succenditur quasi ignis indignatio tua?

Memento mei de profundo : alioquin quare frustra creasti filios hominum?

Quis est vir qui vivat, et non videat mortem, salvans animam suam de manu inferi? Semper.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua?

Recordare, Domine, opprobrii servorum tuorum; quia portavi in sinu meo omnes iniquitates populorum.

Quas exprobraverunt inimici tui, Domine : quibus exprobraverunt vestigia Christi tui.

Benedictus Dominus in sempiternum, amen, amen.

42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.

43. Exaltasti dexteram deprimentium eum : lætificasti omnes inimicos ejus.

44. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.

45. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.

46. Minorasti dies temporis ejus; perfudisti eum confusione.

47. Usquequo, Domine, avertis in finem : exardescet sicut ignis ira tua?

48. Memorare quæ mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

49. Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferi?

50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua?

51. Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

52. Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

53. Benedictus Dominus in æternum : fiat, fiat.

44 « Adjutorium gladii : » robur gladii ejus : Hier. ensis aciem retudisti.

45 « Destruxisti : » quiescere (id est, cessare) fecisti munditiam ejus : Hier. qui olim splendidus ac nitidus, nunc fœdus et ignobilis.

46 « Minorasti : » abbreviasti, etc. Idem. Fecisti ut ante tempus Sedecias malorum tædio senesceret. Erat enim triginta tantum et duos annos natus, cum captivus abductus est. IV. Reg. XXIV. 18. Vide autem miseriarum gradus in rege, detracto diademate, eversis arcibus, retuso gladio, alliso ipso solio, omnibus, quæ decori tutelæque essent, translatis ad hostem, postremo nulla gloria, majestate nulla.

47 « Avertis in finem : » absconderis : Hier. aversa facie.

48 « Quæ mea substantia : » quantuli ævi ego sim : Hebr. ut tam brevem vitam tot calamitatibus obruas. Sic Ps. CI. 24.

51 « Memor esto..... opprobrii .... multarum gentium : » a tot gentibus illati nobis servis tuis. « Quod (opprobrium) continui in sine meo : » cum ne queri quidem liceret.

52 « Commutationem Christi tui : » commutata promissa de Christo venturo. At Hier. exprobraverunt vestigia Christi tui : tarditatem vestigiorum Christi tui. Chald. Irridebant nos quod non adveniret expectatus ille liberator, sive Cyrus, sive potius Christus de semine Davidis, regno ejus instaurando, et in æternum firmando.

PSALMORUM

LIBER IV

SECUNDUM HEBRÆOS, USQUE AD PS. CVI.

PSALMUS LXXXIX. MORALIS.

De miseriis et brevitate vitæ : quæ consideratio maxime congruebat populo sub Mose laboranti in deserto; cum in malis pars solatii sit, intueri quam tota vita humana nihil nisi calamitas sit, neque quidquam spei supersit, nisi in Deo.

V. S. H. — *Oratio Moysi viri Dei.*

Domine, habitaculum tu factus es nobis, in generatione et generatione.

Antequam montes nascerentur, et parturiretur terra, et orbis; a seculo, et usque in seculum tu es Deus.

Convertens hominem usque ad contritionem, et dicens : Revertimini, filii Adam.

Quia mille anni in oculis tuis sicut dies hesterna, quæ pertransiit, et vigila nocturna.

V. V. — 1. *Oratio Moysi hominis Dei.*

Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus.

3. Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti : Convertimini, filii hominum.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit,

1 « Oratio Moysi. » Nihil videmus cur hunc titulum non sumamus ad litteram. Certe magnus ille Athanasius nihil hæsitavit. « Vis, » inquit, « audire Mosen ? habes Psalmum LXXXIX. » Epistol. ad Marcell. Hieronymus quoque ita sensit, atque ipso teste, omnium antiquissimus Origenes. Quidam tamen patres non admittunt, quod hujus Cantici Mosis nulla in Scripturis mentio. Atqui nulla etiam Scriptura docet sancti Job historiam a Mose conscriptam : neque id prohibuit, quominus a plerisque Mosi tribuatur. Quod de hoc Cantico longe est æquius, favente titulo. « Refugium : » habitaculum : Hier. Deus enim in nobis et nos in Deo, ut passim Scriptura docet. De primis Psalmi versibus Comm. Hier. « Narraturus tristia, et genus deploraturus humanum, a laudibus Dei incipit : ut quidquid postea homini accidit adversorum, non Creatoris duritia, sed ejus qui creatus est culpa, accidisse videatur. » (Vide Ep. ad Cypr. Op. S. Hier. t. 2.)

3 « Ne avertas..... » convertens hominem ad contritionem : Hier. comminuens, et reducens ad pulverem. « Et dixisti : Convertimini : » et dicens : Revertimini, filii Adam : Hier. contritum et comminutum ex pulvere jussu tuo exsuscitas. Sic Ps. CIII. 29, 30.

4 « Quæ præteriit : » mille anni non tantum sicut una dies; sed tanquam dies quæ præteriit. Quod enim tam rapide effluit, ita considerandum, tanquam jam effluxerit. « Custodia : » vigilia noctis. Hier. Noctem per vigilias quatuor dividebant. Sensus ergo est : Quid est vita nostra ? fac nos vivere mingentos eosque amplius annos, ut Adam et prisci patriarchæ, tot ad nabe annos vitam protrahi : mille anni dies unus, isque prope jam elapsus : quid autem dico, dies unus ? imo pars exigua noctis.

Percutiente te eos, ut somnium erunt : mane quasi herba pertransiens.

Mane floruit et abiit : ad vesperum conteretur, atque siccabitur.

Consumpti enim sumus in furore tuo, et in indignatione tua conturbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras coram te : negligentias nostras in luce vultus tui.

Omnes enim dies nostri transierunt in furore tuo, consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens.

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis : si autem multum, octoginta anni, et quod amplius, labor et dolor : quoniam transibimus, cito, et avolabimus.

Quis novit fortitudinem iræ tuæ, et secundum timorem tuum indignationem tuam?

Et custodia in nocte, 5. quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat ; vespere decidat, induret, et arescat.

7. Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.

8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt ; et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : 10. dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.

11. Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam 12. dinumerare?

5 « Quæ pro nihilo habentur..... » tota vita humana nihil. At Hier. percutiente te eos, somnium erunt. Inundasti eos ; somnus erunt. Hebr. Fluvii instar exundantis abripuisti eos, et fugerunt ab oculis velut somnium ; somno citius dissipati sunt.

6 « Mane sicut herba transeat : » totus versus ex Hier. « Decidat : » deest Hebr. « Mane : » ne integro quidem die floremus : in ipso initio tabescimus.

7 « Quia defecimus in ira tua : » jam ad causam tot malorum convertitur ; nempe ad iram Dei tot sceleribus concitatam ; cumque genus humanum jam inde ab initio miseriæ addictum sit, hinc patet quam gravis ira Dei pridem nobis incumbat, inter ipsa initia admisso peccato.

8 « Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : » instar judicis ad certam quamdam causam animum advertentis, ac reum statim punituri. « Iniquitates » autem : occulta : Hebr. negligentias : Hier. vertit alibi : errores, ignorantias. In interpret. hujus Ps. Ep. ad Cyp. Sensus est : ex anteacta et tam rapide elapsa vita, hoc unum reliqui, peccata multa scilicet, et justi supplicii meritum.

9 « Quoniam omnes..... » omnes enim, etc. quasi sermonem loquens : ex Hier. hoc est, anni nostri dicto citius transierunt : imo cogitatione citius : sermo enim etiam de cogitatione sumitur. « Sicut aranea..... » deest Hebr. Pro sermone loquentis, 70. meditationem aranea transtulerunt. Quomodo enim loquentis sermo prætervolat, ita opus araneæ incassum texitur. « Telas araneæ texuerunt. » (Isa. LIX. 5.) Comm. Hier.

10 « Dies annorum nostrorum in ipsis : » id est, in diebus annorum nostrorum sunt « septuaginta anni : » hæc vitæ nostræ summa. « Si autem in potentatibus : » si autem multum, etc. Hier. id est, quod excedit septuaginta annos, vix in vita numerandum ; tanta infirmitas est, sint ad summum octoginta fere anni ; quod amplius, non vita, sed labor dolorque est. Alii ex Hebr. « Dies annorum nostrorum septuaginta anni : » si autem in vigore sit aliquis, si firmiore utatur valetudine, « octoginta anni, etc. Supervenit mansuetudo..... » ipsa benignitas Dei vitæ spatium prorogantis nobis probro ac reprehensioni vertet, postquam tempore ad pœnitentiam dato, ad peccandum abutimur. At Hier. transibimus cito, etc. resecamur et avolamus. Hebr. Sicut aves resecto filo, sic vita nostra avolat : vel, fili instar, vita nostra succiditur, evanescit.

11 « Quis novit potestatem..... et præ timore tuo iram tuam dinumerare : » quis valeat ita te timere, ac dignus es ; tantique quanti est, æstimare iram tuam ? Hier. vero, 70 et Theodor. « dinumerare » ad sequentem versum referunt : sic.

12 « Dinumerare dexteram tuam sic notam fac..... » ut enumerentur dies nostri sic ostende, et veniemus corde sapienti : Hier. Ostenso nobis a te vitæ nostræ spatio, erimus cautiores.

Ut numerentur dies nostri sic ostende, et veniemus corde sapienti.

Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.

Revertere, Domine : usquequo ? et exorabilis esto super servos tuos.

13. Convertere, Domine, usquèquo? et deprecabilis esto super servos tuos.

Imple nos matutina misericordia tua ; et laudabimus, et lætabimur in cunctis diebus nostris.

14. Repleti sumus mane misericordia tua, et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, et annis quibus vidimus mala.

15. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti ; annis quibus vidimus mala.

Appareat apud servos tuos opus tuum, et gloria tua super filios eorum.

16. Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum.

Et sit decor Domini Dei nostri super nos : et opus manuum nostrarum fac stabile super nos, et opus manuum nostrarum confirma.

17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

PSALMUS XC. CONSOLATORIUS.

Vir bonus, Deoque confisus, ab omni periculo tutus. Videtur etiam esse Mosis. Potest enim convenire populo in deserto laboranti, et Dei præsidio indigenti. Sine titulo in Hebræo.

V. S. H. — *Psalmus.*

Qui habitat in abscondito Excelsi, in umbraculo Domini commorabitur.

Dicens Domino, Spes mea, et fortitudo mea : Deus meus, confidam in eo.

Quia ipse liberabit te de laqueo venantium, de morte insidiarum.

In scapulis suis obumbrabit tibi, et sub alis ejus sperabis : scutum et protectio veritas ejus.

Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem ;

V. V. — *Laus Cantici David.*

1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

2. Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum.

3. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.

4. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.

5. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno ;

13 « Usquequo ? » supp. non reverteris.

14 « Repleti sumus..... » imple nos matutina, etc. Hier. Notat etiam Theodor. tempus esse mutatum a 70 : matutina autem misericordia est prompta grataque, ut matutinæ horæ post noctem.

15 « Lætati sumus. ... » lætifica nos, etc. Hier. Pro malis bona retribue.

16 « Respice..... » appareat, etc. Hier. id est, appareat servis tuis. « Dirige filios..... » gloria tua, etc. Idem. Ostende vim et gloriam tuam in liberandis servis tuis, eorumque familia tot malis eruenda.

17 « Dirige : » confirma ; fac stabile : Hier.

1 « In adjutorio : » in abscondito : Hier. in loco inaccesso et tuto.

3 « Liberavit me : » liberabit te. Idem. « A verbo aspero : » de morte insidiarum : Hier. de insidiis mortiferis.

A peste in tenebris ambulante, a morsu insanientis meridie.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis videbis, et ultionem impiorum cernes.

Tu enim es, Domine, spes mea: Excelsum posuisti habitaculum tuum.

Non accedet ad te malum, et lepra non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quia angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te; ne forte offendat ad lapidem pes tuus.

Super aspidem et basiliscum calcabis: conculcabis leonem et draconem.

Quoniam mihi adhæsit, et liberabo eum: exaltabo eum, quoniam cognovit nomen meum.

Invocabit me, et exaudiam eum, cum ipso ero in tribulatione: eruam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum implebo eum, et ostendam illi salutare meum.

6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.

7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

8. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.

9. Quoniam tu es, Domine, spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

10. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

11. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

12. In manibus portabunt te; ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

13. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

16. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.

PSALMUS XCI. MORALIS.

Die sabbati, in meditatione operum et consiliorum Dei propheta acquiescit, ejusque magnitudine lætatur, malos dissipantis, bonos tuentis.

V. S. H. — *Psalmus Cantici, in die sabbati.*

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime;

V. V. — 1. *Psalmus Cantici, in die sabbati.*

2. Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime;

6 « Negotio: » peste. Idem. Pestis autem pro pernicie sumitur. « Ab incursu..... » a morsu insanientium meridie. Idem. id est, serpentium æstu rabidorum. Attende autem ad periculorum egregiam enumerationem: non timebis nocturnos casus: non vim apertam interdiu: non insidias et machinationes occultas: non æstum intolerabilem et irritantem angues: a quibus omnibus Israelitæ liberati sunt. Pro anguibus meridie furentibus 70. vertunt dæmonium meridianum, quod Theodor. interpretatur dæmonem incitantem libidines, post satietatem aut sumptuosas epulas.

7 « Ad te autem non appropinquabit: » supple, interitus; in medio pereuntium Deus te præstabit incolumem.

9 « Tu es, Domine, spes mea: » supp. Quoniam dixisti: tu, Domine, spes mea: hoc est, quia in Deo spem reponis omnem. « Altissimum: » Deum: « Posuisti, » etc.

10 « Flagellum: » plaga: Hebr.

11 « Angelis suis..... » Sic Exod. XXIII. 20, 23. « Mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, » etc.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et fidem tuam in nocte,

In decachordo et in psalterio, in cantico et cithara.

Quoniam lætificasti me, Domine, in opere tuo : in facturis manuum tuarum laudabo.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! satis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget istud.

Germinaverunt impii quasi fœnum, et floruerunt omnes qui operantur iniquitatem, ut conterantur usque in sempiternum.

Tu autem Excelsus in æternum, Domine.

Ecce enim inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt : et dissipabuntur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur quasi monocerotis cornu meum : et senectus mea in oleo uberi.

Et respiciet oculus meus eos qui insidiantur mihi : de his qui consurgunt adversum me malignantibus audiet auris mea.

Justus ut palma florebit ; ut cedrus in Libano multiplicabitur.

Transplantati in domo Domini, in atriis Dei nostri germinabunt.

Adhuc fructificabunt in senectute : pingues et frondentes erunt.

Annuntiantes quia rectus Dominus : fortitudo mea, et non est iniquitas in eo.

3. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem,

4. In decachordo, psalterio, cum cantico, in cithara.

5. Quia delectasti me, Domine, in factura tua : et in operibus manuum tuarum exultabo.

6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

7. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.

8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum; et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem :

Ut intereant in seculum seculi.

9. Tu autem Altissimus in æternum, Domine.

10. Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt : et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum : et senectus mea in misericordia uberi.

12. Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

13. Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur.

14. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et bene patientes erunt, 16. ut annuntient :

Quoniam rectus Dominus Deus noster ; et non est iniquitas in eo.

4 « Cum cantico : » super « Higghaion : » Hebr. Vide Ps. IX. 17. Hic autem patet musicum esse instrumentum.

11 « In misericordia : » oleo : Hier. *en elaió*, pro quo scribæ reposuisse videntur, *eleó*, misericordia. Sensus est : delibutus sum oleo virente, recente; unguentis perfusus, quod lætitiæ signum; vel ut vertit Symmachus apud Theodor. senectus mea ut oliva florens : vis mea revirescet tanquam in ætatis flore.

12 « Despexit oculus.... » respiciet eos qui insidiantur : Hier. eorum insidiæ detegentur. « In insurgentibus : » de his qui consurgunt, etc. Hier. « Audiet.... » supple vindictam divinam : videbo detectas insidias, et corruentes inimicos : excidium eorum audiam.

15 « Multiplicabuntur : » fructificabunt, etc. Totus versus ex Hier. quem confer cum v. 11 « Bene patientes erunt : » patientia ipsis bono vertet.

16 « Ut annuntient..... » Refer ad sequentia cum Hier.

PSALMUS XCII. LAUDIS.

Per mundi structuram Deo laus, legi fides, templo sanctitas constat. Sine titulo in Hebræo.

V. S. H.

Dominus regnavit, gloria indutus est: indutus est Dominus fortitudine, et accinctus est: insuper appendit orbem, qui non commovebitur.

Firmum solium tuum ex tunc: ab æterno tu es.

Levaverunt flumina, Domine, levaverunt flumina voces suas: levaverunt flumina gurgites suos.

A vocibus aquarum multarum grandes fluctus maris: grandis in excelso Dominus.

Testimonia tua fidelia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitas, Domine, in longitudine dierum.

V. V. — *Laus Cantici ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra.*

1. Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

2. Parata sedes tua ex tunc: a seculo tu es.

3. Elevaverunt flumina, Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos,

4. A vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.

5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo, Domine in longitudinem dierum.

PSALMUS XCIII. MORALIS ET INCREPATORIUS.

Contra violentos et oppressores, præsertim judices. Vide Ps. LXXXI. Sine titulo in Hebræo.

V. S. H.

Deus ultionum, Domine: Deus ultionum ostendere.

Elevare qui judicas terram: redde vicissitudinem superbis.

Usquequo impii, Domine; usquequo impii exultabunt?

Fluent loquentes antiquum: garrient omnes qui operantur iniquitatem?

V. V. — *Psalmus ipsi David, Quarta sabbati.*

1. Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

2. Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis.

3. Usquequo peccatores, Domine; usquequo peccatores gloriabuntur?

4. Effabuntur, et loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

2 « Ex tunc: » a principio: ante orbem conditum.

3 « Elevaverunt flumina..... » Terræ fundatæ aquas superfudit copia et fragore mirabili.

4 « A vocibus: » propter strepitum. « Mirabilis in altis Dominus: » in cœlo, super nubes Mare mirabiliter intumescit; longe mirabilior Deus ille excelsus in altitudine consiliorum suorum, quibus nec mare profundius aut vastius.

5 « Testimonia tua: » lex tua: mandata tua. « Credibilia: » tot firmata miraculis, tanta multitudine ac fide testium, tanta temporum rerumque omnium consensione; denique tam incorrupta morum regulta cultusque sanctitate. Pro quo Hier. fidelia: veridica: « fidelia » enim « omnia mandata ejus; facta in veritate et æquitate, » Ps. CX. 8. quod eodem recidit.

1 « Libere egit: « Hier. Ostendere; appare, o Deus scelerum ultor; tempus est ut appareat potentia tua, dum impii in plebem tuam grassantur.

4 « Effabuntur... » effutient, et loquentur grandia garrientes: Hebr.

Populum tuum, Domine, conterent, et hæreditatem tuam affligent.

Viduam et advenam interficient, et pupillos occident.

Et dixerunt : Non videbit Dominus, et non intelliget Deus Jacob.

Intelligite stulti in populo, et insipientes aliquando discite.

Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum non videbit ?

Qui erudit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam ?

Dominus novit cogitationes hominum : quia vanæ sunt.

Beatus vir quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum :

Ut quiescat a diebus afflictionis : donec fodiatur impio interitus.

Non enim derelinquet Dominus populum suum, et hæreditatem suam non deseret.

Quoniam ad justitiam revertetur judicium, et sequentur illud omnes recti corde.

Quis stabit pro me adversum malos ? quis stabit pro me adversum operarios iniquitatis ?

Nisi quia Dominus auxiliator meus : paulominus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam : Motus est pes meus : misericordia tua, Domine, sustentabat me.

In multitudine cogitationum mearum, quæ sunt in me intrinsecus ; consolationes tuæ delectabunt animam meam.

5. Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt.

6. Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt.

7. Et dixerunt : Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.

8. Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite.

9. Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ?

10. Qui corripit gentes, non arguet : qui docet hominem scientiam ?

11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

12. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum :

13. Ut mitiges ei a diebus malis ; donec fodiatur peccatori fovea.

14. Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet.

15. Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?

17. Nisi quia Dominus adjuvit me : paulominus habitasset in inferno anima mea.

18. Si dicebam : Motus est pes meus : misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

9 « Qui plantavit aurem, non audiet ? » Præclare Hier. Comm. in hunc Psalmum : « Iste locus adversus eos maxime facit, qui anthropomorphitæ sunt : qui dicunt Deum habere membra quæ etiam nos habemus... et humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. » Et paulo post : « Videte quid dicat : Qui plantavit aurem, non audiet ? non dixit : Qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet ? non dixit : ergo ipse oculos non habet ? sed quid dixit ? Qui plantavit aurem, non audiet ? et qui finxit oculos, non considerat ? membra tulit, efficientias dedit. » Quem locum Augustinus exscripsit, atque Hieronymo tribuit. Epist. ad Fortunatian. olim. III. nunc 148. n. 14.

13 « Mitiges : » quiescat, etc. Hier. quietem ei præstes : Hebr.

15 « Quoadusque justitia... » quoadusque justitia ipsa judicium exerceat, ac judicia justa sint. « Et qui juxta... » et sequentur illud (judicium) omnes recti corde : Hier.

17 « Paulominus... » propemodum in silentio habitassem : Hebr. cessassem in tumulo ; morte extinctus essem.

18 « Si dicebam : Motus est pes meus... » Statim atque agnovi, ac tibi exposui, Deus, mutare omnia circum, ac nihil esse firmi, tulisti opem labanti.

19 « Secundum multitudinem... » in multitudine cogitationum... Hier. Quanta fuit anxietas cogitationum mearum, tantæ consolationes tuæ.

Numquid particeps erit tui thronus insidiarum, fingens laborem in præcepto?

Copulabuntur adversum animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.

Erit autem mihi Dominus in refugium, et Deus meus quasi petra spei meæ.

Et restituet super eos iniquitatem suam, et in malitia sua perdet eos : perdet eos Dominus Deus noster.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?

21. Captabunt animam justi, et sanguinem innocentem condamnabunt.

22. Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dominus Deus noster.

PSALMUS XCIV. LAUDIS ET ADORATIONIS.

Invitat ad Dei laudes et cultum; novam ejus vocem in Testamento novo, novamque requiem pollicetur, a qua contumaces arcet. v. 8, 11. Davidi tribuitur: Heb. IV. 7. In Hebræo autem nullus est titulus.

V. S. II.

Venite, laudemus Dominum : jubilemus petræ Jesu nostro.

Præoccupemus vultum ejus in actione gratiarum: in canticis jubilemus ei.

Quoniam fortis et magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.

In cujus manu fundamenta terræ, et excelsa montium ipsius sunt.

Cujus est mare; ipse enim fecit illud, et siccam manus ejus plasmaverunt.

Venite, adoremus et curvemur : flectamus genua ante faciem Domini factoris nostri.

Quia ipse est Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et grex manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis,

Nolite indurare corda vestra, sicut in contradictione; sicut in die tentationis in deserto;

V. V. — *Laus Cantici ipsi David.*

1. Venite, exultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro.

2. Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

3. Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.

4. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt.

5. Quoniam ipsius est mare; et ipse fecit illud : et siccam manus ejus formaverunt.

6. Venite, adoremus et procidamus; et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

7. Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.

8. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;

20 « Numquid adhæret tibi... » numquid particeps erit tui... Hier. ad Deum loquitur : an sociabitur tibi sedes insidiatrix judicis, injusta legis prætextu decernentis?

21 « Captabunt... » copulabuntur... Hier. nempe mali judices. « In animam justi : » consentient ad opprimendum justum.

4 « Fines terræ : » fundamenta : Hier.

5 « Siccam : » sive aridam, terram.

6 « Ploremus : » flectamus genua : Idem.

7 « Oves manus ejus : » ab illo pastore deductæ ad pascua.

8 « Hodie si vocem.... De hoc v. et sequentibus, deque ipso « hodie » et requie consecuta, a qua increduli arcebuntur, post versum 10. dicemus ex Paulo, Hebr. III. 7, 13, IV, 3. cum seq. Nunc verba Psalmi exequemur.

Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt me, et viderunt opus meum.

Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa, et dixi: Populus errans corde est, et non cognoscens vias meas.

Quibus juravi in furore meo, ut non introirent in requiem meam.

9. Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.

10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper hi errant corde;

11. Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

PSALMUS XCV. EUCHARISTICUS ET PROPHETICUS.

Illata in Sion arca cantatus; in secundi templi dedicatione repetitus; Dei majestatem prædicat, regnaturi super gentes, orbem judicaturi. Titulo caret, in Heb. tamen Davidis est: est enim unus ex Psalmis qui, cum a Davide arca in Sion translata est, cantatus esse memoratur, referturque, I. Par. XVI. 1, 23, etc. eadem rerum summa quæ hic visitur: nonnihil diversis vocibus, quas inter se conferre erit operæ pretium ad intelligendas veteres lectiones.

V. S. B.

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

Narrate in gentibus gloriam ejus, in universis populis mirabilia ejus.

Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Omnes enim dii populorum sculpsilia: Dominus autem cœlos fecit.

V. V. — *Canticum ipsi David*, 1. *quando domus ædificabatur post captivitatem.* (I. Par. XVI.)

1. Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

3. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

4. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

9 « Sicut in irritatione..., » sicut in Meriba secundum diem Massa: Hebr. Loca nota Hebræis, dicta ab irritatione et tentatione, ubi deficientibus aquis, plebs murmurat in Moysen, et perit in deserto. Vide Exod. XVII. 2, 7. Num. XIV. « Probaverunt.... opera mea: » experti sunt quantum in benefaciendo et ulciscendo possem.

10 « Quadraginta annis: » Paulus. Hebr. III. 9, 10. refert ad superiora, et hic distinguit: « propterea offensus fui, » etc. In invitatorio legimus: « proximus fui: » præsente vindicta. Sensus autem hujus loci ex Paulo sic concinnandus: nempe requiem a Deo Israelitis esse promissam in terra Chananæa: omnes tamen interim id deserto cecidisse hac requie frustratos: quare Spiritum sanctum per Davidem ad novam requiem invitasse; ad novum illud sabbatum ab ipso mundi exordio diei septimæ requie figuratum, novumque indixisse diem quo, sub Christo, in Ecclesia, ac cœlesti patria quiesceremus, nisi essemus increduli: unde sic concludit Paulus: « Festinemus ingredi in illam requiem. » Hebr. IV. XI.

1 — 2 « Cantate Domino canticum novum: » in nova celebritate. « Omnis terra: » prophetice de vocatione gentium. Canticum enim vetus in una, eaque angusta regione Judæa canitur: at canticum novi testamenti, ad universam terram pertinet. Chrys. Ex primis duobus versibus id tantum habetur in Par. « Cantate Domino omnis terra, annuntiate de die in diem salutare ejus.

5 « Dæmonia: » idola: sculpsilia: Hier. et sic Vulgata vertit in Par. eodem utrobique vocabulo. Recte etiam dæmonia vertitur. « Quæ enim gentes immolant, dæmoniis immolant et non Deo. » I. Cor. X. 20.

Gloria et decor ante vultum ejus : fortitudo et exultatio in sanctuario ejus.

Afferte Domino familiæ populorum, afferte Domino gloriam et fortitudinem.

Afferte Domino gloriam nomini ejus : levate munera, et introite in atria ejus.

Adorate Dominum in decore sanctuarii : paveat a facie ejus omnis terra.

Dicite in gentibus, Dominus regnavit ; siquidem appendit orbem immobilem : judicabit populos in æquitate.

Lætamini, cœli, et exultet terra : tonet mare et plenitudo ejus.

Gaudeat ager, et omnia quæ in eo sunt : tunc laudabunt universa ligna saltus ;

Ante faciem Domini quoniam venit, quoniam venit judicare terram : judicabit orbem in justo, et populos in fide sua.

6. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

7. Afferte Domino patriæ gentium ; afferte Domino gloriam et honorem : 8. afferte Domino gloriam nomini ejus,

Tollite hostias, et introite in atria ejus : 9. adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra. 10. Dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

11. Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus : 12. gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum 13. a facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.

Ultimus versus deest in Par.

PSALMUS XCVI. LAUDIS.

Ostendit potentiam Dei, et vanitatem idolorum : canitque victorias de gentibus reportatas : de quibus vide tit. Psalm. LIX.

V. S. H.

Dominus regnavit, exultet terra : lætabuntur insulæ multæ.

V. V. — *Huic David*, 1. *quando terra ejus restitula est.*

Dominus regnavit, exultet terra : lætentur insulæ multæ.

6 « Confessio et pulchritudo .. » gloria et decor. Hier. « Sanctimonia et magnificentia.. fortitudo et gaudium in loco ejus : id est, in sanctuario ; ut vertit Hier.

7 » Patriæ gentium · » familiæ populorum : sicut ipsa Vulgata vertit in Par. et hic Hier. *ai patriai*, 70. « Honorem : » fortitudinem ; Hier. Par. imperium ; alio vocabulo quod etiam vim sonat.

8 « Tollite hostias : » levate numera ; Hier. vel ut in Par. levate sacrificium : noto offerendi ritu, levata pro more hostia. « Introite in atria ejus ; » venite in conspectu ejus. Par.

9 « In atrio sancto : » quod in Par. vertitur ; in decore sancto ; in decore sanctuarii. Hier. in ipso sanctuario, quod decus passim vocatur, ut sæpe vidimus.

10 « Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. » In Par. deest hoc loco ; habetur ℣ seq. Addunt multi ex antiquis Patribus, et hymnus (Vexilla) quem hodie canimus : « a ligno : » quod nunc ubique deest. « Etenim correxit... » quod in Par. vertitur planius : ipse enim fundavit orbem immobilem : elegantius Hier. appendit orbem immobilem.

11 « Commoveatur mare : » tonet ; ut est hic apud Hier. et in versione Par. « Et plenitudo ejus : » omnes ejus abyssi.

1 « Quando terra ejus restituta est : » Deest Hier. Posset accommodari Davidi ab exilio reduci, ac jure suo regnanti post Saulem : aut restituto regno, post Absalomi perduellionem. « Dominus regnavit, exultet terra ; » at infra : « Dominus regnavit, irascantur populi : » Ps. XCVIII. 1. Utrumque regnante Deo, exultatio piis, malis perturbatio et tremor : quæ divinus vates separatim sibi consideranda proponit. « Insulæ multæ : » his designari solent populi longinque passim in Scripturis, illi præsertim qui a Judæa mari mediterraneo dirimuntur.

Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium firmamentum solii ejus.

Ignis ante faciem ejus ibit, et exuret per circuitum hostes ejus.

Apparuerunt fulgura ejus orbi : vidit, et contremuit terra.

Montes sicut cera tabefacti sunt a facie Domini ; a facie dominatoris omnis terræ.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur universi qui serviunt sculptili, qui gloriantur in idolis : adorate eum, omnes dii.

Audivit, et lætata est Sion : et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

Tu enim Dominus excelsus super omnem terram : vehementer elevatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit animas sanctorum suorum : de manu impiorum eruet eos.

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino, et confitemini memoriæ sanctæ ejus.

2. Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, et commota est terra.

5. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini omnis terra.

6. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

7. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes angeli ejus.

8. Audivit, et lætata est Sion :

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

9. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.

10. Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum ; de manu peccatoris liberabit eos.

11. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

12. Lætamini, justi, in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

PSALMUS XCVII. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Post ingentes victorias de gentibus reportatas, populus liberatori et vindici Deo gratias agit. Vocationem quoque gentium, et Christi revelationem sperat.

V. S. H. — *Psalmus.*

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare

V. V. — 1. *Psalmus ipsi David.*

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

2. Notum fecit Dominus salutare

2 « Nubes et caligo.., — 3 Ignis ante ipsum.., — 4 Illuxerunt fulgura.., » nubes, ignis, fugura : ut in Sinai. « Correctio : » seu constitutio *catorthôsis*, 70. firmamentum : Hier.

5 « Omnis terra . » omnis terræ, 70. *pasês tês gês*, genitivo casu.

12 « Memoriæ sanctificationis : » memoriæ sanctæ ejus : Hier. id est, laudatæ ante tabernaculum, quod ejus memoriale est.

1 « Salvabit sibi : » salvum fecit eum dextera sua : propria virtute tutus et victor est : quod est pugnantis, et victoriam reportantis. Nota autem Deum sibi pugnare, se tueri, cum populum propugnat et tuetur.

suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël : viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra : vociferamini, et laudate, et canite.

Canite Domino in cithara : in cithara et voce carminis.

In tubis et clangore buccinæ : jubilate coram rege Domino.

Tonet mare et plenitudo ejus : orbis et habitatores ejus.

Flumina plaudent manu : simul montes laudabunt

Ante Dominum ; quia venit judicare terram : judicabit orbem in justitia, et populos in æquitatibus.

suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

3. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

4. Jubilate Deo, omnis terra : cantate, et exultate, et psallite.

5. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, 6. in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu regis Domini. 7. Moveatur mare, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo.

8. Flumina plaudent manu ; simul montes exultabunt 9. a conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

PSALMUS XCVIII. LAUDIS.

Maxime congruit arcæ in Sion translatæ, v. 1, 2, 5. et Christo super populos regnanti. Deest titulus in Hebræo.

V. S. H.

Dominus regnavit, commoveantur populi : sessor Cherubim, concutiatur terra.

Dominus in Sion magnus, et excelsus est super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, terribili, sanctoque.

Imperium regis judicium diligit. Tu fundasti æquitates : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus ; quia sanctus est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum, et ipse exaudivit eos.

V. V. — 1. *Psalmus ipsi David.*

Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

2. Dominus in Sion magnus : et excelsus super omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno : quoniam terribile, et sanctum est, 4. et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

5. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus ; quoniam sanctum est.

6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dominum, et ipse

6 « Tubis ductilibus : » tubis classicis. « Corneæ, » deest Hier.

7 « Irascantur : » commoveantur : Hier. contremiscant. Vide Psalm. XCVI. 1.

4 « Honor regis : » Dei. Imperium regis : Hier. Robur regis : Aquila : quo sensu apud Homerum, vis Herculea, robur Alcinoi : hoc est sine dubio, ipse rex recto judicio delectatur : quod ad felicitatem regii imperii spectat. « Parasti directiones : » fundasti æquitates : Hier.

5 « Scabellum pedum : » arcam. Sic Psalm. CXXXI. 7. Noti omnibus loci Ambrosii et Augustini, ubi scabellum Domini interpretantur carnem Christi in mysteriis adoratam. Aug. in hunc Psalm. n. 9. Amb. de Spir. sancto : cap. XI. n. 76. et seq.

6 « In sacerdotibus : » Moses rebus sacris præfuit æque ac profanis. Sacerdotale étiam gessit officium, cum Aaronem consecravit, et pro eo sacrificium obtulit

In columna nubis loquebatur ad eos : custodierunt testimonia ejus, et præceptum quod dedit eis.

Domine Deus noster, tu exaudisti eos : Domine, propitius fuisti eis, et ultor super commutationibus eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus; quia sanctus Dominus Deus noster.

exaudiebat eos : 7. in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.

8. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

9. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus; quoniam sanctus Dominus Deus noster.

PSALMUS XCIX. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Dei majestatem, bonitatem, fidem, domum ejus ingressuri canunt.

v. s. h. — *Psalmus in Confessione.*

Jubilate Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia : ingredimini coram eo in laude.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et ipsius sumus : populus ejus, et grex pascuæ ejus,

Ingredimini portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude : confitemini ei, benedicite nomini ejus.

Quia bonus Dominus, in sempiternum misericordia ejus, et usque ad generationem et generationem fides ejus.

v. v. — 1. *Psalmus in Confessione.*

2. Jubilate Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, 4. introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.

Laudate nomen ejus : 5. quoniam suavis est Dominus; in æternum misericordia ejus; et usque in generationem et generationem veritas ejus.

PSALMUS C. MORALIS.

Vitæ innocentia, modestiaque et integritas boni principis adsciscentis bonos, malos coercentis. Confer cum Ps. CXXX. ut habeas ex Davide optimi et sanctissimi regis exemplum. Vide autem, bonus princeps quos amicos et convivas, quos familiares, quos rerum administros, quos denique adversarios habeat.

v. s. h. — *Psalmus David.*

Misericordiam et judicium cantabo; tibi, Domine, psallam.

v. v — 1. *Psalmus ipsi David.*

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine :

7 « In columna nubis... ad eos : » Mosen et Aaron. Exod. XIII. 21.

8 « Adinventionibus eorum : » injurias eorum : Symm. apud Theodor. Ulciscens molimina populi adversus Moysen et Aaron.

3 « Et non ipsi nos : » et ipsius sumus : Hier. Orta varietas ex varietate vocis Hebraeae lo per vau, vel per aleph.

5 « Suavis : » bonus : Heb. ita passim.

1 « Misericordiam et judicium.... » Sic distinguit Hier. misericordiam et judicium cantabo : tibi, Domine, psallam. Ipsam misericordiam, ipsam justitiam cantabo; quod est vere Deo psallere, cujus opera omnia his duobus continentur.

Erudiar in via perfecta quando venies ad me : ambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meæ.

Non ponam coram oculis meis verbum Belial : facientem declinationes odivi ; nec adhæsit mihi.

Cor pravum recedet a me : malum nesciam.

Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam : superbum oculis et altum corde, cum hoc esse non potero.

Oculi mei ad fideles terræ, ut habitent mecum : ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi.

Non habitabit in medio domus meæ faciens dolum ; loquens mendacium non placebit in conspectu oculorum meorum.

Mane perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem.

Psallam, 2. et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Perambulam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

3. Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi 4. cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam.

5. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.

Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.

6. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

8. In matituno interficiebam omnes peccatores terræ : ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

PSALMUS CI. LUCTUS, DEPRECATIONIS, PROPHETICUS.

Tempore Babylonicæ servitutis, vir bonus et justus, qualis Nehemias, orat ædificari Sion, ac solvi captivitatem jam diuturnam : tum ad redemptionem spiritualis populi, et gentium vocationem se convertit.

V. S. H. — *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et coram Domino effuderit eloquium suum.*

Domine, exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Non abscondas faciem tuam a me : in die tribulationis meæ inclina ad me aurem tuam : in quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

V. V. — 1. *Oratio pauperis, cum anxius fuerit ; et in conspectu Domini effuderit precem suam.*

2. Domine, exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

3. Non avertas faciem tuam a me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

2 « Quando venies ad me : » decendum et protegendum. « Perambulam : » perambulabo : Heb. sic omnia sequentia. Non ita Nabuchodonosor in domo sua ambulabat, cum diceret : « Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi.... in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei. » Dan. IV. 27. Itaque exosus Deo, ac depressus in belluarum conditionem. « In innocentia cordis mei : non aliud corde tegebam, aliud ore præferebam.

3 — 4 Hi versus distinguendi ut apud Hier. ex quo consequitur illud egregium : malum nesciebam : tanta simplicitate atque innocentia ut malum nequidem nossem.

5 « Persequebar : » exscindebam : Hebr. quod est vehementius. « Insatiabili corde : » latum corde : Hebr. cupiditatis infinitæ. « Cum hoc non edebam : » cum hoc non potero : Hebr. supp. esse : hujus nec aspectum ferre possum.

7 « Qui facit superbiam.... » dolum : qui loquitur mendacia, non placebit : Hier.

8 « In matutino interficiebam : » exscindebam : ut supra 5. Prima hæc cura subit, ut scelerati maturo supplicio puniantur.

Quoniam consumpti sunt sicut fumus dies mei : et ossa mea quasi frixa contabuerunt.

Percussum est quasi fœnum, et arefactum est cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Assimilatus sum pellicano deserti : factus sum quasi bubo solitudinum.

Vigilavi, et fui sicut avis solitaria super tectum.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei : exultantes per me jurabant.

Quia cinerem sicut panem comedi, et potum meum cum fletu miscui.

A facie indignationis tuæ, et iræ tuæ; quia elevasti me, et allisisti me.

Dies mei quasi umbra inclinati sunt; et ego quasi fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes; et memoriale tuum in generatione et generatione.

Tu suscitans misereberis Sion : quia tempus est ut miserearis ejus, quoniam venit tempus.

Quoniam placitos fecerunt servi tui lapides ejus, et pulverem ejus miserabilem.

Et timebunt gentes nomen Domini, et universi reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : apparuit in gloria sua.

Respexit ad orationem vacui, et non despexit orationem eorum.

Scribatur hoc in generatione

4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei : et ossa mea sicut cremium aruerunt.

5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

6. A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

7. Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei : et qui laudabant me, adversum me jurabant.

10. Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam ;

11. A facie iræ et indignationis tuæ : quia elevans allisisti me.

12. Dies mei sicut umbra declinaverunt ; et ego sicut fœnum arui.

13. Tu autem, Domine, in æternum permanes : et memoriale tuum in generationem et generationem.

14. Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

15. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus miserebuntur.

16. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam.

17. Quia ædificavit Dominus Sion : et videbitur in gloria sua.

18. Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

19. Scribantur hæc in generatione

4 « Sicut cremium : » quasi frixa ; id est, exsiccata : Hier. Cremium porro est quod facile crematur, ut sarmentum.

5 « Oblitus sum : » præ mœrore.

7 « Pellicano : » onocrotalo, cucullo, aut alii avi gementi potius quam canenti

8 « Passer.... in tecto : » super tectum : Hier. non ingressus domum.

9 « Qui laudabunt me : » qui mihi in os blandiebantur ; qui laudare solebant. « Adversum me jurabant : » conjurabant. Non deerant apud Judæos, miserrimis licet temporibus, qui apud regem gratia florerent, qualis Nehemias : II. Esd. I, et seq. His igitur perversi homines multa adblanditi, tamen, conjuratione facta, pessima intentabant. Sic etiam soluta captivitate, Sanaballat et alii : ibid. VI. I, et seq.

11 « Elevans allisisti me : cum ante conspicuum reddidisses.

14 « Quia venit tempus : » septuaginta anni a Jeremia definiti jam impleti sunt.

15 « Et terræ est miserebuntur : » pulverem ejus miserentur : Hebr. Etiam ruinas obrutæ patriæ, templique rudera et cineres diligunt, ac super illis dolent ; ut illi, qui ad locum templi diruti munera deferebant : Jerem. XLI. ut Nehemias, qui locum paterni sepulcri desiderabat. II. Esd. II. 5.

19 « Scribantur : » scribentur : Hebr. Transmittentur ad posteros quæ Deus ad nos liberandos gessit.

novissima; et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quoniam propexit de excelso sanctuario suo: Dominus de cœlo terram contemplatus est:

Ut audiret gemitum vincti, ut solveret filios mortis.

Ut narretur in Sion nomen Domini, et laudatio ejus in Jerusalem.

Cum congregati fuerint populi simul, et regna ut serviant Domino.

Afflixit in via fortitudinem meam: abbreviavit dies meos.

Dicam, Deus meus, ne rapias me in medio dierum meorum. In generatione generationum anni tui.

A principio terram fundasti, et opus manuum tuarum cœli.

Ipsi peribunt, tu autem stabis: et omnes quasi vestimentum atterentur; quasi pallium mutabis eos, et mutabuntur.

Tu autem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semel eorum ante faciem tuam perseverabit.

altera; et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

20. Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

21. Ut audiret gemitus compeditorum ut solveret filios interemptorum.

22. Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.

23. In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.

24. Respondit ei in via virtutis suæ paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum. In generationem et generationem anni tui.

26. Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.

27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent;

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. 28. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

29. Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in seculum dirigetur.

PSALMUS CII. EUCHARISTICUS.

De remissione peccatorum gratias agit.

V. S. H. — *David.*

Benedic, anima mea, Domino, et omnia viscera mea nomini sancto ejus.

V. V. — 1. *Ipsi David.*

Benedic, anima mea, Domino et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

21 « Filios interemptorum : » filios mortis; Hier. morti addictos.

23 « Reges : » qui Deum in templo, licet ethnici, colebant, ut sæpe dictum a prophetis. Vide libros Mach. et Josephum. Hæc autem figura erat gentium ad fidem convertendarum.

24 « Respondit ei.... » afflixit in via fortitudinem meam, etc. Hier. Tabescens ac deficiens, instante reditu, metuit ne ante moriatur, quam videat Jerusalem restitutam.

25 « Ne revoces.... » Adde eum Hier. dicam : Deus meus, etc. « In generationem et generationem anni tui. « A consideratione infirmitatis humanæ, ad æternitatis divinæ contemplationem assurgit.

26 « Initio tu, Domine.... Hæc Paulus de Christo accipit Hebr. 1. 10. quem boni viri e captivitate reduces, verum redemptorem expectabant.

27 « Opertorium : » pallium; Hier.

29 « Filii servorum tuorum habitabunt : » in terra sancta . non nos miseri et infirmi, sed saltem filii nostri. « Et semen eorum in seculum dirigetur ; » ante faciem tuam perseverabit ; Hier.

Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnium retributionum ejus.

Qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis : et sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de corruptione vitam tuam : et coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet bonis ornamentum tuum : innovabitur sicut aquilæ juventus tua.

Faciens justitias Dominus, et judicia cunctis qui calumnias sustinent.

Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israel cogitationes suas.

Misericors et clemens Dominus : patiens, et multæ miserationis.

Non in sempiternum judicabit : neque in æternum irascetur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum enim excelsius est cœlum terra : tantum confirmata est misericordia ejus super timentes eum.

Quantum longe est oriens ab occidente : tantum longe fecit a nobis scelera nostra.

Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Ipse enim novit plasmationem nostram : recordatus est quia pulvis sumus.

Homo, quasi herba dies ejus ; sicut flos agri, sic florebit.

Quia spiritus pertransiet eum, et non subsistet ; et non cognoscet eum ultra locus ejus.

Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum, et justitia ejus in filios filiorum ;

His qui custodiunt pactum ejus, et recordantur præceptorum ejus ad facienda ea.

2. Benedic, anima mea, Domino et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de interitu vitam tuam ; qui coronat te in misericordia et miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.

6. Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

7. Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israel voluntates suas.

8. Miserator et misericors Dominus : longanimis, et multum misericors.

9. Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : 14. quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : 15. homo, sicut fœnum dies ejus ; tanquam flos agri, sic efflorebit.

16. Quoniam spiritus pertransibit in illio, et non subsistet ; et non cognoscet amplius locum suum.

17. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, 18. his qui servant testamentum ejus ;

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

5 « Replet in bonis : » satiat bono os tuum ; Hebr.

6 « Misericordias : » justitias ; Hier.

16 « Spiritus pertransibit.... » Ventus levissimus florem illum perflabit. « Non cognoscet.... non cognoscet eum amplius locus ejus ; Hier. penitus evanescet.

Dominus in cœlo stabilivit thronum suum, et regnum illius omnium dominatur.

Benedicite Domino, angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus, obedientes voci sermonis ejus.

Benedicite Domino, omnes exercitus ejus, ministri ejus, qui factis placitum illius.

Benedicite Domino, universa opera ejus, in omnibus locis potestatis ejus : benedic, anima mea, Domino.

19. Dominus in cœlo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.

21. Benedicite Domino, omnes virtutes ejus; ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22. Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus : benedic, anima mea, Domino.

PSALMUS CIII. LAUDIS ET ADMIRATIONIS.

Dei opera admirando percurrit, et de iis gratias agit. Disce, christiane, qua mente philosophari, ac rerum varietatem, naturamque intueri debeas. Sine titulo in Heb.

V. S. H.

Benedic, anima mea, Domino : Domine Deus meus, magnificatus es nimis : gloria et decore indutus es.

Amictus luce quasi vestimento : extendens cœlos ut pellem.

Qui tegis aquis cœnacula ejus : qui ponis nubes currum tuum : qui ambulas super pennas venti.

Qui facis angelos tuos spiritus : ministros tuos : ignem urentem.

Qui fundasti terram super basem suam : non commovebitur in seculum et in seculum.

Abysso quasi vestimento operuisti eam : super montes stabunt aquæ.

V. V. — 1. *Ipsi David.*

Benedic, anima mea, Domino; Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti : 2. amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem : 3. qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.

4. Qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos, ignem urentem.

5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in seculum seculi.

6. Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ.

21 « Virtutes : » exercitus; idem : sic angelos vocat.

2 « Extendens cœlum sicut pellem : » tam facile ac tentorium extenditur; Theod.

3 « Qui tegis aquis superiora ejus : » cœli scilicet, populari seusu sumpti; *uperôa* 70. cœnacula; Hier. partem superiorem domus. Allusum ad illud Gen. 1. 6. « Fiat firmamentum (hoc est expansum) in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis : » hoc est, ab aquis inferioribus, illas aquas, quas agris desuper irrigandis fœcundandisque nubes circumferunt. Vide Ps. CXLVI. 8. « Qui ponis nubem ascensum » currum ; Hier.

4 « Angelos tuos spiritus.... » Citat Paulus Hebr. 1. 7. Natura sua spiritus summa intelligentia prædíti, imperio quoque divino fiunt ignis urens, promptique ad ulciscendas Dei contumeias ; qua comparatione potentia illorum ac velocitas designatur. Theodor.

5 « Stabilitatem suam : » basîm.

6 « Abyssus..... amictus ejus : » terræ scilicet quam cingit. « Super montes stabunt aquæ. » Stabant, tota tellure aquis cooperta : sed postea te comminante fugerunt, ac velut trepidæ descenderunt in locum suum, dicente Deo : « Congregentur aquæ... in locum unum, » Gen. 1. 9. et velut increpante tarditatem.

Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi ad locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti, quem non pertransibunt; nec revertentur ut operiant terram.

Qui emittis fontes in convallibus, ut inter medios montes fluant.

Ut bibant omnia animalia regionum; et reficiat onager sitim suam.

Super ea volucres cœli morabuntur; de medio nemorum dabunt vocem.

Qui irrigas montes de cœnaculis tuis: de fructu operum tuorum implebitur terra.

Germinans herbam jumentis, et fœnum servituti hominum, ut educat panem de terra.

Et vinum lætificat cor hominis ad exhilarandam faciem in oleo: panis autem cor hominis roborat.

Saturabuntur ligna Domini: cedri Libani quas plantavit.

Ibi aves nidificabunt, milvo abies domus ejus.

Montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis.

Fecit lunam per tempora: sol cognovit occubitum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa movebuntur omnes bestiæ silvæ:

Leones rugientes ad prædam, et quærentes a Deo escam sibi.

Oriente solo recedent, et in speluncis suis cubabunt.

Egredietur homo ad opus suum,

7. Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.

8. Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis.

9. Terminum posuisti, quem non transgredientur; neque convertentur operire terram.

10. Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.

11. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua.

12. Super ea volucres cœli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

13. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra.

14. Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum:

Ut educas panem de terra, 15. et vinum lætificet cor hominis:

Ut exhilaret faciem in oleo; et panis cor hominis confirmet.

16. Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit. 17. Illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est eorum:

18. montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis.

19. Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.

20. Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ:

21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.

22. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.

23. Exibit homo ad opus suum,

9 « Convertentur : » revertentur; Hier.

11 « Expectabunt onagri : » et reficiat onager sitim suam : Idem.

12 « Super ea : » super eos montes de quibus v. 10. vel juxta fontes. « Petrarum : » nemorum. Hier.

14 « Producens fœnum jumentis : » ultro, nec laborantibus : at « herbam servituti hominum : » labori quo terræ excolendæ servili ritu addiountur. Alii simpliciter : ad usum hominum.

15 « Vinum lætificet : » en vinum quod lætificet, panem qui confirmet, oleum quod nitescere faciat.

16 « Ligna campi : » ligna Domini : Hier. Vetustæ silvæ non ab hominibus consitæ, sed jam inde ab orbis initio ipsa Dei manu.

17 « Herodii domus..... » milvo abies domus ejus. Hier. Alii, ciconiæ.

18 « Herinaciis : » alii, cuniculis.

ut ad servitutem suam usque ad vesperum.

Quam multa sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum et latum manibus, ibi reptilia innumerabilia: animalia parva cum grandibus.

Ibi naves pertranseunt: Leviathan istum plasmasti, ut illuderet ei.

Omnia in te sperant, ut des cibum eis in tempore suo.

Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, replebuntur bono.

Abscondes vultum tuum, et turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et instaurabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sempiternum: lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram, et tremet: tangit montes et fumabunt.

Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.

Placeat ei eloquium meum: ego autem lætabor in Domino.

Deficiant peccatores de terra, et impii ultra non sint. Benedic, anima mea, Domino, halleluia.

et ad operationem suam usque ad vesperum.

24. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

25. Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis: 26. illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: 27. Omnia a te expectant: ut des illis escam in tempore.

28. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam: omnia implebuntur bonitate.

29. Avertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

30. Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.

31. Sit gloria Domini in seculum, lætabitur Dominus in operibus suis.

32. Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant.

33. Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo quamdiu sum.

34. Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.

35. Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint. Benedic, anima mea, Domino.

24 « Possessione tua: » bonis tuis.

25 « Spatiosum manibus: » Similis locutio Gen. XXXIV. 21. in Hebr. ubi 70. vertunt simpliciter latum, spatiosum, ut hic, quod et Vulgata habebat: teste Hier. suppletumque « manibus » ex Theodotione et Aquila: quod idem Hier. docet secundum hebraicam proprietatem dici metaphorice: quasi mare expansas manus habeat et in se cuncta suscipiat.

26 « Draco iste: » Leviathan, etc. Hier. quo ceti designantur. « Ad illudendum ei: » mari. Cetum formasti, ut in mari luderet.

30 « Emittes spiritum tuum ..... » Mittis vim tuam qua omnia sustentantur. Vel: etiam destructa flatu instauras.

« Alleluia, » hic additur Hebr. quod Vulg. in sequentem transtulit. Est autem « hallelu-iah, » laudate Dominum: vox ad cantantes in summa lætitia suscitandos.

PSALMUS CIV. EUCHARISTICUS.

Gratiarum actio pro beneficiis a Deo in populum Israel collatis, ab Abraham usque ad Mosen et introductionem in terram sanctam. Refertur iste Psalmus ad Davidis tempora, I. Par. XVI. 8. non tamen integer, sed usque ad v. 23.

V. S. II.

Confitemini Domino, invocate nomen ejus : notas facite populis cogitationes ejus.

Cantate ei, et psallite ei : loquimini in universis mirabilibus ejus.

Exultate in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum, et virtutem ejus : quærite faciem ejus jugiter.

Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit, signorum et judiciorum oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : filii Jacob electi ejus.

Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.

Recordatus est in æternum pacti sui : verbi quod præcepit in mille generationes :

Quod pepigit cum Abraham, et juramenti sui cum Isaac.

Et firmavit illud cum Jacob in lege ; cum Israel in pactum sempiternum :

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

Cum essent viri pauci, modici et advenæ in ea.

Et transierunt de gente in gentem et de regno ad populum alterum.

Non dimisit hominem ut noceret eis, et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos, et prophetas meos nolite affligere.

V. V. — *Alleluia.* (I. Par. XVI. 8.)

1. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus.

2. Cantate ei, et psallite ei ; narrate omnia mirabilia ejus.

3. Laudamini in nomine sancto ejus ; lætetur cor quærentium Dominum.

4. Quærite Dominum, et confirmamini ; quærite faciem ejus semper.

5. Mementote mirabilium ejus quæ fecit ; prodigia ejus, et judicia oris ejus.

6. Semen Abraham servi ejus ; et filii Jacob electi ejus.

7. Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.

8. Memor fuit in seculum testamenti sui ; verbi quod mandavit in mille generationes :

9. Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac :

10. Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum ;

11. Dicens : Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

12. Cum essent numero brevi, paucissimi et incolæ ejus.

13. Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.

14. Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges.

15. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.

1 « Gentes : » populis ; Hier. « Opera : » cogitationes : idem.

3 « Laudamini : » Exultate : Idem.

6 « Servi : » genitivo casu. « Electi » (nominativo plurali) vos Deum laudate.

12 « Incolæ ejus : » advenæ in ea : Hier. Abraham enim et Isaac et Jacob cum liberis quasi exteri in Chanaanitide habitabant.

14 « Rege. : » Pharaonem et Abimelech. Gen. XII. etc.

15 « Christos : » Patriarchas, non unctione carnali, sed Spiritu sancto unctos : qui locus valet adversus Judæos qui Jesum negabant Christum, quod carnali unctione carnisset. Comm

Et vocavit famem super terram : omnem virgam panis contrivit.

Misit ante faciem eorum virum : in servum venumdatus est Joseph.

Afflixerunt in compede pedes ejus : in ferrum venit anima ejus;

Usque ad tempus donec veniret sermo ejus : eloquium Domini probavit eum.

Misit rex, et solvit eum : princeps populorum, et dimisit illum.

Posuit eum dominum domus suæ, et principem in omni possessione sua.

Ut erudiret principes ejus secundum voluntatem suam, et senes ejus sapientiam doceret.

Et ingressus est Israel Ægyptum, et Jacob advena fuit in terra Cham.

Et crescere fecit populum suum nimis, et roboravit eum super hostes ejus.

Convertit cor eorum ut odio haberent populum ejus, ut dolose agerent contra servos illius.

Misit Moysen servum suum : Aaron, quem elegit sibi.

Posuit in eis verba signorum suorum, et portentorum in terra Cham.

Misit tenebras, et contenebravit : et non fuerunt increduli verbis ejus.

Commutavit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.

Ebullivit terra eorum ranas, in cubilibus regum eorum.

Dixit; et venit musca omnimoda, ciniphes in universis terminis eorum.

16. Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit.

17. Misit ante eos virum; in servum venumdatus est Joseph.

18. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus, 19. donec veniret verbum ejus.

Eloquium Domini inflammavit eum :

20. Misit rex, et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum.

21. Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.

22. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.

23. Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.

24. Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.

25. Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.

26. Misit Moysen servum suum; Aaron, quem elegit ipsum.

27. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.

28. Misit tenebras, et obscuravit; et non exacerbavit sermones suos.

29. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.

30. Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.

31. Dixit; et venit cænomyia, et ciniphes in omnibus finibus eorum.

Hier. in hunc v. Ideo autem Christi sive uncti dicuntur, quod essent et sacerdotes et reges : summa quippe potestate præditi, nullique obnoxii : hinc fœdera æquo jure pacta cum regibus : hinc bella suscepta et quidem nutu suo, auspiciis, ut aiunt, suis. Gen. XIV, XXI. Hinc Hethæi ad Abrahamum : « Audi nos, Domine : princeps Dei es apud nos : » Ibid. XXIII. 6. nemini obnoxius, nisi Deo. Quo jure Isaacus et Jacobus usi sunt Gen. XXVI. etc. Ad hæc prophetæ erant : ut hic et Gen. XX. 7. quos omnes titulos unum Christi nomen complectitur. Christi autem dicuntur, in typo Christi ipsius ab eis oriturî. Hic et desinit Ps. in Par.

16 « Firmamentum panis : » baculum : sustentaculum : panem quo sustentamur.

18 « Animam ejus : » pro persona ejus anima : 70. In infernum venit anima ejus : Hier. ipse in vincula missus est.

19 « Donec veniret verbum ejus : » donec implerentur Josephi vaticinia de pincerna et pistore. Gen. XL. « Inflammavit » probavit : Hier. quasi in igne : tot immissis calamitatibus.

23 « In terra Cham : » Ægypto : idem infra 27. Ps. LXXVII. 51.

28 « Et non exacerbavit : » non fuerunt increduli; Hier. Moses et Aaron.

29 — 30 « Aquas eorum : Ægyptiorum.

Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flammantem in terra eorum.

Et percussit vineam eorum, et ficum eorum, et confregit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum terræ eorum, et devoravit fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias universi partus eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus cum egederentur; quoniam irruerat terror eorum super eos.

Expandit nubem in tentorium, et ignem ut luceret nocte.

Petierunt, et adduxit ortygometram, et pane cœli saturavit eos.

Aperuit petram, et fluxerunt aquæ, concurrerunt in aridis flumina.

Quia recordatus est verbi sancti sui, cum Abraham servo suo.

Et eduxit populum suum in lætitia, laudantes electos suos.

Et dedit eis terras gentium, et laborem tribuum possederunt.

Ut custodirent cæremonias ejus, et leges ejus servarent, halleluia.

32. Posuit pluvias eorum grandinem; ignem comburentem in terra ipsorum.

33. Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.

34. Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus;

35. Et comedit omne fœnum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum.

36. Et percussit omne primogenitum in terra eorum; primitias omnis laboris eorum.

37. Et eduxit eos cum argento et et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

38. Lætata est Ægyptus in profectione eorum; quia incubuit timor eorum super eos.

39. Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem, ut luceret eis per noctem.

40. Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos.

41. Dirupit petram, et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.

42. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

43. Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia.

44. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.

45. Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.

PSALMUS CV. EUCHARISTICUS ET INCREPATORIUS.

Commemoratio beneficiorum Dei ab Exodo ad Judices : ut populum peccantem et castigatum, mox veniam deprecantem, a miseriis eruerit. Est autem Davidis hic Psalmus, ut patet, I. Par. XVI. 34, etc. ubi initium ejus et finis referuntur.

V. S. H. — *Halleluia.*

Confitemini Domini, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

℣. V. — *Alleluia.* (Judith, XIII. 21.)

1. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus.

37 « Eduxit eos : » Israelitas.
38 « Timor eorum : » Israelitarum. « Super eos » Ægyptios.
39 « In protectionem eorum : » ut tegeret eos.
41 « Abierunt in sicco..... » flumen in deserto decucurrit.
45 « Ut custodiant,.... » Eo enim tot beneficia pertinebant.

Quis loquetur fortitudines Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?

Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

Recordare mei, Domine, in repropitiatione populi tui : visita me in salutari tua.

Ut videam bona electorum tuorum, in lætitia gentis meæ, et exultem cum hæreditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris ; inique fecimus, impie egimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua.

Non sunt recordati multitudinis misericordiæ tuæ; et ad iracundiam provocaverunt super mare in mari Rubro.

Salvavit autem eos propter nomen suum, ut ostenderet fortitudinem suam.

Et comminatus est mari Rubro, et aruit; et transduxit eos per abyssos quasi in deserto.

Et salvavit eos de manu odientis, et redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua hostes eorum; unus de ipsis non superfuit.

Et crediderunt verbis ejus, cecineruntque laudem ejus.

Cito obliti sunt operum illius; nec expectaverunt voluntatem ejus.

Et desideraverunt desiderium in deserto, et tentaverunt Deum in solitudine.

Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit tenuitatem in animam eorum.

2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

3. Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

4. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo :

5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ; ut lauderis cum hæreditate tua.

6. Peccavimus cum patribus nostris; injuste egimus, iniquitatem fecimus.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum.

8. Et salvavit eos propter nomen suum; ut notam faceret potentiam suam.

9. Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est; et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

10. Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.

11. Et operuit aqua tribulantes eos; unus ex eis non remansit.

12. Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.

13. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, et non sustinuerunt concilium ejus.

14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso.

15. Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum.

4 « Memento nostri..... visita nos : » mei..... me, Hier. « In beneplacito : » cum propitius eris populo tuo.

5 « Ad videndum in bonitate : » ut videam bona : Hier. « Ut lauderis : » ut exultem : Hier.

9 « Increpuit mare Rubrum : » quasi ei succenseret, quod suis obicem poneret. « In deserto : » loco arido, infra 14.

12 « Laudaverunt : » cecinerunt : Hier. quod est canticum Mariæ : Exod. xv. 21.

13 « Cito fecerunt, obliti sunt..... » festinaverunt; obliti sunt . cito obliti sunt : hebraismus; verbum pro adverbio. « Non sustinuerunt..... » nec expectaverunt voluntatem ejus : Hier. Dei scilicet.

14 « Et concupierunt concupiscentiam : » vehementissime concupiverunt cibos.

15 « Saturitatem : » tenuitatem : Hier. repletionem; genus morbi e quo macies : vide Exod. xv. 8. Num. xi. 20. Quibus locis cibi ad satietatem et nauseam usque dati narrantur.

Et zelati sunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et devoravit Dathan, et operuit synagogam Abiron.

Et succensus est ignis in synagoga eorum; flamma exussit impios.

Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt conflatile.

Et mutaverunt gloriam suam, in similitudine bovis comedentis fœnum.

Obliti sunt Dei salvatoris sui, qui fecit magnalia in Ægypto;

Mirabilia in terra Cham; terribilia super mare Rubrum.

Dixit ergo ut contereret eos; nisi Moyses electus ejus stetisset medius contra faciem illius, et converteret indignationem ejus, ut non interficeret.

Et despexerunt terram desiderabilem, nec crediderunt sermoni ejus.

Et murmuraverunt in tabernaculis suis; non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos, ut dejiceret eos in deserto;

Et ut dejiceret semen eorum in gentibus, et dispergeret eos in terris.

Et consecrati sunt Beelphegor, et comederunt victimas mortuorum.

Et concitaverunt eum in studiis suis; et percussit eos plaga.

Stetit autem Phinees, et dijudicavit; et est retenta percussio.

Et reputatum est ei in justitiam, in generatione et generatione usque in æternum.

16. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

17. Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron.

18. Et exarsit ignis in synagoga eorum; flamma combussit peccatores.

19. Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile.

20. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

21. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, 22. mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

23. Et dixit ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus;

Ut averteret iram ejus ne disperderet eos. 24. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:

Non crediderunt verbo ejus. 25. Et murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.

26. Et levavit manum suam super eos, ut prosterneret eos, in deserto:

27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus.

28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.

29. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis; et multiplicata est in eis ruina.

30. Et stetit Phinees, et placavit; et cessavit quassatio.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.

16 « Irritaverunt : » zelati sunt : Hier. inviderunt Moysi et Aaron quos Deus evexerat. Dicebant enim : « Cur elevamini super populum Domini ? » Num. XVI. 3.

23 « Si non Moyses .... in confractione : » in ruptura Hebr. si non stetisset medius.. Hier. ut prohiberet imminentem populo iram Dei, ut est in seq.

26 « Ut prosterneret eos in deserto : » ubi eorum cadavera jacuerunt. Num. XIV 11, 12, 28, 29.

27 « In nationibus : » in gentibus deserti incolis

28 « Beelphegor : » idolum Chananæorum. « Sacrificia mortuorum » immolata mortuis diis gentilium, qui mortuos homines consecrabant.

29 « Adinventionibus : » studiis, cogitationibus.

30 « Placavit : » dijudicavit : Hier. Judicium et ultionem exercuit. « Quassatio : » percussio. Hier. pernicies.

Et provocaverunt eum super aquam contradictionis : et afflictus est Moyses propter eos ;

Quia provocaverunt spiritum ejus, et præcepit labiis suis.

Non exterminaverunt populos, quos dixit Dominus eis.

Et commixti sunt gentibus, et didicerunt opera eorum.

Et servierunt sculptilibus eorum : et factum est eis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmonibus.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum quos immolaverunt sculptilibus Chanaan : et polluta est terra sanguinibus.

Et coinquinati sunt in operibus suis, et fornicati sunt in studiis suis.

Iratus est itaque furor Domini in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam.

Et dedit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et afflixerunt eos inimici sui, et humiliati sunt sub manu eorum.

Multis vicibus liberavit eos : ipsi vero provocabant in consiliis suis; et humiliati sunt, propter iniquitates suas.

Et vidit tribulationem eorum; cum audiret eos rogantes.

Et recordatus est pacti sui cum eis, et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos miserabiles. coram omnibus qui ceperant eos.

Salva nos, Domine Deus noster,

32. Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis; et vexatus est Moyses propter eos : 33. quia exacerbaverunt spiritum ejus.

Et distinxit in labiis suis. 34. Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

35. Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum : 36. et servierunt sculptilibus eorum : et factum est illis in scandalum.

37. Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis.

38. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum; quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan :

Et infecta est terra in sanguinibus :

39. Et contaminata est in operibus eorum; et fornicati sunt in adinventionibus suis.

40. Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam.

41. Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

42. Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum. 43. Sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in concilio suo; et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

44. Et vidit cum tribularentur, et audivit orationem eorum.

45. Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

46. Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.

47. Salvos nos fac, Domine Deus

33 « Exacerbaverunt spiritum ejus : » Mosis, cujus dubitatio populo tribuitur, quod ab iis exacerbatus vix credere potuerit Deum in talem populum toties contumacem, tam benignum futurum. « Et distinxit in labiis suis. » Moyses pronuntiavit, perperam locutus est, ambiguo sermone usus est : « Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? » Num. xx. 10. Illud « num » est hæsitantis : « Num vere paritura sum anus? » inquit Sara. Gen. xviii, 13.

34 « Non disperdiderunt.., » Hic aliud narrationis caput de rebus gestis sub Judicibus. Vide autem Jud. i, ii, iii.

39 « Contaminata est : » coinquinati sunt, etc. Hier.

46 « Dedit eos in misericordias : » posuit in exemplum celebre benignitatis suæ, videntibus hostibus et contremiscentibus.

47 « Salvos nos fac. » Clarius in Par. « Salva nos, et congrega nos, et erue de gentibus : de nationibus, quæ nos tempore Judicum oppresserant.

et congrega nos de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et canamus in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno, et usque in æternum; et dicet omnis populus : amen, halleluia.

noster, et congrega nos de nationibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.

48. Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, et usque in seculum, et dicet omnis populus : Fiat, fiat.

48 « Fiat, fiat : » amen : halleluiah ; Hebr

PSALMORUM

LIBER QUINTUS ET ULTIMUS

SECUNDUM HEBRÆOS.

PSALMUS CVI. EUCHARISTICUS.

Laudatur Deus, quod homines ex omnigenis calamitatibus eruat, quarum describuntur quatuor præcipuæ : error in itinere, captivitas, morbus, mare procellosum. Convenit populo e captivitate Babylonica, ubi varia incommoda passus erat, per deserta et maria redeunti : ut patet v. 2, 3.

V. S. H.	V. V. — *Alleluia.* (Judith, XIII, 21.)
Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.	1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu hostis.	2. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos :
Et de terris congregavit eos, ab oriente et occidente, ab aquilone et mari.	3. A solis ortu et occasu; ab aquilone et mari.
Erraverunt in solitudine, in deserta via ; civitatem quæ habitaretur non repererunt.	4. Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.
Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis deficiebat.	5. Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.
Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua; de afflictione eorum eripuit eos.	6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.
Et duxit illos per viam rectam, ut venirent in civitatem habitabilem.	7. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.
Confiteantur Domino misericordias ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.	8. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
Quia saturavit animam vacuam, et animam esurientem implevit bonis.	9. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.

3 « Mari : » mari Australi : Ch. mari Rubro. Alias, maris nomine designatur occidens

4 « Erraverunt : » Hinc ad v. 9. gratias agit, quod ab errore viæ fuerint liberati, per desertum iter agentes.

8 « Misericordiæ : » misericordias : Hier.

9 « Satiavit animam inanem : » quod errantes per deserta, fame laborarent.

Habitantes in tenebris et umbra mortis, alligatos inopia et ferro.

Quia provocaverunt sermones Dei, et consilium Excelsi blasphemaverunt.

Et humiliavit in labore cor eorum : ceciderunt, et non erat qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua; et de angustiis eorum salvavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordias ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.

Stultos propter viam sceleris eorum et propter iniquitates afflictos.

Omnem cibum abominata est anima eorum, et accesserunt ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua ; de angustiis eorum salvavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos, et salvavit de interitu eorum.

Confiteantur Domino misericordias ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et immolent hostias gratiarum, et narrent opera ejus in laude.

Qui descendunt mare in navi-

10. Sedentes in tenebris, et umbra mortis; vinctos in mendicitate et ferro.

11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.

12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

15. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.

17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt.

18. Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur ; et de necessitatibus eorum liberavit eos.

20. Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.

21. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

22. Et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione.

23. Qui descendunt mare in navi-

10 « Sedentes in tenebris : » ab hoc v. 10. ad 16 vincti, in carceribus et ergastulis constituti, atque ex his liberati memorantur « Vinctos : » vincti. Hebr. non accusandi sed nominandi casu ; neque enim a prioribus regitur, sed alterius rei est initium.

11 « Exacerbaverunt eloquia Dei : » Deum jubentem : quæ causa Judæorum calamitatis fuit.

12 « Infirmati sunt : » ceciderunt : Hier.

17 « Suscepit eos : » stultos, etc. Idem. vel potius, stulti et afflicti : ut sensus sit, cum essent stulti, et propter scelera afflicti, gravibus morbis immissis castigantur. Sequens ergo versus ad ægros pertinet a morte liberatos.

18 « Omnem escam... » Quod indicium vel maximum est naturæ deficientis, ac mortis proximæ.

20 « Misit verbum suum : » misit jussa sua : non enim necesse habet satellites mittere, qui jussa exequantur, cum ipsa sibi jussa sufficiant. Ps. CXLVII. 15. « Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus : » quibus verbis exprimitur summa jubentis auctoritas et efficientia. « De interitionibus : » de mortibus, quæ undique ingruebant.

22 « Sacrificium laudis : » pro salute recepta *sôtèrion eucharisticon*

23 « Qui descendunt... » Hinc ad 32. navigantes, tempestate vexati « Operationem : » alii, negotiationem ; alii, exercentes artem nauticam.

bus, facientes opus in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

Dixit, et surrexit ventus tempestatis, et elevavit gurgites ejus.

Ascendunt in cœlum, et descendunt in abyssos : anima eorum in afflictione consumitur.

Obstupuerunt et intremuerunt quasi ebrius, et universa sapientia eorum absorpta est.

Clamabunt autem ad Dominum in tribulatione sua; et de angustia eorum educet eos.

Statuet turbinem inram ai tillitatem, et silebunt fluctus ejus.

Lætabuntur quoniam quieverunt: et deducet eos ad portum quem voluerunt.

Confiteantur Domino misericordias ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et exaltent eum in ecclesia populi, et in cathedra seniorum laudent eum.

Ponet flumina in desertum, et fontes aquarum in sitim;

Terram fructiferam in salsuginem, præ malitia habitatorum ejus.

Ponet desertum in paludes aquarum, et terram inviam in fontes aquarum.

Et collocavit ibi esurientes, et formabunt urbem ad habitandum.

bus, facientes operationem in aquis multis,

24. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

25. Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat.

27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.

28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; et de necessitatibus eorum eduxit eos.

29. Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus.

30. Et lætati sunt quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

32. Et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.

33. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim;

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia in habitantium in ea.

35. Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis.

26 « Stetit spiritus... » surrexit : exstitit. At Hier. clariore sensu : levavit gurgites Deus immissis ventis.

27 « Sapientia : » ars gubernatoria.

29 « Statuit procellam... in auram : » pro turbine lenem auram dedit. « In auram : » in tranquillitatem : Hier.

30 « Siluerunt : » quieverunt : Idem. « In portum voluntatis eorum... » in portum optatum : notus hebraismus.

32 « In ecclesia plebis : » concione : « In cathedra seniorum : » consessu ; senatu ; qui duo præcipui cœtus sunt.

33 « Posuit flumina. » Hinc ad finem Psalmi, prædicat Deum pro sua potestate ac justitia, hominibus ac regionibus dare ubertatem aut sterilitatem, copiam aut inopiam; deturbare principes, et pauperes adjuvare. Quod ad Babylonios et Judæos referri videtur : illos a Deo rejectos : hos bonis cumulatos omnibus, et fœda captivitate liberatos. « Posuit flumina in desertum : » locis irriguis siccitatem immisit : qui versus cum sequente ad sterilitatem pertinet. « Exitus aquarum : » cursus aquarum ubique scaturientium.

34 « Salsuginem : » sterilitatem : tanquam asperso in agros sale.

35 « Posuit desertum in stagna aquarum : » jam hæc ad fertilitatem : qui scilicet v. 33. loca irrigua exsiccabat, hic arida et siticulosa perpluit.

36 « Civitatem habitationis : » civitatem habitabilem. Jam transgreditur ad civitates, cœtusque hominum divina beneficientia congregatos.

Et serent agros, et plantabunt vineas, et facient fruges germina.

37. Et seminaverunt agros, e plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedicet eis, et multiplicabuntur nimis, et pecora eorunonro minuet.

38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non minoravit.

Imminuta sunt autem et afflicta, propter angustiam mali et dsmlso.

39. Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Et effundent despectionem super principes, et errare eos faciet in solitudine de via.

40. Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et sublevabit pauperem de inopia : et ponet quasi gregem familias.

41. Et adjuvit pauperem de inopia; et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas contrahet os suum.

42. Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc; et intelliget misericordias Domini ?

43. Quis sapiens et custodiet hæc; et intelliget misericordias Domini ?

PSALMUS CVII. EUCHARISTICUS.

Conferendus hic Psalmus cum LVI. a v. 8. ad finem, et cum LIX. a v. 6. ad finem. Si enim partes illas utriusque Psalmi conjunxeris, existet integer hic Psalmus CVII. Sunt omnes Davidis. LIX. et CVII. ad Syriacam victoriam pertinent : forte alter petit, alter gratias agit ; nec mirum poetam a se ipso mutuari. Permultæ sunt in Vulgata verborum varietates in tribus his Psalmis ; in Hebræo etiam pauculæ; sed quæ nihil ad sensum pertineant, doceantque tantum alterum ex altero non descriptos.

V. S. H. — *Canticum, Psalmus David.*

V. V. — 1. *Canticum Psalmi ipsi David.* (Sup. LVI. 8.)

Paratum cor meum, Deus : cantabo et psallam, sed et gloria mea.

2. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psallam in gloria mea.

Consurge, psalterium et cithara, consurgam mane.

3. Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine, et cantabo te in nationibus.

4. Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus.

Quoniam magna super cœlos mi-

5. Quia magna est super cœlos

37 « Fructum nativitatis : » fecerunt fruges germina : Hier. id est, e geminibus copiosum fructum.

39 « Et pauci facti sunt : » qui modo abundabant, mox, Deo volente, redacti ad solitudinem.

40 « Effusa est contemptio : » ad statum despicabilem deducti sunt etiam principes : quanto magis plebs invalida ? Melius, causam allaturus cur civitates corruant, caput malorum attingit ; cum nulla sit jam principum ac magistratuum reverentia : « Aufert » enim « Deus spiritum principum : » Ps. LXXV. 13. Hinc consilii inopes, tanquam per devia errant. « Et non in via : » in locis inviis. Summa : Deus est qui civitates et florentes facit et evertit ut vult. Sic Job XII 23. « Qui multiplicat gentes et perdit eas, etc., qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium, etc. »

41 « Posuit sicut oves : » multiplicabit ut greges.

sericordia tua, et usque ad æthera veritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.

Ut liberentur dilecti tui, salva dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sanctuario suo : gaudebo, dividam Sichem, et vallem Soccoth dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraim hæreditas capitis mei; Juda dux meus.

Moab lebes pelvis meæ : super Idumæam projiciam calceamentum meum : cum Philistiim fœderabor.

Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui projeceras nos, et non exieras Deus in exercitibus nostris?

Da nobis auxilium in tribulatione; vana est enim salus ab homine.

In Deo erimus fortes, et ipse conculcabit hostes nostros.

misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

6. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua : 7. ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo : Exultabo, et dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar.

9. Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraim susceptio capitis mei.

Juda rex meus : 10. Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum; mihi alienigenæ amici facti sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et non exibis, Deus, in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

PSALMUS CVIII. INCREPATORIUS ET PROPHETICUS.

In Achitophel; typice in Judam pari cum Achitophel suspendio infamem, II. Reg. XVII. 23. cui etiam multi versus proprie conveniunt : præter octavum a Petro de ipso expositum, Act. I. 20. atque etiam in Judæos Judæ proditoris asseclas et incentores. Theodor.

V. S. H. — *Victori, David Psalmus.*

Deus, laudabilis mihi, ne taceas.

Quia os impii et dolosi contra me apertum est : locuti sunt de me lingua mendacii.

Verbis odii circumdederunt me, et expugnaverunt me frustra.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Deus, laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonbus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

6 « Super omnem terram gloria tua : » huc usque e Ps. LVI.

7 « Ut liberentur dilecti tui : » cætera repetita ex Ps. LIX. 6.

2 « Laudem meam : » laudis meæ : Hebr. Deus, qui es laus mea : vel Deus, laudum mearum argumentum : unde Hier. Deus, laudabilis mihi. « Os peccatoris : » impii : Heb. « et dolosi : » duo designantur, forte Absalom impius, et Achitophel dolosus. « Super me apertum est. » Jactabant enim in vulgus a Davide nullam æqui bonique haberi rationem : quippe dicente Absalomo : « Non est qui te audiat constitutus a Rege. » II. Reg. XV. 3. Sic « sollicitabat corda virorum Israel. » Ibid. 6. 12. Semei quoque cædem Saulis Davidi imputabat. Ibid. XVI. 7, 8. His odia incendebant. Hæc autem cecinit David spirituali sensu in persona Christi a Judæis impetiti omnimodis blasphemiis.

Pro eo quod eos diligebam, adversabantur mihi, ego autem orabam.

Et posuerunt contra me malum pro bono, et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum impium, et Satan stet a dextris ejus.

Cum fuerit judicatus, exeat condemnatus; et oratio ejus sit in peccatum.

Fiant dies ejus parvi : episcopatum ejus accipiat alter.

Sint filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua.

Instabiles vagentur filii ejus, et mendicent, et quærantur in parietinis suis.

Scrutetur exactor universa quæ habet; et diripiant alieni labores ejus.

Non sit qui ejus misereatur; nec qui clemens sit in pupillos ejus.

Fiat novissimum ejus interitus; in generatione altera deleatur nomen ejus.

Redeat in memoriam iniquitas patrum ejus apud Deum, et iniquitas matris ejus non deleatur.

Sint contra Dominum semper, et intereat de terra memoria eorum.

Eo quod non est recordatus facere misericordiam : et persecutus est virum inopem, et pauperem, et compunctum corde ut interficeret.

Et dilexit maledictionem, quæ

4. Pro eo ut me diligerent oratrahebant mihi : ego autem, debam.

5. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.

6. Constitue super eum peccatorem et diabolus stet a dextris ejus.

7. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

8. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.

9. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.

10. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.

11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus; et diripiant alieni labores ejus.

12. Non sit illi adjutor; nec sit qui misereatur pupillis ejus.

13. Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.

14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.

15. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum. 16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam :

17. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.

18. Et dilexit maledictionem, et

4 « Pro eo ut me..... » pro eo quod eos diligebam : Hier. Hebr. 70. Nota preces pro inimicis, qua de re vide Præf. n. 13, 14.

5 « Pro dilectione mea : » qua eos diligebam. »

6 « Constitue super eum peccatorem : » Satanam ipsum de quo subdit : diabolus : » Hebr. Satan tentator, a quo primum in scelus, deinde et in laqueum adigatur : recte : nam, ut ait Joannes XIII. 27. « Post buccellam introivit in eum Satanas. » Theodor. « Super eum. » Jam in scelerum incentorem sermo convertitur, ac sub imprecationis maledictique specie, prophetia componitur. Chrys. in hunc Psal. n. 2.

8 « Episcopatum : » curam, officium : Judæ apostolatum, Petro interprete.

10 « Nutantes transferantur . . » instabiles vagentur. « Ejiciantur de habitationibus suis Quærant (victum) in ruinis suis : Hebr. Quæ Judæis mirum in modum congruunt.

11 « Scrutetur.... » illaqueet : Hebr. pignori capiat.

13 « Nati ejus : » posteritas ejus : Hebr. « Generatione una : » altera : Hebr.

14 « In memoriam redeat iniquitas patrum, » qui clamaverunt : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » Matth. XXVII. 25.

15 « Contra Dominum.... » De peccatis loquitur, de quibus versu præcedenti : cæterum peccata remissa, non jam contra Dominum sive coram Domino, velut adversa facie, sed post tergum ejus; ut est in cantico Ezechiæ : Is. XXXVIII. 17.

17 « Hominem inopem : » Davidem ejectum. « Compunctum : » attritum, afflictum

veniet ei ; et noluit benedictionem , quæ elongabitur ab eo.

Et indutus est maledictione quasi vestimento suo, et ingreditur quasi aqua in viscera ejus , et quasi oleum in ossa ejus.

Sit ei quasi pallium quo circumdatur , et quasi cingulum, quo semper accingitur.

Hæc est retributio his qui adversantur mihi a Domino, et qui loquuntur malum contra animam meam.

Tu autem , Domine Deus , fac mecum propter nomen tuum ; quoniam bona est misericordia tua , libera me.

Quoniam egenus et pauper sum, et cor meum vulneratum est intrinsecus.

Quasi umbra cum inclinatur , abductus sum, et excussus quasi locusta.

Genua mea vacillaverunt a jejunio, et caro mea immutata est absque oleo.

Et ego factus sum opprobrium eis , videntes me moverunt caput suum.

Adjuva me, Domine Deus meus : salva me secundum misericordiam tuam.

Et sciant quoniam manus tuæ hæc : tu, Domine , fecisti eam.

Maledicent illi , et tu benedices : resistent, et confundentur ; servus autem tuus lætabitur.

Induantur adversarii mei confusione, et operiantur quasi vestimento , confusione sua.

Confitebor Domino vehementer in ore meo , et in medio populorum laudabo eum.

veniet ei ; et noluit benedictionem , et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum , et intravit sicut aqua in interiora ejus , et sicut oleum in ossibus ejus.

19. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona , qua semper præcingitur.

20. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam.

21. Et tu, Domine , Domine, fac mecum propter nomen tuum ; quia suavis est misericorda tua.

Libera me , 22. quia egenus et pauper ego sum , et cor meum conturbatum est intra mea.

23. Sicut umbra cum declinat , ablatus sum, et excussus sum sicut locustæ.

24. Genua mea infirmata sunt a jejunio , et caro mea immutata est propter oleum.

25. Et ego factus sum opprobrium illis : viderunt me , et moverunt capita sua.

26. Adjuva me , Domine Deus meus : salvum me fac secundum misericordiam tuam.

27. Et sciant quia manus tua hæc, et tu , Domine, fecisti eam.

28. Maledicent illi, et tu benedices : qui insurgunt in me , confundantur ; servus autem tuus lætabitur.

29. Induantur qui detrahunt mihi, pudore ; et operiantur sicut diploide , confusione sua.

30. Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.

20 « Hoc opus eorum : » hæc est retributio, etc. Hier. « Apud Dominum : » a Domino : Idem.

22 « Conturbatum : » vulneratum : Idem.

23 « Sicut locustæ : » timida et vaga animalia.

24 « Immutata est propter oleum : » emaciata est a pinguedine : Hebr. macilenta facta est.

27 « Manus hæc tua : » hoc : hebraismus : hæc res a manu tua, a potentia tua est. « Eam : » illud.

28 « Maledicent : » hi quidem maledicent, at tu benedices.

29 « Diploide : » vestimento : Hier. Diplois autem pallium duplicatum : qua similitudine confusionem hostium exaggerari, ac veluti duplicari petit. Comm. Hier.

30 « Nimis : » vehementer : Idem.

Quoniam stabit a dextris pauperis ut salvet a judicibus animam ejus.

31. Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

PSALMUS CIX. PROPHETICUS.

Totus de Christo, ipso docente et consentientibus Judæis. Matth. XXII. 44, etc. Nec abnuunt antiqui magistri Hebræorum, nec etiam recentiores, quos vide recensitos in Synopsi Criticorum.

V. S. H. — *Psalmus David.*

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ, in montibus sanctis, quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ.

V. V. — 1. *Psalmus David.*

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

31 « A persequentibus: » Hier. a judicibus animam ejus: pauperis scilicet. A judicibus autem, hoc est, ab optimatibus: sive a potentibus inimicis; qui se ejus judices esse statuebant, de ejus sorte decernebant.

1 « Dominus Domino meo... Jehovah ladoni: » Hebr. Quo ex loco ipse Christus sic infert: « Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? » Matth. XXII. 45. Non ergo de Ezechia, non de Zorobabele, non de aliis quibusvis intelligendus Psalmus, quos profecto David, tantus rex, eorumque pater, dominos non vocasset: sed de eo dicitur, qui est « Dominus dominantium: » Apoc. XIX. 16. Nec nocet Christi divinitati, quod hic dicatur Dominus, non illo arcano, sed inferiore vocabulo « Adonai: » cum et ipse Deus ita appelletur v. 5. et hic, de Christo ut homine, sermo habeatur; neque David quemquam vocasset Dominum suum, nisi Deum. « Sede a dextris meis: » licet dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo divinitatis est; tamen ideo ad dexteram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur. Amb. hic. « Donec ponam.... » An igitur dejectis hostibus, a dextera discessurus est? imo Paulo interprete: « In sempiternum sedet in dextera Dei: de cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus: » Hebr. X. 12, 13. Vide etiam in hunc locum I. Cor. XV. 25 Hebr. I. 13.

2 « Virgam virtutis: » fortitudinis: Hier. « Ex Sion: » Imperium ac prædicatio Christi a Jerusalem ordietur: « De Sion exibit lex: » Isa. II. 3. Incipientibus ab Jerusalem discipulis: Luc XXIV. 47. Atque inde ad orbis extrema profecturis.

3 « Tecum principium: *arche*, principatus: quod etiam Suetonius principium dixit: *cratos*: Theodot. potestas, auctoritas. Ita etiam Chrys. et Græci: at Hier. Populi tui spontanei, id est, promptissime obedientes. Varietas Hebr. et Vulg. orta ex diversa lectione. « Inica, » tecum, « Amca. » populus tuus, iisdem litteris. « In die virtutis: » fortitudinis: Hier. expeditionis, eductionis exercitus. « In splendoribus: » circumstantibus sanctis, angelis scilicet; unde Deut. XXXIII. 2. « Cum eo sanctorum millia. » At Hier. in montibus sanctis, in ipsa paterna gloria. « Ex utero.... » a vulva, ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ, sive ortus tui. Hebr. id est, ex intimis meis jam a tempore conditæ auroræ dederam semen ex quo es ortus: jam ab aurora creata, ex me eras genitus. « Ex utero: » de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia, de medullis divinitatis suæ. Comm. Hier. Magis ex se videtur emittere, qui ex utero generat. Sic Isa. XLVI. 3. « Qui gestamini a mea vulva. » Deus ergo pater ex utriusque sexus fœcunditate id ad se potissimum transtulit, quod unum ab uno atque ex uno genitum maxime commendabat. « Ante luciferum: » a parte totum: ergo ante lunam, ante solem, ante omnem creaturam. « Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. » Mich. V. 2. « Genui te: » ergo non opus, non factura, sed filius: nec adoptatus, sed vere genitus. De adoptatis enim dicitur: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri: » Joan. I. 12. Hic autem ab æterno, natura sua, proprie atque ex utero genitus, ex paterno semine, non decisa substantia, sed tota, cum sit Deus impartibilis atque individuus. Ex Comm. Hier. quem vide.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextera tua : percussit in die furoris sui reges.

Judicabit in gentibus, implevit valles : percussit caput in terra multa.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

4. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

5. Dominus a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.

6. Judicabit in nationibus implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.

7. De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

PSALMUS CX. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Mirabilia Dei, in liberando populo, et tradenda lege, celebrat; unde ejus promissis credendum.

V. S. H. — *Halleluia.*

Confitebor Domino in toto corde meo; in concilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini : exquirenda in cunctis voluntatibus suis.

Gloria et decor opus ejus, et justitia ejus perseverans semper.

Memoriam fecit mirabilium suorum : clemens et misericors Dominus.

Escam dedit timentibus se : me-

V. V. — *Alleluia.*

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum, et congregatione.

2. Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.

3. Confessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miseratur Dominus : 5. escam dedit timentibus se.

4 « Sacerdos..... secundum ordinem Melchisedech. » Proprie dictus sacerdos, quippe secundum ordinem Melchisedech veri ac proprie dicti sacerdotis. Gen. XIV. 18. Vide Hebr. V. 6 VII. 1, etc. Hinc enim ostendit Paulus sacerdotium leviticum, in melius sacerdotium translatum. « Secundum ordinem Melchisedech. » Cujus ordinis causas exponit apostolus locis citatis : non tamen omnes, cum ipse proficiatur a se præteriri multa, quæ imbecilles ferre non possent : Hebr. V. 11. Addunt ergo Patres uno consensu omnes, et hic Chrysostomus, panem et vinum quæ Melchisedech protulit, eucharistici sacrificii typum, quod erat christianis arcanum arcanorum.

5 « Dominus : Adonai : » non « Jehovah : » Deus tamen hic intelligendus. « A dextris tuis ; » o Christe. Sic autem Ps. XV. 8. « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Confregit : » percussit : Hier. Sic Ps. XLIV. 6. « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. » Sic Apoc. XIX. 15. « De ore » Christi « gladius..,.. ut in ipso percutiat gentes. »

6 « Judicabit : » Christus judicium exercebit : seu potius Dominus qui dixit Domino : «Sede, » etc. « Implebit ruinas : » cadavera multiplicabit : *ptômata.* » In terra multorum : » multa. Hier. Variis in regionibus impios et christiani nominis persecutores ulciscetur.

7 « De torrente..... » multa patietur. Consueta phrasi, per aquas inundantes et torrentes, dolores et incommoda designantur. « Propterea exaltabit caput. » Sic Phil. II. 8. « Humiliavit semetipsum :..... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. » Et Hebr. II. 9. « Propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.

1 « In consilio : » secreto : Hebr. Non ea dicam coram profanis, sed in cœtu populi Dei.

2 « Exquisita : » seu exquirenda, penetrando in omnes voluntates et consilia ejus. Explorata omnibus diligentibus ea : Hebr. Qui enim diligit, intelligit, teste Christo : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Joan. XIV. 21. Vide autem Ps. CXVIII. 26, etc.

5 « Escam dedit : » manna : quæ cætera Dei mirabilia in memoriam revocabat : unde in arca servari jussa. Exod. XVI. 32. Erat autem Eucharistiæ figura, quæ vere divini amoris monumentum æternum.

mor erit in sempiternum pacti sui.
Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det eis hæreditatem gentium.
Opus manuum ejus, veritas et judicium : fidelia omnia præcepta ejus,
Firmata in sempiternum jugiter, facta in veritate et æquitate.
Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum pactum suum: sanctum et terribile nomen ejus.
Principium sapientiæ timor Domini : doctrina bona cunctis qui faciunt eam : laus ejus perseverat jugiter.

Memor erit in seculum testamenti tui; 6. virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.
7. Ut det illis hæreditatem gentium. Opera manuum ejus, veritas et judicium.
8. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate et æquitate.
9. Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.
Sanctum et terribile nomen ejus.
10. Initium sapientiæ timor Domini.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in seculum seculi.

PSALMUS CXI. MORALIS.

Vir bonus, idem beatus, atque imperterritus : frendentibus impiis. *Vide* Psalmum I.

V. S. H. — *Halleluia.*

Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.
Potens in terra erit semen ejus : generatio justorum benedicetur.
Substantia et divitiæ in domo ejus; et justitia ejus perseverans semper.

Ortum est in tenebris lumen justis : clemens, et miserator, et justus.
Bonus vir clemens et fœnerans : dispensabit verba sua in judicio.
Quia in æternum non commovebitur. In memoria sempiterna erit justus.

V. V. — *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ.*

1. Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.
2. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.
3. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi.
4. Exortum est in tenebris lumen rectis : misericors, et miserator, et justus.
5. Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : 6. quia in æternum non commovebitur.
7. In memoria æterna erit justus :

6 « Annuntiabit : » annuntiavit : Hebr.
7 « Hæreditatem gentium : » Chananæorum ; quæ Abrahæ promissa : quem in finem tot a Deo edita miracula referuntur.
9 « Redemptionem misit..... » per Mosen, deinde per Christum.
10 « Initium sapientiæ timor Domini : » seu reverentia divinæ majestatis. Aug. passim : Initium, cum timetur ; perfectio, cum amatur. « Facientibus eum : » Hier. « eam : » Hebr. ea. Sic Vulgata ad timorem refert : Hier. ad sapientiam : Hebr. ad mandata Dei, de quibus v. 8.
« Reversionis Aggæi et Zachariæ ; » deest Hebr. Nec tamen absurdum hæc ab iis vel decantata, vel repetita fuisse.
1 « In mandatis : » id est, qui mandata ejus impense diligit. « Volet : » non faciet quæstu metuque adactus, sed prona ac prompta voluntate.
3 « Gloria : » substantia : Hier. rerum sufficientia et copia. « Manet in seculum seculi : » fama et exemplo, ut infra 9.
4 « Exortum est..... » exemplo aliis prælucet.
5 « Jucundus : » bonus : Hier. : *chrestos*, 70. « Disponet sermones suos in judicio : » nihil ira, nihil temere, considerate omnia.
— « Ab auditione mala : » a fama mala.

Ab auditu malo non timebit; paratum cor ejus confidens in Domino.
Firmum cor ejus non timebit; donec aspiciat in hostibus suis.

Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus permanet in æternum : cor ejus exaltabitur in gloria.

Impius videbit, et irascetur; dentibus suis frendet et tabescet : desiderium impiorum peribit.

ab auditione mala non timebit.
Paratum cor ejus sperare in Domino. 8. Confirmatum est cor ejus : non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.
9. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.
10. Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.

PSALMUS CXII. LAUDIS ET CONSOLATIONIS.

Laus Dei, humiles bonosque ex alto spectantis ac tuentis. *Vide* Canticum Annæ, I. Reg. II. et beatæ Mariæ, Luc. I. 46, etc.

V. S. H. — *Halleluia.*

Laudate, servi, Dominum : laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum, amodo et usque in æternum.
Ab ortu solis usque ad occasum ejus, laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus : supra cœlum gloria ejus.
Quis ut Dominus Deus noster, qui in excelsis habitans, humilia respicit in cœlo et in terra.
Suscitans de terra inopem, et de stercore elevat pauperem,
Ut eum sedere faciat cum principibus, cum principibus populi sui.
Qui collocat sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Halleluia.

V. V. — *Alleluia.*

1. Laudate, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.
2. Sit nomen Domini benedictum. ex hoc nunc et usque in seculum.
3. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.
4. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.
5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat. 6. et humilia respicit in cœlo et in terra?
7. Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem;
8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
9. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

PSALMUS CXIII. LAUDIS ET ADMIRATIONIS.

Magnitudo Dei populum liberantis : vanitas idolorum.

V. S. H.

Cum egrederetur Israel de Ægypto; domus Jacob de populo barbaro:
Factus est Judas in sanctificatione ejus, Israel potestas ejus.

V. V. — *Alleluia.*

1. In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro;
2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.

8 « Confirmatum est cor ejus : non commovebitur » « firmum cor ejus non timebit; Hier.
1 « Pueri, Dominum : » servi Domini : Hebr.
3 « A solis ortu..... » a mane usque ad vesperam.
9 « Qui habitare facit..... » Qui sterilem facit fœcundam, ut Annam, ut Elisabetham.
2 « Judæa : » Judas, Hebr. Et nota jam inde ab egressu Ægyptiaco Judæ dignitatem.
Sanctificatio ejus : « populus Domino sanctus : hæreditas ejus.

Mare vidit, et fugit : Jordanis conversus est retrorsum.

Montes subsilierunt quasi arietes, colles quasi filii gregis.

Quid tibi est, mare, quia fugisti : Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes, subsultastis quasi arietes, colles, quasi filii gregis?

A facie Domini contremiscit terra, a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in paludes aquarum, silicem in fontes aquarum.

3. Mare vidit, et fugit : Jordanis conversus est retrorsum :

4. Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.

5. Quid est tibi, mare, quod fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?

6. Montes exultastis sicut arietes, et colles, sicut agni ovium?

7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob;

8. Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

PSALMUS CXV

Secundum Hebræos.

SPEI ET GRATULATIONIS IN DEUM.

Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam : propter misericordiam tuam et veritatem tuam.

Ne dicant gentes : Ubi est Deus eorum? Deus autem noster in cœlo : universa quæ voluit, fecit.

Idola gentium argentum et aurum, opus manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : nasum habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt, pedes habent et non ambulabunt : nec sonabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Israel confidit in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Domus Aaron confidit in Domino, auxiliator et protector eorum est.

Timentes Dominum confidunt in Domino : auxiliator et protector eorum est.

1. Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

2. Super misericordia tua, et veritate tua, nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

3. Deus autem noster in cœlo : omnia quæcumque voluit, fecit.

4. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

5. Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

6. Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt.

7. Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.

8. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

9. Domus Israel speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

10. Domus Aaron speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

11. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

4 « Montes exultaverunt..... » succussi sunt, id est, populi montium incolæ timuerunt. Sic in Cantico Moysis, Exod. xv, 14, 15. « Ascenderunt populi, et irati sunt, » etc. « Conturbati sunt principes Edom, » etc.

1 « Non nobis . . . » Hic incipit Ps. cxv. secundum Hebræos. Hieronymus tamen non dividit, nisi error est in editis. Sic enim Hier. non cx. Psalmos haberet, sed tantum cxiix. Et cum antecedentibus facile connectitur, ne scilicet populus, tot Dei miraculis clarus, gloriam sibi potius, quam Deo tribuat.

9 « Domus Israel : » Israel simpliciter : Hebr.

Dominus recordatus est nostri : benedicet domui Israel, benedicet domui Aaron.

Benedicet timentibus Dominum, parvis et magnis.

Addat Dominus super vos, super vos et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœlorum Domino : terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt Dominum; nec omnes qui descendunt in silentium.

Sed nos benedicemus Domino, amodo et usque in æternum : halleluia.

12. Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

13. Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.

14. Adjiciat Dominus super vos, super vos, et super filios vestros.

15. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.

16. Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.

17. Non mortui laudabunt te, Domine; neque omnes qui descendunt in infernum.

18. Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in seculum.

PSALMUS CXIV. EUCHARISTICUS.

Quidam a periculo liberatus, Deo gratias agit. Hic autem Psalmus cum sequente connectitur in Heb. Syr. et apud Hier. Dividit Theodor. indicans tamen in Heb. non dividi, continuatique esse sensus.

V. S. H.

Dilexi, quoniam exaudit Dominus vocem deprecationis meæ.

Inclinavit aurem suam mihi et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me funes mortis, et munitiones inferni invenerunt me : angustiam et dolorem reperi.

Et nomen Domini invocavi; obsecro, Domine, libera animam meam.

Clemens Dominus, et justus; et Deus noster misericors.

Custodit parvulos Dominus : attenuatus sum, et salvavit me.

Revertere, anima mea, in requiem meam quia Dominus reddet tibi.

V. V. — *Alleluia.*

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

2. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.

3. Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni :

4. et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam :

5. misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.

6. Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me.

7. Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi :

12 « Et benedixit nobis : » benedicet : benedicet domui Israel, etc. Hebr. 70. parvo discrimine : alterum enim optantis, alterum jam gesta memorantis, et futura certa spe præcipientis.

14 « Adjiciat Dominus : » vos et posteros opibus et numero augeat. Sic Flaccus Carmine ciulari :

Romulæ genti date remque prolemque,
Et decus omne.

17 « In infernum : » in silentium : Hebr. in sepulcrum et mortem.

18 « Qui vivimus : » deest Hebr.

1 « Dilexi, quoniam .... » diligo Dominum, cum exaudit me : et libentissime vocor.

2 « In diebus meis : » quamdiu vivam.

3 « Pericula inferni : » angustiæ inferni : Hebr.

6 « Humiliatus sum : » attenuatus sum, et salvavit me : Hier.

7 « Convertere : » revertere : idem. Curas abjice, et quiesce in Domino

Quia eruet animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos ab offensa.

Deambulabo coram Domino, in terris viventium.

8. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

9. Placebo Domino, in regione vivorum.

PSALMUS CXV. ITEM EUCHARISTICUS.

V. S. B. — V. V. — *Alleluia.*

Credidi, propter quod locutus sum : ego afflictus sum nimis.

10. Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in stupore meo : Omnis homo mendacium.

11. Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.

Quid reddam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?

12. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

13. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.

14. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus :

Gloriosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

15. pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

Obsecro, Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, filius ancillæ tuæ. Dissolvisti vincula mea :

16. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Tibi immolabo hostiam laudis, et in nomine Domini invocabo.

Dirupisti vincula mea :

17. tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus,

18. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus,

In atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem : halleluia.

19. in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

8 « Eripuit : » eripuisti : Hebr. « A lapsu : » ab offensa : Hier.

9 « Placebo : » deambulabo coram Domino : Idem : eodem sensu. « Ambulavit Henoch cum Deo : » Gen. v. 24. quod est, placuit : idem de Noe : Gen. vi. 9. « In regione vivorum : » inter vivos.

10 « Credidi : » credidi quæ supra, si sit idem cum superiore. Utcumque est, credidi, ideo locutus sum; nihil loquor nisi ex certa puraque fide, ut interpretatur Paulus : II Cor. iv. 13, 14.

11 « In excessu meo : » *ecstasei :* Aquila : in stupore, ut et Hier. et Theodot. Anxius ac mœrens. Omnes denique intelligunt vehementem animi motum, quem etiam locus postulat. Alii simplicius, ac frigidius : Cum excederem, pulsus a proditoribus ; quasi diceret : Omnibus hominibus fidem fallentibus, soli Deo salutem debeo. Vide Ps. xxx. 23.

13 « Calicem : » gratias agam pro salute, libato calice, ut David aqua illa Bethlehemitica. II. Reg. xxiii. 17.

15 « Pretiosa : » gloriosa : Hier. *timios*, 70. quod utrumque significat. « Pretiosa.... mors sanctorum ejus : » Deo accepta, et hominibus venerabilis : quo ex loco docent sancti patres, quam honori habenda sint ipsa monumenta, ipsæ reliquiæ sanctorum ; præsertim vero martyrum, quorum mors eo est pretiosior, quo fidei testis.

PSALMUS CXVI. EUCHARISTICUS ET PROPHETICUS.

Vocatio gentium, Rom. xv. 11. qua omnia Dei promissa firmantur.

V. S. II.	V. V. — *Alleluia.*
Laudate Dominum, omnes gentes; collaudate eum, universi populi.	1. Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi.
Quia confortata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini in æternum. Halleluia.	2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.

PSALMUS CXVII. EUCHARISTICUS.

David, post tot pericula a tribubus adunatis rex agnitus, sacros cœtus ingreditur, ibique faustis excipitur acclamationibus. *Vide* II. Reg. v. Jesus Hierosolymis ut Christus accipitur; mox suscitatus a mortuis, regnum æternum ingreditur.

V. S. II.	V. V. — *Alleluia.*
Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.	1. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus.
Dicat nunc Israel, quoniam in æternum misericordia ejus.	2. Dicat nunc Israel quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus.
Dicat nunc domus Aaron, quoniam in æternum misericordia ejus.	3. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia ejus.
Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus.	4. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia ejus.
Cum tribularer, invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.	5. De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.
Dominus meus es, non timebo quid faciat mihi homo.	6. Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.
Dominus mihi auxiliator, et ego despiciam odientes me.	7. Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos.
Melius est sperare in Domino, quam sperare in homine.	8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.
Melius est sperare in Domino, quam sperare in principibus.	9. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.
Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum eas.	10. Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

2 « Confirmata..... et veritas Domini. » Promiserat enim Abrahamo Deus futurum, ut per Christum, benedictum illud Abrahami semen, benedicerentur omnes gentes. Gen. XII. 3. XXII. 18. interprete apostolo, Gal. III. 16. Quod cum præstitum videamus, jam intelligimus vere advenisse Christum, ac promissa Dei firma esse omnia.

2 « Quoniam bonus : » deest Hier.

5 « Exaudivit me in latitudine : » ex angustiis in latitudinem ac libertatem deduxit.

6 « Dominus mihi adjutor : » Dominus meus es : Hier.

8 « Bonum est..... quam : » melius, hebraismus.

Circumdederunt me, et obsederunt me : sed in nomine Domini, quia ultus sum eas.

Circumdederunt me quasi apes, extinctæ sunt quasi ignis spinarum ; in nomine Domini, quia ultus sum eas.

Inpulsus pellebar ut caderem ; et Dominus sustentavit me.

Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus ; et factus est mihi in salutem.

Vox laudis et salutis in tabernaculis justorum. Dextera Domini fecit fortitudinem :

Dextera Domini excelsa, dextera Domini fecit fortitudinem.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

Corripiens arguit me Dominus, et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini; justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, et hoc est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea.

Obsecro, Domine, salva, obsecro : obsecro, Domine, prosperare, obsecro.

Benedictus qui venit in nomine Domini : benediximus vobis de domo Domini.

11. Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

12. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

13. Inpulsus eversus sum ut caderem; et Dominus suscepit me.

14. Fortitudo mea, et laus mea Dominus; et factus est mihi in salutem.

15. Vox exultationis et salutis, in tabernaculis justorum.

16. Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

17. Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

18. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.

19. Aperite mihi portas justitiæ; ingressus in eas confitebor Domino.

20. Hæc porta Domini; justi intrabunt in eam.

21. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

23. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

24. Hæc est dies, quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea.

25. O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare. 26. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini : 27. Deus Dominus, et illuxit nobis.

11 « Circumdederunt me.... » Licet obsederint me, exasperatis odiis, conjunctisque viribus, tamen victor evasi.

12 « Exarserunt sicut ignis in spinis : » tam facile, ac spinæ correptæ crepitantibus flammis : at Hebr, extincti sunt, facile deficient, ut ignis in levi spinarum materia. « Ultus sum in eos : » succidam eos; Hebr. vices reddidi eis : Eo.

13 « Eversus sum : » pellebar ; Hier.

19 « Portas justitiæ : » ac sanctitatis, id est, templi, sive tabernaculi atque altaris, nec modo altaris, sed etiam virtutis, per quam verus est accessus ad Deum Theodor.

22 « Lapidem .. in caput anguli. » Factus est lapis angularis et primarius in fundamento, duos parietes jungens, David a Saule et aliquandiu a decem tribubus reprobatus, ac soli tribui Judæ agnitus, deinde omnium princeps, et sub figura ejus Christus a Judæis ac gentibus impetitus, mox utrorumque caput, ut ipse interpretatur : Matt. XXI. 42. Vide apud Isaiam XXVIII. 16. lapidem illum probatum ; angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, id est, Christum, Act. IV. 11. Rom. IX. 33. I. Pet. II. 6.

25 « Salvum me fac : » salva, obsecro : Hier. « Hoschia-na : » Hebr. quod est nobile illud « hosanna : » Matt. XXI. 9. de quo vide Hier. in epist. ad Damasum.

Deus Dominus, et apparuit nobis; frequentate solemnitatem in frondosis, usque ad cornua altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor Domino, quoniam bonus; quoniam in æternum misericordia ejus.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

28. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

29. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in seculum misericordia ejus.

PSALMUS CXVIII. MORALIS: CONSOLATORIUS.

David exul et vagus, atque omnimode sub Saule vexatus, in divinæ legis meditatione respirat. Id autem agit, ut non modo se ad observandam legem incitet quam vehementissime, verum etiam gratiam Dei ad id opus exequendum summe necessariam, nec tantum ad intelligendam, sed etiam ad diligendam legem, pari studio commendet ac petat. *Vide* v. 18, 26, 32, 34 et seq. Legem variis appellat nominibus, diverso respectu: Verbum, communi nomine omnibus divinæ veritatis significationibus; quodque idem est, Eloquia et Sermones: Legem speciatim, qua Deus docet quid agendum sit: Viam, qua Deo duce ingrediamur ad vitam: Mandatum seu Præceptum, quo Deus quid velit significat: unde Testimonium, quo credimus ejus institutis et promissis; et simile conscientiæ testimonium agnoscimus; tum etiam ad convincendos impios. Quæ omnia, Justitiæ quoque, seu Justificationes dicuntur, quibus justi simus, et ad æquum rectumque, animum componamus: deinde Judicia, quibus pro operibus aut pœnam aut mercedem capiamus. *Vide* Theodor. hic, et in Psalmum XVIII. 11. Lex, doctoris, domini, judicis, testis officio fungitur. Justificationes hic ubique sunt statuta: huccim ז Heb. Est autem hic Psalmus acrosticus octonarius. Dividitur enim in partes viginti duas, juxta numerum hebraicarum litterarum, et pars unaquæque octo versus continet ab eadem littera incipientes, juxta ordinem alphabeti. Porro hunc Psalmum, quanto videtur apertior, tanto profundiorem videri sibi testatur Aug. nec dissentiunt reliqui.

V. S. H.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Beati qui custodiunt testimonia ejus: in toto corde requirunt eum.

Nec enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

V. V. — *Alleluia.*

ALEPH.

1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

2. Beati qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

27 « Constituite diem solemnem..... » Ligate solemnitatem densis usque, etc. Hier. ligate victimam solemnem densis funibus, ut ad usque cornua altaris perducatis. « In condensis..... » in frondosis: Hier. ramis obvelate atria Domini.

1—2 « Beati..... » Cum beati omnes esse velimus, summa vitæ humanæ est, intelligere quo fine beata fiat. Inde ergo incipit Psalmus; altero item versu ingeminat et inculcat. « Beati qui scrutantur..... » qui custodiunt: Hier. « In toto corde; » non otiose et somnolenter, sed strenue vigilanterque. Comm. Hier.

3 « Non enim qui operantur iniquitatem..... » Quasi diceret: sunt qui vano quodam affectu magna de Deo ejusque lege cogitantes, satis putant se esse pios, cum interim in gravia peccata prolabantur: sed illi falsi sunt, quos coarguit apostolus, quod cum in lege requiescant et glorientur, per prævaricationem legis Deum inhonorent. Rom. II. 17 et 23.

Tu mandasti præcepta tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodienda præcepta tua.

Tunc nunc confundar, cum respexero ad omnia mandata tua.

Confitebor tibi in directione cordis: cum didicero judicia justitiæ tuæ.

Præcepta tua custodiam: ne derelinquas me nimis.

In quo corrigit juvenis semitam suam, cum custodierit verba tua.

In toto corde meo exquisivi te: ne errare me facias a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Benedictus tu, Domine, doce me præcepta tua.

In labiis meis narravi omnes justitias oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, quasi in omnibus divitiis.

In præceptis tuis meditabor, et contemplabor semitas tuas.

In justitiis tuis delectabor: non obliviscar verba tua.

Retribue servo tuo: vivam, et custodiam verba tua.

Revela oculos meos, et videbo mirabilia de lege tua.

4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

8. Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

BETH.

9. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

10. In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.

11. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

12. Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.

13. In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

15. In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.

16. In justificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.

GIMEL.

17. Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.

18. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.

4 « Tu mandasti.... »

5 « Utinam dirigantur..... » His ostendit observantiam legis, et summe esse necessariam, et æque difficilem; imo nec potestatis humanæ, nisi Deus adjuvet; unde ad vota convertitur. Vide v. 20.

6 « Tunc non confundar..... in omnibus..... » Non aliqua, sed omnia observanda sunt: cum, teste Jacobo, qui in uno offendit, factus sit omnium reus; Jac. II. 10.

7 « In directione cordis: » recto corde.

8 « Non me derelinquas usquequaque: » semper. Et si ad tempus relinquimur, non tamen usquequaque, ut perea mus Comm. Hier.

10 « Ne repellas me: » ne errare facias, etc. Hier. ne errare me sinas; in Scripturis usitatissimum.

13 « Pronuntiavi: » narravi: Idem.

15 « Exercebor: » meditabor: Idem.

16 « Meditabor: » delectabor: Idem.

18 « Revela oculos meos: » aperi, dispelle umbras, tolle velamentum, quo spirituales oculi conteguntur. « Considerabo mirabilia: » ut penitus introspiciam, non litteram tantum, ac velut corticem legis, sed arcana spiritualia, puta in sabbatis requiem sempiternam, simplicitatem in azymis, in victimis obedientiam, et ubique Christum. « Revela » autem, « et considerabo: » sicut infra 34. « Da mihi intellectum, et scrutabor, » etc. His omnibus docet Dei gratiam esse necessariam, primum ad intelligendam legem, ut ad diligendam sequentia demonstrabunt. Unde v. 35. « Deduc me in semitam mandatorum. .. » et 36. « Inclina cor meum in testimonia tua. »

Advena ego sum in terra : ne abscondas a me mandata tua.

Desideravit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore.

Increpasti superbos : maledicti qui recedunt a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium et contemptum : quoniam testimonia tua custodivi.

Etenim sederunt principes ; adversum me loquebantur : servus autem tuus meditabatur præcepta tua.

Sed et testimonia tua voluntas mea, quasi viri amicissimi mei.

Adhæsit pulveri anima mea, vivifica me juxta verbum tuum.

Vias meas exposui, et exaudisti me : doce me justitiam tuam.

Viam præceptorum tuorum fac me intelligere, et loquar in mirabilibus tuis.

19. Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.

20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.

21. Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.

22. Aufer a me opprobrium et contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

23. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

24. Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.

DALETH.

25. Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.

26. Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.

27. Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.

19 « Incola : » advena : Hier. peregrinus, ut Jacob, et cæteri patriarchæ ; Gen. XLVII. 9. Hebr. XI. 13, 14. « Incola ego sum in terra : » terram universam habeo pro exilio. « Non abscondas a me mandata tua. » Nemo enim, nisi peregrinus et ad æterna suspirans, cognitione mandatorum Dei et dignus. Hil.

20 « Concupivit... » Quidam simpliciter : vehementissime desideravi ; quale est illud. « Concupierunt concupiscentiam : » Ps. CV. 14 ut et illud « vita vives, morte morieris : » et Poeta, « Æneid. XII. »

..... Hunc, oro, sine me furere ante furorem.

Quin ipse Dominus, « desiderio desideravi : » Luc. XXII. 15. Verum aliud est : « Desiderio desideravi, » quod est perfecte et plene desiderantis ac volentis ; aliud, « concupivi desiderare, » quod est optantis quidem, sed nondum plene volentis ; melius ergo, æger animus ac languidus concupiscit desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium. Aug. Ambrosius vero ; concupiscimus desiderare, quod non sit potestatis nostræ desiderium, sed gratiæ Dei.

22 « Aufer a me opprobrium..... quia testimonia tua exquisivi : » custodivi : Hier. non se potestate, non divitiis, nec principum gratia commendari petit, sed quæ vera laus est, executione mandatorum Dei, a quibus colendis nec destitit, cum omnibus ejus pietas probro haberetur, ut sequens indicat.

23 « Sederunt principes.... » Non illi prosperanter, ac velut in transcursu maledictis me incessebant, sed destinato animo, in familiaribus quibuscumque colloquiis, atque etiam in consessu publico. Ps. XLIX. v. 20.

24 « Meditatio mea est : » voluntas mea. « Consilium meum : » consiliarii mei, quasi viri amicissimi mei : Hier. Cum aliquid agendum, legem consulo, eam ubique adhibeo consiliariam, ac vere amicam quæ nusquam fallat, nusquam adulatur. « Justificationes tuæ : » deest Hebr.

25 « Adhæsit pavimento : » pulveri : Hier. ut XLIII. 25. « Humiliata est in pulvere anima nostra : conglutinatus est in terra venter noster. »

26 « Vias meas enuntiavi : » peccata confessus sum. « Doce me justificationes tuas : » sic et v. 27. et toto Ps. passim doceri petit : non sono et syllabis, jam enim eo modo doctus, sed infuso intus spiritu sanctæ dilectionis, quem qui habent, vere sunt docti a Deo. Joan. VI. 45.

Distillavit anima mea præ stultitia: serva me juxta eloquium tuum.

Viam mendacii aufer a me, et legem tuam dona mihi.

Viam fidei elegi: judicia tua proponebam.

Adhæsi testimoniis tuis: Domine, ne confundas me.

Viam mandatorum tuorum curram, quoniam dilatasti cor meum.

Ostende mihi, Domine, viam præceptorum tuorum, et custodiam eam per vestigium.

Doce me, et observabo legem tuam, et custodiam eam in toto corde.

Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum ad testimonia tua, et non ad avaritiam.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

Suscita servo tuo eloquium tuum, in timorem tuum.

Averte opprobrium meum, quod reveritus sum, quia judicia tua bona.

Ecce desideravi præcepta tua: in justitia tua vivifica me.

28. Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.

30. Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.

31. Adhæsi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

HE.

33. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.

34. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam; et custodiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

36. Inclina cor meum in testimonia tua; et non in avaritiam.

37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

38. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum quia judicia tua jucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.

28 « Dormitavit.... » distillavit : Hier. diffluit præ mœrore. Hoc tædium Cassian. Instit. x. 4. interpretatur de acediæ spiritu, quo æger animus fastidio rerum spiritualium in otium ac desidiam solvitur; tum inquietus et vagus ad sensuum solatia defluit; qui spiritus ubi primum obrepit, tunc petendum a Domino ut fluxam confirmet fidem, et verbo divino inducat illud gaudium, quod præcipit apostolus. Phil. IV. 4.

29 « Viam iniquitatis.... » mendacii : Hier. « De lege tua miserere. » doce me misericorditer viam tuam.

30 « Non sum oblitus : » proponebam : Hier. supp. mihi.

32 « Cucurri : » curram : Idem. « Cum dilatasti cor meum : » infuso spiritu sanctæ dilectionis ac delectationis.

33 « Legem pone : » ostende : Hier. doce. « Exquiram.... » Custodiam eam per vestigia : Idem : id est, ad calcem, ad finem usque. Infra, 112.

35 « Deduc me in semitam mandatorum.... » Jam ergo executio legis a Dei est gratia; sed ne quis voluntatem exequendæ legis sibi a se esse putet, eo quod dixerit; « quia ipsam volui : » subdit :

36 « Inclina cor meum in testimonia tua; » hoc est, tu, quo duce volui, deduc me ut perficiam. « Et non in avaritiam : » et hoc tuum est, ne a veris sempiternisque, ad vana et caduca bona declinemus.

37 « Vanitatem : » res vanas, inutiles.

38 « Statue : » suscita : Hier. Suscita promissa tua de me dilata jamdiu, fac ut impleantur tandem : sicut scriptum est : « Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens : » Isa. XLIV. 26. « In timore tuo : » in timorem tuum : Hier. Ad reverentiam tui ingenerendam animis.

39 « Amputa : » averte : Hier. « Quod suspicatus sum : » quod reveritus sum : Hier. quod timui. Tolle suspicionem infidelitatis erga regem aut patriam, quam David vehementissime refugiebat. I. Reg. XXIV. 10. « Jucunda : » bona, mihi scilicet. Judiciis tuis delectatus; ab his sceleribus abhorreo.

Et veniant mihi misericordiæ tuæ, Domine, et salus tua juxta eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi sermonem : quia speravi in sermone tuo.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usque nimis : quoniam judicia tua expectavi.

Et custodiam legem tuam jugiter, in sempiternum, et ultra.

Et ambulabo in spatioso : quia præcepta tua quæsivi.

Et loquar in testimoniis tuis coram regibus : et non confundar.

Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi, et loquar in præceptis tuis.

Memento sermonis servo tuo; quem me sperare fecisti.

Hæc est consolatio mea in afflictione mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi deridebant me nimis : a lege tua non declinavi.

Recordatus sum judiciorum tuorum a seculo, Domine, et consolatus sum.

Horror obtinuit me ab impiis, qui dereliquerunt legem tuam.

Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ.

Recordatus sum in nocte nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam.

VAU.

41. Et veniat super me misericordia tua, Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum.

42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.

44. Et custodiam legem tuam semper : in seculum et in seculum seculi.

45. Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

46. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum : et non confundebar.

47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi : et exercebar in justificationibus tuis.

ZAIN.

49. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

50. Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

51. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

52. Memor fui judiciorum tuorum a seculo, Domine, et consolatus sum.

53. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55. Memor fui nocte nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam.

43 « In judiciis tuis supersperavi ;» speravi super judicia tua : hæc mihi spei fulcimenta.

46 « Regum : » Saul; Achis regis Geth; regis Moab, etc.

48 « Levavi manus meas; » ex vehementi desiderio manus admovi ad opus. « Exercebar..., » meditabar : supra 15.

50 « Hæc : » hoc : hæc res : verbum tuum scilicet mihi solatio fuit : infra 52. Sic v. 56.

51 « Inique agebant.... » deridebant me nimis : Hier.

53 « Defectio : » horror : Hier. « Pro peccatoribus : » ab impiis : Idem Cum video delinquentes, tuaque judicia contemnentes, cohorresco totus, tantam hominibus inesse amentiam, stuporem tantum.

54 « Cantabiles : carmina : » Hier. cantica, suave canendi argumentum.

Hoc factum est mihi : quia præcepta tua custodivi.

56. Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

HETH.

Pars mea, Domine, dixi, ut custodiam verbum tuum.

57. Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum vultum tuum in toto corde : miserere mei secundum eloquium tuum.

58. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.

Recogitavi vias meas : et converti pedes meos ad testimonia tua.

59. Cogitavi vias meas : et converti pedes meos in testimonia tua.

Festinavi, et non neglexi custodire mandata tua.

60. Paratus sum, et non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

Funes impiorum inplicaverunt me : legem tuam non sum oblitus.

61. Funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus.

Medio noctis surgam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ.

62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

Particeps sum ego omnium timentium te, et custodientium præcepta tua.

63. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, completa est terra, præcepta tua doce me.

64. Misericordia tua, Domine, plena est terra : justificationes tuas doce me.

TETH.

Benefecisti servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.

65. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.

Bonum sermonem, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

66. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

Antequam audirem ego ignoravi : nunc autem eloquium tuum custodivi.

67. Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu, et beneficus : doce me præcepta tua.

68. Bonus es tu; et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Applicabant mihi mendacium superbi ; ego autem in toto corde meo servabam præcepta tua.

69. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Incrassatum est velut adeps cor eorum ; et ego in lege tua delectabar.

70. Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia afflictus sum, ut discerem præcepta tua.

71. Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.

56 « Hæc facta.... » hoc : notus hebraismus, ac sæpe memorandus.

57 « Legem tuam : » verbum : Hier.

60 « Paratus sum : festinavi, » et non neglexi : Idem.

61 « Funes peccatorum.... » impiorum : Idem. Funes autem sunt eorum malevola et dolosa consilia, quibus viri boni ac simplices capiuntur.

62 « Justificationis... » justitiæ : Hier.

65 « Bonitatem.... » benefecisti : Idem.

66 « Bonitatem.... » bonum sensum : Heb.

68 « Bonus es tu; et in bonitate tua ... » bonus es tu, et beneficus : Hier.

69 « Multiplicata est... » Superbi dolos consuerunt adversum me : Heb. « Ego autem.... scrutabor.... » servabam : Hier.

70 « Coagulatum est.... » incrassatum est velut adeps cor eorum : Idem.

Melior est mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

Manus tuæ fecerunt me, et firmaverunt me : doce me, et discam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur : quia sermonem tuum expectavi.

Scio, Domine, quia justum judicium tuum, et vere affligisti me.

Sit, obsecro, misericordia tua in consolatione mea, sicut locutus es servo tuo.

Veniant mihi misericordiæ tuæ, et vivam : quia lex tua delectatio mea.

Confundantur superbi, quoniam inique contriverunt me : ego autem loquar in præceptis tuis,

Revertantur ad me qui timent te, et qui sciunt testimonium tuum.

Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, ut non confundar.

Defecit in salutare tuum anima mea, in verbum tuum expectavi.

Consumpti sunt occuli mei in verbum tuum, dicentes : Quando consolaberis me?

72. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

JOD.

73. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum, et discam mandata tua.

74. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

75. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me.

76. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

77. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est.

78. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

CAPH.

81. Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.

82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?

73 « Plasmaverunt ; » firmaverunt : Idem, compegerunt.

75 « In veritate tua humiliasti me : » juste affligisti.

76 « Fiat misericordia ... » sit, obsecro, etc. Hier.

77 « Meditatio : » delectatio : Idem, ut jam sæpe, eodem sensu : cum quæ diligimus et quibus delectamur, eadem etiam cogitemus.

78 « Iniquitatem fecerunt.... » contriverunt me : Idem.

79 « Convertantur : » revertantur ad me : Idem.

81 « Defecit in salutare tuum anima mea : » « Amor impatiens... si diutius potiundi desideria differantur, ipsa deficit expectatione dum sperat.... Et quidquid et desirabile, si non contingat desideranti, deficit in illud ; et quasi ipsam deponit animam qui desiderat.... Id est ergo deficere, ad id unumquemque totis studiis migrare, quod diligit... Illud cogitat, illi adhæret, illud personat quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur. » Amb. (serm. XI. in Psal. CXVIII. n. 3.) « In salutare tuum.... » Idem Ambrosius : « Sanctus et timens Deum nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Jesus : illum concupiscit, illum desiderat : in illum totis intendit viribus : illum gremio mentis fovet : illi se aperit et effundit : et hoc solum veretur, ne illum possit amittere. » (Ibid. n. 4.)

82 « Defecerunt oculi mei : » Ambrosius : « Nonne quando aliquem desideramus et speramus adfore, eo dirigimus oculos unde speramus esse venturum?.... Sic teneræ uxor ætatis, de specula littorali, indefessa expectatione conjugis præstolatur adventum ; ut quamcumque navim viderit, illic putet conjugem navigare, metuatque ne videndi gratiam dilecti alius antevertat, nec ipsa possit prima dicere, video te, marite. » Vide reliqua apud Ambrosium (ibid. n. 9.), ejusdem plane spiritus ; nec tamen potui temperare, quin hæc exscriberem. Sic affectus est quisquis cum Paulo dissolvi cupit et esse cum Christo. Phil. I. 23. Sic denique qui semel gustato bono Dei verbo, ut idem Paulus ait, sibi postea relictus, deficit tædio sui, ac reddi sibi postulat

Et cum essem quasi uter in pruina, præcepta tua non sum oblitus.

83. Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui : quando facies in persequentibus me judicium ?

84. Quot sunt dies servi tui : quando facies de persequentibus me judicium ?

Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam.

85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua vera : falso persecuti sunt me, auxiliare mihi.

86. Omnia mandata tua veritas : inique persecuti sunt me, adjuva me.

Paulominus consumpserunt me in terra : ego autem non dimisi præcepta tua.

87. Paulominus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me : et custodiam testimonia tua oris tui.

88. Secundum misericordiam tuam vivifica me : et custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

In æternum, Domine, verbum tuum perstat in cœlo.

89. In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

In generatione et generatione fides tua : fundasti terram, et stat.

90. In generationem et generationem veritas tua : fundasti terram, et permanet.

Judicio tuo stant usque hodie : quia omnia serviunt tibi.

91. Ordinatione tua perseverat dies : quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua delectatio mea, forte periissem in pressura mea.

92. Nisi quod lex tua meditatio mea est ; tunc forte periissem in humilitate mea.

In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum, quia per ipsa vivificasti me.

93. In æternum non obliviscar justificationes tuas : quia in ipsis vivificasti me.

prægustatam suavissimi amoris dulcedinem. « Oculi mei ... dicentes.... » Quisquis amat Deum, legemque ac veritatem ejus, non tantum verbis, sed etiam toto corpore, ac maxime oculis in altum sublatis, ac præ attentione deficientibus, loquitur.

83 « In pruina : » in fumario : Heb. in camino. Factus sum exsuccus et macilentus. « Justificationes tuas non sum oblitus : » tametsi languidus, ac mœrens, atque a te desertus ad tempus, tamen tui non obliviscor ; quæ vera est caritas, etiam deserenti ac velut fugienti inhærere, exemplo Christi derelicti ac dicentis : « Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? » Psalm. XXI. 2.

84 « Quot sunt dies... » quousque differs auxilium tuum? En vita mea elabitur ; an mortem meam expectas, ut me liberes?

85 « Narraverunt.... fabulationes.... » Ad ingenium suum multa commenti sunt ; nec tamen omnia sibi jucunda fingentes, æquare potuerunt bona, quæ tua lex revera præstat. At Heb. a quo non abludit Hier. Foderunt mihi foveas, quod non secundum legem tuam. Fabulationes vero, sive meditationes, ut alibi sæpe Vulgata vertit, et foveæ, in Heb. non nisi levi puncto distant.

87 « Paulominus consummaverunt me..... » consumpserunt : Idem. parum abfuit quin me consumerent.

89 « In æternum, Domine..... » Legi qua nos Deus dirigit, interserit eas leges quibus universum orbem continet ; ut Ps. XVIII. Quemadmodum enim cœlum ac terra æterna et incommutabili lege tenentur ; ita et longe magis fideles oportet obtemperare legi quam Deus tradidit.

90 « Veritas : » veracitas : Heb. fides, et ita fere.

91 « Ordinatione tua..... » Judicio tuo stant usque hodie : Hier. cœlum et terra, de quibus supra 89, 90.

92 « Nisi quod lex tua meditatio..... » Delectatio mea est : Hier. « Tunc forte periissem in humilitate mea : » in pressura mea. Idem. tot inter calamitates, me et constantia et vita ipsa deficeret.

Tuus ego sum; salva me : quoniam præcepta tua quæsivi.

Me expectaverunt impii ut perderent me; testimonium tuum considerabo.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

Quam dilexi legem tuam! tota die meditatio mea.

Super inimicos meos instruis me mandato tuo : quia in sempiternum hoc est mihi.

Super omnes qui docebant me eruditus sum : quia testimonia tua meditatio mea.

Super senes intellexi : quia præcepta tua servavi.

Ab omni semita mala prohibui pedes meos : ut custodirem verba tua.

A judiciis tuis non recessi : quia tu illuminasti me.

Quam dulce gutturi meo eloquium tuum! super mel ori meo.

Præcepta tua considerabam : propterea odivi omnem semitam mendacii.

Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semitæ meæ.

Juravi, et perseverabo; ut custodiam judicia justitiæ tuæ.

Afflictus sum usque nimis : Domine, vivifica me juxta verbum tuum.

Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine; et secundum judicia tua doce me.

Anima mea in manu mea semper; et legis tuæ non sum oblitus.

94. Tuus sum ego, salvum me fac : quoniam justificationes tuas exquisivi.

95. Me expectaverunt peecatores ut perderent me : testimonia tua intellexi.

96. Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

MEM.

97. Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.

100. Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos : ut custodiam verba tua.

102. A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

104. A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

NUN.

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

106. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

107. Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum.

108. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me.

109. Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus.

96 « Omnis consummationis..... » Omnis structuræ vidi finem : amplum mandatum tuum nimis. Symm. apud Theodor. id est, quæ facta sunt omnia finem habent; at mandatum tuum amplum et immortale. Theodor.

97 « Quomodo dilexi : » quam dilexi : Hier.

98 « Super inimicos.... prudentem..... » doctiorem, prudentiorem : non astutia et dolis, sed mandato tuo in quo omnis sapientia est. « In æternum mihi est : » pars hæc mea in æternum.

100 « Super senes. Hinc credibile est, hæc juvenem cecinisse. Vide infra, 141.

102 « Legem posui : » illuminasti me : Hier. docuisti.

104 « Intellexi : » doctus factus sum : Heb.

106 « Statui » perseverabo : Hier. firmiter præstabo : stabo juramentis.

108 « Voluntaria. voluntarias oblationes : vota.

109 « Anima mea in manibus.... » Maris periculo quotidie objicior : hebraismus : quasi vita enivis ad rapiendum exposita · idque ultro, ut videtur : quemadmodum Jonathas de ipso Davide

Posuerunt impii laqueum mihi : et a præceptis tuis non aberravi.

110. Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

Hæreditas mea testimonia tua in sempiternum : quia gaudium cordis mei sunt.

111. Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ut facerem justitias tuas, propter æternum retributionem.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

SAMECH.

Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi.

113. Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.

Protectio mea et scutum meum tu es, verbum tuum expectavi.

114. Adjutor, et susceptor meus es tu : et in verbum tuum superspéravi.

Recedite a me, maligni, et custodiam mandata Dei mei.

115. Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.

Confirma me secundum verbum tuum, et vivam : et noli me confundere ab expectatione mea.

116. Suscipe me secundum eloqoium tuum, et vivam : et non confundas me ab expectatione mea.

Auxiliare mihi, et salvus ero, et delectabor in præceptis tuis jugiter.

117. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.

Abjecisti omnes qui aversantur præcepta tua : quia mendax cogitatio eorum.

118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum.

Quasi scoriam computasti omnes impios terræ : propterea dilexi testimonia tua.

119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

Horripilavit a timore tuo caro mea : et judicia tua timui.

120. Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.

AIN.

Feci judicium et justitiam : ne derelinquas me his qui calumniantur me.

121. Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.

Sponde pro servo tuo in bonum : ne calumnientur me superbi.

122. Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.

loquitur ad Saulem : « Posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum. » I. Reg. XIX. 5. « Et legem tuam..... » nec sic tamen a lege tua ullo metu deterreri me sino.

111 « Hæreditate.... » hæreditas mea, testimonia tua : Hier. ut supra, 98.

112 « Propter retributionem : » Heb. usque in finem. Licet jam dixerit in seculum, quod est vehementer affirmantis, potest etiam verti, ut Hier. et ut Vulg. « Propter retributionem : » propter te ipsum, qui es « merces » nostra « magna nimis. » Genes. XV. 1. Sic Paulus de Moyse : « Aspiciebat enim in remunerationem : » Heb. XI. 26. quæ vel maxima est ipse Deus; a quo Moyses mercedis omnis loco petebat, ut faciem suam ostenderet : Exod. XXXIII. 18. Vide etiam Ps. XV, 5. LXXII. 26.

113 « Iniquos : » Tumultuosos : Hier. turbulentos homines : odi commenta hominum perditorum.

114 « Adjutor, et susceptor..... » protectio mea et scutum meum : Hier.

115 « Declinate a me, maligni..... » Optat secerni a malorum consortio, ut quietus ac totus legi Dei vacet.

116 « Suscipe : » confirma : Hier.

117 « Adjuva me, et salvus ero : » certum enim et efficacissimum est auxilium tuum

118 « Injusta : » mendax : Idem. Ita fere.

119 « Prævaricantes.... » quasi scoriam : Idem; pro nihilo : Symm. quia supra dixerat Sprevisti eos, Domine : ego quoque pro nihilo habeo. Theodor.

120 « Confige : » horruit a timore tuo caro mea : Heb.

122 « Suscipe servum : » sponde pro servo tuo in bonum : Hier. tu amicus unus ; fidei meæ

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo juxta misericordiam tuam; et præcepta tua doce me.

Servus tuus sum ego, instrue me, et cognoscam testimonia tua.

Tempus est ut facias, Domine: prævaricati sunt legem tuam.

Propterea dilexi mandata tua, super aurum et topazium.

Propterea in universa præcepta tua direxi: omnem semitam mendacii odio habui.

Mirabilia testimonia tua; idcirco custodivit ea anima mea.

Ostium sermonum tuorum lucidum, docens parvulos.

Os meos aperui, et respiravi; quia mandata tua desiderabam.

Respice ad me, et miserere mei; juxta judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos firma in sermone tuo; et non des potestatem in me universæ iniquitati.

Redime me a calumnia hominum, et custodiam præcepta tua.

Vultum tuum ostende servo tuo, et doce me præcepta tua.

Rivi aquarum fluebant de oculis meis: quia non custodierunt legem tuam.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.

123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.

124. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.

125. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

126. Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.

127. Ideo dilexi mandata tua, super aurum et topazion.

128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

129. Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

130. Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis.

131. Os meum aperui, et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132. Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis injustitia.

134. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

135. Faciem tuam illumina auper servum tuum; et doce me justificationes tuas.

136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

SADE.

137. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.

sponsor esto adversus hominum calumnias. « Non calumnientur: » ne calumnientur: Hier.

126 « Tempus faciendi..... » tempus ut promissa præstes. « Dissipaverunt .... » prevaricati sunt: Hier.

127 « Topazion. » Paz. Heb. Alii gemmam exponunt, ut Ps. XVIII. 11. Alii, aurum purissimum, vel obryzum.

130 « Declaratio....» ostium.... lucidum: Hier. Improbi « ambulant per vias tenebrosas.... » Prov. II. 13. ducti scilicet erroribus et cupiditatibus, at vias tuas ineunti statim lux adest. « Intellectum dat parvulis: » vide Psal. XVIII. 8, 9, etc. ubi multa huic similia, quæ eumdem Davidem auctorem indicare videntur.

131 « Attraxi spiritum: » respiravi: Hier. Suspirabam eorum desiderio.

136 « Quia non custodierunt.... » homines, sive inimici mei: infra 139, 158. Vide caritatem Davidis adversus inimicos: contabescit ac totus in lacrymas liquitur, peccata eorum dolens.

Præcepisti justitiam testimonii tui, et veritatem tuam nimis.

Consumpsit me zelus meus : quia obliti sunt verborum tuorum hostes mei.

Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum.

Parvulus ego sum, et contemptibilis : sed præcepta tua non sum oblitus.

Justitia tua, justitia sempiterna ; et lex tua veritas.

Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata tua voluntas mea.

Justitia testimonia tua semper : doce me, et vivam.

Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine : præcepta tua custodiam.

Invocavi te; salvum me fac, et custodiam testimonia tua.

Surgebam adhuc in tenebris, et clamabam, verbum tuum expectans.

Præveniebant oculi mei vigilias, ut meditarer in sermonibus tuis.

Vocem meam exaudi juxta misericordiam tuam, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persecutores mei sceleri, et a lege tua procul facti sunt.

Prope es tu, Domine, et omnia mandata tua veritas.

A principio novi de testimoniis tuis : quod in æternum fundaveris ea.

138. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.

139. Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.

140. Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud.

141. Adolescentulus sum ego, et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.

142. Justitia tua, justitia in æterternum ; et lex tua veritas.

143. Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.

144. Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi, et vivam.

COPH.

145. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine : justificationes tuas requiram.

146. Clamavi ad te; salvum me fac, ut custodiam mandata tua.

147. Præveni in maturitate, et clamavi : quia in verba tua supersperavi.

148. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

149. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.

150. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt.

151. Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas.

152. Initio cognovi de testimoniis tuis : quia in æternum fundasti ea.

138 « Testimonia..... » Voluisti testimonia tua ipsam esse justitiam : at Hier. « Mandasti justitiam : testimonia tua ; » hanc stricte observari jussisti.

140 « Ignitum : » probatum : Hier. quasi per ignem. Sic Ps. XI. 7. « Argentum igne examinatum : » purissimum.

141 « Adolescentulus.... » parvulus : Hier. « Contemptus ; » in familia quoque mea pro nihilo habitus ; cum ipse etiam Isai parens meus jussus a Samuele ut repræsentaret liberos, ne me quidem commemoratu dignum putabat, aut accensebat suis : « Adhuc, » inquit, « reliquus est parvulus, et pascit oves. I. Reg. XVI. 11. « Justificationes tuas non sum oblitus : » sed præcepta tua non sum oblitus : » Hier. quasi diceret : Sum equidem ætate et conditione despicabilis, at hinc tantum commendatus, quod leges tuas curem.

147 « Præveni : » præveni diluculum : Hebr. « In maturitate : » *en aôria*, nocte intempesta : 70. in tenebris : Hier.

148 « Prævenerunt..... ad te diluculo : » prævenerunt vigilias : Hier. Evigilavi ad te ante ipsos vigiles, qui custodias obeunt.

150—151 « A lege autem tua longe facti sunt.... Prope es.... » Illi quidem a te fugiunt, facti refugæ legis ; at tu prope es, o Domine, præsens ultor scilicet.

Vide afflictionem meam, et eripe me : quia legis tuæ non sum oblitus.

Judica causam meam, et redime me : in sermone tuo vivifica me.

Longe ab impiis salus, quia præcepta tua non quæsierunt.

Misericordiæ tuæ, Domine : juxta judicia tua vivifica me.

Multi qui persequuntur me, et affligunt me : a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricatores tuos, et mœrebam : quia verbum tuum non custodierunt.

Vide quoniam præcepta tua dilexi, Domine : juxta misericordiam tuam vivifica me.

Caput verborum tuorum veritas, et in sempiternum omne judicium justitiæ tuæ.

Principes persecuti sunt me sine causa : verba autem tua timuit cor meum.

Gaudens ego sum in eloquio tuo : sicut qui invenit spolia multa.

Mendacium odio habui, et detestatus sum : legem tuam dilexi.

Septies in die laudavi te, super judiciis justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.

Expectavi salutare tuum, Domine, et mandata tua feci.

Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis.

Custodivi præcepta tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Ingrediatur laus mea coram te,

RES.

153. Vide humilitatem meam, et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

154. Judica judicium meum, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

155. Longe a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt.

156. Misericordiæ tuæ multæ, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.

157. Multi qui persequuntur me, et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in misericordia tua vivifica me.

160. Principium verborum tuorum, veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

SIN.

161. Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.

162. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

163. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum : legem autem tuam dilexi.

164. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.

166. Expectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi.

167. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.

168. Servavi mandata tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

TAU.

169. Appropinquet deprecatio

160 « Principium verborum tuorum, veritas : in æternum.... » A veritate orsus, stabilia omnia ac vera exequeris. A Deo creatore, unde est initium, ad Deum protectorem, pactis initis cum Abraham, deinde ad legem, ac denique ad Christum ducimur.

161 « Principes.... a verbis tuis.... » Non illos, sed legem tuam timebam.

163 « Iniquitatem.... » mendacium : Hier.

166 « Expectabam salutare : » expectabam a te salutem : « Dilexi : » feci : Idem.

169 « Da mihi intellectum : » doce me : Hebr.

Domine : secundum verbum tuum doce me.

Veniat deprecatio mea ante vultum tuum : secundum eloquium tuum libera me.

Fundant labia mea hymnum : docebis enim me præcepta tua.

Loquetur lingua mea sermonem tuum : quia omnia mandata tua justa.

Sit manus tua auxiliatrix mea : quia præcepta tua elegi.

Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea.

Vivet anima, et laudabit te, et judicia tua auxiliabuntur mihi.

Erravi quasi ovis perdita : quære servum tuum ; quia mandatorum tuorum non sum oblitus.

mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum eloquium tuum eripe me.

171. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.

175. Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me.

176. Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

—

DE CANTICIS GRADUUM.

Sequentes Psalmi quindecim videntur ad eumdem finem pertinere : nempe in secundi templi dedicatione laudes Domini populum redimentis concinunt, non quod omnes eo tempore sint scripti ; quamquam de plerisque verisimile, de nonnullis certum videtur ; sed quod alio tempore facti, huic solemnitati aptati sint. Theodor. hic in titulis ; Chrysostomus in hos Psalmos passim. In gradibus templi cantati dicuntur ; ut vel ex eo situ populus moneretur, eas omnes laudes Deo tribui ob templum restitutum. Quindecim porro fuisse gradus in templo traditur, ex Ezech. XL. 22, 26, 31, 37, 49.

Spirituali sensu, Cantica graduum sunt cantica ascensionis nostræ in Deum per castum sanctumque amorem, quo veluti per gradus crescimus, atque exurgimus, ac in Deum promovemur, ut Augustinus passim in hos Psalmos. *Sunt ergo*, ut idem ait, *ista cantica amantium et quodam ardente desiderio flagrantium* : in Psalm. CXXVI. n. 1.

—

PSALMUS CXIX. CONSOLATORIUS.

In captivitate calumniis oppressi ad patriam suspirant.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Ad Dominum in tribulatione mea clamavi, et exaudivit me.

V. V. — *Canticum graduum.*

1. Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.

176 « Erravi sicut ovis... Omnes nos quasi oves erravimus. » Isa. LIII. 6. Sed nos bonus ille pastor humeris reportavit. Luc. XV. 5.

Domine, libera animam meam a labio mendacii; a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum.

Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est! habitavi cum tabernaculis Cedar.

Multum peregrina est anima mea, cum audientibus pacem.

Ego pacifica loquebar, et illi bellantia.

2. Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar: 6. multum incola fuit anima mea.

7. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

PSALMUS CXX. CONSOLATORIUS.

Deus populo suo etiam exuli et captivo certus liberator. Nota primo: populum omni ope humana destitutum, tum v. 4 et 8. Dei auxilio restitutum.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, factore cœli et terræ.

Non det in commotionem pedem tuum, nec dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Per diem sol non percutiet te, neque luna per noctem.

V. V. — *Canticum graduum.*

1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.

3. Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

4. Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.

5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

6. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

2 « A labiis iniquis: » mendacibus: Hier. « A lingua dolosa. » Calumniis enim et dolis circumventi: nullam habebant requiem.

3 « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? » Quid solatii tibi relinquitur ad linguam dolosam comprimendam? aut quæ requies tibi datur a lingua dolosa tibi insidiante? « Ad linguam dolosam: » lingua dolosa. Hebr. forte vocativo casu: sensusque sit: o lingua dolosa, quid tibi proficit calumniari et nocere?

4 « Sagittæ potentis acutæ: » verba linguæ dolosæ similia sagittis. Ps. LXIII. 4. « Potentis: » illius scilicet « qui potens » est « in iniquitate. » Ps. XI. 3. « Cum carbonibus desolatoriis: » juniperorum: Hebr. quod sint ardentissimi: Hier. ad Fabiol.

5 « Incolatus meus prolongatus est: » Hebr. « Meschech: » quod pro nomine loci accipiunt; Moschi ad Iberiam: Cedar sunt Arabes. Itaque Meschech et Cedar duo termini fuerint imperii Babylonici, per quod dispersus populus esset. Hei mihi, inquit, quod procul a patria et loco sancto, in extremis gentium finibus exul ago! Quod longe luctuosius ingemiscere nos oportet, tam procul a cœlesti patria extorres.

6 « Multum incola: » diu peregrina « fuit anima mea.... » a patria, a sacris, a piorum exclusa cœtu.

7 « Cum his qui oderunt pacem.... » Sic autem ex Hebr. distinguit Hier. Multum peregrina est anima mea cum his qui oderunt pacem. Cætera deinde sic: « Eram pacificus cum loquebar illis: » at ipsi « impugnabant me gratis. » Hebr. Ego pax et cum loquebar, at ipsi ad bellum. Quod eleganter Hier. Ego pacifica, etc.

1 « In montes: » illos æternos, scilicet cœlos: Ps. CXXII. 1.

6 « Non uret: » percutiet. Hier. Neque æstus dici, neque frigus noctis tibi per viam nocebit.

Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam.

Dominus custodiat exitum tuum, et introitum tuum, amodo et usque in æternum.

7. Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

8. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc nunc, et usque in seculum.

PSALMUS CXXI. LÆTITIÆ ET AMORIS IN SANCTAM CIVITATEM.

David Jerusalem ac Sionem ædificans, et arcam eo inducens : II. Reg. v. 6, 7, 9. vi. 15, 16. I. Par. xi. 7, 8. Populus e captivitate redux, templum ac civitatem ædificans : exules Christiani ad patriam suspirantes. Porro hic Psalmus, et alii quidem ex his quindecim in Hebræo Davidi tribuuntur, quod indicio est non omnes Davidis esse.

V. S. H. — *Canticum graduum David.*

Lætatus sum eo quod dixerit mihi : In domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, in portis tuis, Jerusalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus simul.

Quia ibi ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Quia ibi sederunt sedes in judicio, sedes domui David.

Rogate pacem Jerusalem : sit bene his qui diligunt te.

Sit pax in muris tuis : abundantia in domibus tuis.

V. V. — *Canticum graduum.*

1. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus.

2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

3. Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

4. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

5. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

6. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.

7. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.

7 « Animam tuam Dominus : » deest Dominus : repetitum ex seq.

8 « Exitum tuum : » e terra captivitatis. « Introitum tuum : » in patriam.

1 « In his, quæ dicta sunt..... » cum diceretur mihi : « In domum Domini : » nihil vetat domum Domini dici locum arcæ, ante templum ædificatum. Vide I. Reg. i. 19. iii. 3 et 15. II. Reg. xii. 20. I. Par vi. 31. « In domum Domini ibimus : » vox euntium, seque mutuo adhortantium ad videndum locum sanctum.

2 « Atriis : » portis : Hebr. forte *aulais* pro *pulais*.

3 « Quæ ædificatur.... » ædificata : Hebr. 70. « Cujus participatio ejus.... » quæ in unum sibi conjuncta est : Hebr. Jerusalem ante a Jebusæis habitata, more antiquarum urbium, domibus hinc inde ita sparsis, ut ipsis mixti Israelitæ habitarent : nunc in urbis formam per David et Joab redacta est. II. Reg. v. 6, etc. I. Par. xi. 7, 8.

4 « Illuc enim ascenderunt.... » Tribus omnes ascenderunt ad arcam in Sione collocatam. « Testimonium.... » Quæ congregatio tribuum ascendentium in Jerosolymam Philistæis ereptam, testimonium est, factas Israeli de Chanaanitide acquirenda promissiones esse completas.

5 « Sederunt sedes in judicio : » consessus judicum ibi positi tanquam in urbe regia. « Sedes super domum David : » sedes domui David : Hier. Jerosolymis scilicet in urbe regia, et sede domus regnatricis.

6 « Abundantia diligentibus te : » sit bene his, qui diligunt te. Idem.

7 « Fiat pax : » sit pax in muris tuis : Hier. « In turribus : » domibus, palatiis : Hebr. Hæc est enim summa votorum, ut in urbe securitas, in privatis domibus copia sit rerum omnium.

Propter fratres meos et amicos meos, loquar pacem tibi.
Propter domum Domini Dei nostri, quæram bona tibi.

8. Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te.
9. Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

PSALMUS CXXII. DEPRECATORIUS.

Populus in captivitate Deum invocat. Davidi tribuit Syriac. ut Hieronymus; at non Hebræus.

V. S. H. — *Canticum graduum David.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.
Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum;
Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ : sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri, Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.
Multum repleta est anima nostra opprobrio abundantium, et despectione superborum.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.
2. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum;
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
3. Miserere nostri, Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.
4. Quia multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

PSALMUS CXXIII. EUCHARISTICUS.

David cum suis a periculis erutus : populus captivitate liberatus; Ecclesia pace constituta. Cum Davide Saulem fugiente erant sexcenti viri, I. Keg. xxv. 13. pro quibus agit gratias. Davidi tribuitur. Hier. Heb.

V. S. H. — *Canticum graduum David.*

Nisi Dominus fuisset in nobis, dicat nunc Israel;
Nisi Dominus fuisset in nobis : cum exurgerent super nos homines,
Forsitan vivos absorbuissent nos; cum irasceretur furor eorum super nos,
Forsitan aquæ circumdedissent nos : torrens transisset super animam nostram :
Forsitan transissent super animam nostram aquæ superbiæ.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel : 2. Nisi quia Dominus erat in nobis :
Cum exurgerent homines in nos, 3. forte vivos deglutissent nos :
Cum irasceretur furor eorum in nos, 4. forsitan aqua absorbuisset nos.
5. Torrentem pertransivit anima nostra : forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

8 « Propter fratres meos..... » Israelitas, et maxime eos qui prognati sunt e Judaica tribu, quibus urbs attributa est. En propter quæ Jerusalem commendetur, quod in ea domus Domini, quod urbs regia et judiciorum sedes, quod jam eam soli Israelitæ incolerent, maxime tribus Juda.

2 « Sicut oculi servorum in manibus.... » attenti ad dominorum manus, ut vel ad levissimum indicium pareant; ita nos a Dei nutu suspensi. « Donec misereatur. ... » Nullum enim terminum attentioni nostræ ponimus : supplices erimus, donec misereatur.

4 « Opprobrium abundantibus.... » opprobrio abundantium, etc. Hier. quia divites et superbi ad omnem contumeliam prompti.

3 « Vivos deglutissent nos : » in pauculos homines toto irruente Saulis exercitu.

5 « Torrentem.... » torrens transisset, etc. Hier. totus in nos devolutus esset. Torrens au-

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.

Anima nostra quasi avis erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

Auxilium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

7. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

8. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

PSALMUS CXXIV. CONSOLATORIUS.

Tutus quem Deus tuetur. Convenit Judæis reducibus, cum a Sanaballat Samaritano et aliis vexarentur. Esd. IV, etc. Nehem. IV, etc.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion, immobilis, in æternum habitabilis.

Jerusalem montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, amodo et usque in æternum.

Quia non requiescet virga impietatis super sortem justorum, ut non mittant justi in iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.

Qui autem declinant ad pravitates suas deducet, eos Dominus cum his qui operantur iniquitatem : pax super Israel.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat 2. in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in seculum.

3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

4. Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.

5. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : pax super Israel.

tem, calamitates : « Pertransisset ; » transisset super animam nostram. Idem. « Aquam intolerabilem : » transissent.... aquæ superbiæ, id est, tumidæ. 70. *anupostaton* ubi non est consistendi locus. Magnæ nostræ fuere calamitates : at si abfuisset Deus, longe graviores ac penitus inevitabiles.

6 « In captionem dentibus : » prædam : Hier.

7 « Laqueus contritus est : » Saul et inimici Davidis fracti. Sic victa Babylon ; et captivi Hebræi tanquam aves e cavea avolarunt. Hunc Psalmum pia et erudita Ecclesia Parisiensis merito in martyrum solemnitate cantat.

1—2 « Non commovebitur.... » Vide Hier. sensusque est : Quisquis in Deum fidit, eum instar montis Sion excelsi et immobilis, et instar Jerusalem urbis æternæ, (nisi a Deo defecisset) ita fore immotum. Sensus secundi versus : sicut Jerusalem montibus, ita populus a Deo protegitur.

3 « Non relinquet Dominus virgam peccatorum : » impiorum, sancti populi hostium, Samaritanorum, et aliorum. « Super sortem justorum : super terram sanctam. » Dominus : » deest etiam in 70. Alex. edit. « Ut non extendant justi..... » ne tandem justi, calamitatibus fracti, a lege desciscant. At Hier. Non requiescet virga impietatis, etc. Justi non desinunt castigari per impios, ne superbiant.

5 « In obligationes..... » in coarctationes : in pravitates suas : Hier. in tortuosas vias, quibus se malo suo implicant.

PSALMUS CXXV. CONSOLATORIUS.

Populus insperato e captivitate liberatus, Deum servatorem canit, suasque calamitates in lætitiam versas. Psalmus manifeste post reditum e captivitate factus.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Cum converteret Dominus captivitatem Sion; facti sumus quasi somniantes.

Tunc implebitur risu os nostrum, et lingua nostra laude.

Tunc dicent in gentibus: Magnificavit Dominus facere cum istis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus sicut lætantes.

Converte; Domine, captivitatem nostram, sicut rivus in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Qui ambulans ibat et flebat, portans ad seminandum sementem: veniens veniet in exultatione, portans manipulos suos.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

In convertendo Dominus captivitatem Sion; facti sumus sicut consolati.

2. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

3. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

4. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

6. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua:

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

PSALMUS CXXVI. EUCHARISTICUS ET CONSOLATORIS.

Salomon, ædificata domo Dei et sua, Deum adjutorem agnoscit. Idem facit populus soluta captivitate, templo et urbe restitutis. Ecclesia christiana, victis persecutoribus aut vitiis triumphatis, canit Dei gratiam qua vicit mundum.

V. S. H. — *Canticum graduum Salomonis.*

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

V. V. — 1. *Canticum graduum Salomonis.*

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

1 « Sicut consolati: » convalescentes. Ch. somniantes: Hier. quod e tantis malis repente eruti, vix ipsi libertati suæ crederent. Sic Petrus inopinato liberatus, « existimabat se visum videre. » Act. XII. 9.

2 « Gaudio: » risu. « Exultatione: » laude: Hier.

3 « Magnificavit..... » magna fecit nobis Deus: hebraismus.

4 « Sicut torrens..... » Sicut torrentem in meridie: Hebr. Tanta copia, tanta rapiditate, tam jucunde, quam cum aqua locis aridis abundat.

6 « Euntes..... » qui ambulans, etc. veniens veniet, etc. Hier. Sic captivi, qui ubertim flebant, dum abducebantur, nunc redeunt fructu diuturnæ patientiæ ac fidei læti.

Frustra est vobis de mane consurgere : postquam sederitis, qui manducatis panem dolorum : sic dabit diligentibus se somnum.

Ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii juventutis.

Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

2. Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum :

3. Ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris.

4. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

PSALMUS CXXVII. MORALIS.

Deus in suos beneficentissimus : ideo populus captivus ac tenuis, post reditum sicut ante multiplicabitur.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Beatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus.

Laborem manuum tuarum comedes : beatus tu, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis fructifera in penetralibus domus tuæ.

Filii tui sicut germina olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur vir qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : pacem super Israel.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

2. Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.

3. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

4. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

5. Benedicat tibi Dominus ex Sion ; et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

6. Et videas filios filiorum tuorum ; pacem super Israel.

2 « Surgite : » deest Hier. quem vide : sensus est : vos qui panem vestrum in dolore comeditis, hoc est, vos quotquot estis gravibus ærumnis pressi, frustra vos vigiliis curisque consumitis ; etiamsi tranquilli sederitis, tamen adjuvabit Deus qui suis somnum seu quietem præstat.

3 « Hæreditas Domini : » quam præstat Dominus : sive, hæreditas a Domino. Filii, *uioi*, nominativo plurali : dat Deus liberos, optimam parentum possessionem. « Merces fructus ventris : » idem quod liberi : sensus est : Deus dilectis suis dat filios, ut mercedem et hæreditatem. Ps. seq. 3, 6.

4 « Sicut sagittæ.... ita filii excussorum : » filii juventutis : Hier. In juventute geniti filii, robusti sunt, armorum et sagittarum loco, hoc est ; usui ac tutelæ parentibus.

5 « Implevit desiderium.... » implevit pharetram : Hier. his sagittis, scilicet filiis validis. « in porta : » in judicio ; calumnias et vim non metuet.

3 « In lateribus : » in penetralibus : Hier. « Sicut novellæ olivarum.... » Sicut propagines circum undique succrescentes, sic familia justorum, læto liberorum proventu.

PSALMUS CXXVIII. CONSOLATORIUS.

Dum a Sanaballat aliisque, templi ac sancta civitatis ædificatio prohibetur, Israelitæ reduces hoc Psalmo se solantur, atque hostium omnium conatus adversus synagogam irritos fuisse canunt; sic Ecclesia jam inde ab initio vexata, sed semper victrix. Chr.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Sæpe expugnaverunt me ab adolescentia mea, dicat nunc Israel;

Sæpe expugnaverunt me ab adolescentia mea : sed non potuerunt mihi.

Supra cervicem meam arabant arantes, prolongaverunt sulcum suum.

Dominus justus concidet laqueos impiorum.

Confundantur et revertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum, quod statim ut viruerit, arescet :

De quo non implebit manum suam messor, et sinum suum manipulos faciens.

De quo non dixerunt transeuntes : Benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel;

2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi.

3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.

4. Dominus justus concidit cervices peccatorum. 5. Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit :

7. De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit :

8. Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.

PSALMUS CXXIX. DEPRECATORIUS.

Populus malis mersus peccata confitetur, ac Deum propitiatorem exorat.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

De profundis clamavi ad te, Domine.

Domine, exaudi vocem meam : fiant aures tuæ intendentes ad vocem deprecationis meæ.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

De profundis clamavi ad te, Domine : 2. Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

1 « A juventute : » jam inde ab Ægyptiaca servitute, quæ populi adolescentia dicitur. Jerem. II. 2. Ecclesia jam inde ab initio in Abel, in Enoch, in Noe, in Abraham, in Lot, in Ægyptiaca servitute, in Moyse ac prophetis graves perpessa inimicos, dicit illa quidem sæpe a juventute se fuisse oppugnatam : nihilo tamen secius pervenisse ad senectutem, ac ne in senectute quidem opprimi posse. Victus enim qui sæviebat, vicit qui sufferebat. Aug. (in hunc Ps. n. 2, 3.) « Dicat nunc Israel : » nunc, Samaritanis vexantibus.

2 « Non potuerunt : » non prævaluerunt.

3 « Supra dorsum.... » me premebant intolerabili ac diuturno jugo. At Hier. supra cervicem meam arabant; me ad arandum imposito jugo abutebantur. « Iniquitatem suam : » sulcum suum. Idem. Diutissime me ad arandum coegerunt.

4 « Cervices : » laqueos : Hier.

6 « Fœnum tectorum : » in tectis Orientalium planis solebant levia et inutilia gramina exoriri.

8 « Benedictio Domini super vos : » solita apprecatio ad messores, post messium proventum uberem.

Si iniquitates observabis, Domine : Domine, quis sustinebit?
Quia tecum est propitiatio, cum terribilis sis.

Sustinuit Dominum, sustinuit anima mea, et verbum ejus expectavi.
Anima mea, ad Dominum, a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam.
Expectet Israel Dominum; quia apud Dominum misericordia, et multa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

3. Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit?
4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus : 5. speravit anima mea in Domino :
6. A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.
7. Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio.
8. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

PSALMUS CXXX. MORALIS.

David in sua majestate coram Deo se dejicit; cujus exemplo populus liberatus, ejusque duces ac pontifices rebus prosperis non inflantur. *Vide* Psalmus C.

V.S. H. — *Canticum graduum David.*

Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; et non ambulavi in magnis, et in mirabilibus super me.
Si non proposui, et silere feci animam meam; sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea.
Expecta, Israel, Dominum : amodo et usque in æternum.

V. V. — 1. *Canticum graduum David.*

Domine, non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.
Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.
2. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam;
Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.
3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in seculum.

4 « Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam..... » ita Symm. et Theodor : Hier. ad Sun. et Fret. At ibid. Hirr. timorem in Hebræo reperiri notat; et hic quoque sic vertit : cum terribilis sis : præclaro sensu; quasi diceret : terribilis licet, tamen parcis. Hebr. vero : propterea timeris, hoc est, eo quod sis clemens, verentur pii homines, ne tibi tam bono, tam benefico displiceant. « Sustinui te.... » Vide Hier.

6 « A custodia matutina.... » a vigilia matutina, usque ad vigiliam matutinam : Hier. ab uno mane in aliud. Præ excubitoribus matutinis; Hebr. quod bis repetitur : hoc est, semper et præ omnibus excubitoribus ad te vigilabo.

2 « Si non humiliter.. » Jurandi formula. « Sed exaltavi animam meam; » et non silere feci animam meam : Hier. Si non eam compescui, ne vanis extolleretur cogitationibus. « Sicut ablactatus.... » Si non ita comparavi animam meam, ut similis esset puero ablactato : hoc est: tam humilis sum apud me et coram Deo, quam parvulus subditus matri. Sic David, II Reg. VI. 22. « Ante Dominum.... vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis, » etc.

PSALMUS CXXXI. HISTORICUS ET EUCHARISTICUS.

Salomon arcam e Sione in templum a se extructum transferens, Davidem qui omnia ad templum præparaverat, pie collaudat; eique a Deo facta promissa confirmari petit. *Vide* II. Par. VI. 41, 42. ubi v. 1, 8, 9. hujus Psalmi referuntur. Hinc in secundi templi dedicatione repetitus videtur. Salomoni tribuitur a Ch. Chr. ad v. 5. et aliis.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Memento, Domine, David, et omnis afflictionis ejus,
Qui juravit Domino, votum vovit Deo Jacob :
Si intravero in tabernaculum domus meæ, si ascendero super lectum straminis mei.
Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem,
Donec inveniam locum Domino; tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus illum in Ephrata : invenimus illum in regione saltus.
Intremus in tabernacula ejus : adoremus scabellum pedum ejus.

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ.

Sacerdotes tui induant justitiam, et sancti tui laudent.
Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus :
2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob :
3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei :
4. Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem,
5. Et requiem temporibus meis ; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.
6. Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ.
7. Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.
8. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.
9. Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.
10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

1 « Mansuetudinis : » misericordiarum : II. Par. VI. 42. In bonis principibus clementia magis quam bella et victoriæ memorantur. At Hier. afflictionis : « ejus, » qua afflictis compatimur, ac præcipue ejus, qua David arcam neglectam doluerit, cujus etiam quodammodo misertus sit, dicens ad Nathan : « Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium ? » II. Reg. VII. 2. David porro quam fuerit mansueto animo, alibi memoravimus : Præfat. n. 13. Vide Ps. CI. 15.

2 « Sicut juravit : » qui juravit : Hier. *ós* pro *os*.

3—4 « Si introiero : » Davidem loquentem inducit de arca Dei digniorem in locum transferenda.

5 « Et requiem temporibus meis : » deest Hebr. « Donec inveniam locum Domino : » Sionem, ac postea templum ipsum. II. Reg. VI. 12. VII. 2.

6 « Audivimus eam : » arcam. « In campis silvæ : » in agro silvestri : « Sedeiaar : » Hebr. id est, Cariathiarim. Pudebat Davidem arcæ tamdiu neglectæ. Cum enim esset in patria regione Ephratæa adhuc adolescens, audiebat narrantes arcam sub pellibus apud Abinadab in Cariathiarim esse inventam, loco parum decoro tantæ majestati. Vide I. Reg. VI. 21. VII. 1, 2. II. Reg. VI. 3, 4. VII. 2. I. Paral. XIII. 6.

7 « Adorabimus in loco.... » scabellum pedum ejus : Hier. arcam. Vide Ps. XCVIII. 5.

8 « Surge, Domine : » loquitur Salomon, ut patet : II. Par. VI. 41. ubi hic v. habetur cum duobus sequentibus. « Sanctificationis... » fortitudinis : Hier.

9 « Justitiam : » salutem. Par. ibid. ut infra, 16.

10 « Faciem Christi tui : » Salomonis; in faciem meam : Chr.

Juravit Dominus David veritem; non avertetur ab ea : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui pactum meum, et testificationem meam quam docuero eos :

Et filii eorum usque in æternum, sedebunt super thronum tuum.

Quoniam elegit Dominus Sion : desideravit eam in habitaculum sibi.

Hæc est requies mea in sempiternum : hic habitabo, quia desideravi eam.

Venationem ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo pane.

Sacerdotes ejus induam salutare: et sancti ejus laude laudabunt.

Ibi oriri faciam cornu David; paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem florebit diadema ejus.

11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos :

Et filii eorum usque in seculum, sedebunt super sedem tuam.

13. Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.

14. Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.

15. Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.

16. Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exultatione exultabunt.

17. Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.

18. Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

PSALMUS CXXXII. EUCHARISTICUS ET CONSOLATORIUS.

David, omnibus sub imperio suo tribubus adunatis : item Judæi ex dispersione collecti, canunt quam suavis sit fratrum concordia.

V. S. H. — *Canticum graduum David.*

Ecce quam bonum, et quam decorum, habitare fratres in unum!

Sicut unguentum optimum in capite, quod descendit in barbam Aaron : quod descendit super oram vestimentorum ejus.

V. V. — 1. *Canticum graduum David.*

Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum!

2. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron;

Quod descendit in oram vesti-

11 « Non frustrabitur.... » non avertetur ab ea : Hier. non pœnitebit. Quæ promissa Dei de Salomone post Davidem regnaturo, vide II. Reg. VII. 12, etc. « De fructu ventris tui.... » Hinc ad finem usque Psalmi Deus loquitur.

15 « Viduam..... » Venationem : Hier. et 70. ex Hebr. hoc est, victum : annonam, ut vertit Symm. apud Theodor. *théran* 70. pro quo edit. Alex. *chéran* unde Vulg. viduam.

17 « Illuc producam cornu David : » in Sione ac Jerusalem, regnare faciam Davidis posteros. « Paravi lucernam : » sobolem illustrem, ac regnantem. « Christo meo : » Davidi.

1 « Ecce quam bonum, et quam jucundum. Non » enim « omne quod jucundum, » idem et « bonum est; jucundus » enim « luxus, non » tamen et « bonus; neque quod bonum est, » Idem et « jucundum est; bona » enim « tolerantia injuriæ.... non » autem « jucunda. » Sed in fratrum ad Dei laudes amoremque conspirantium societate, non tantum bonitatis fructus est, sed etiam lætitiæ sensus : ex Hil. (in hunc Psal.)

2 « Sicut unguentum : » adde : optimum : Hier. peculiare, ac suaveolentissimum, ad consecrandos pontifices divinitus institutum. Exod. XXX. 25. « In barbam : » vulgare Hebræis, aliisque Orientalibus ut haberent capillos unguentis delibutos. At unguentum illud sacerdotale, copiosissime effundebatur in caput, et in barbam usque defluebat. « Barbam Aaron : » ut ostenderet agere se de illo exquisitissimo unguento, quo Aaron ipse Dei jussu consecratus. « In oram vestimenti ejus : » ea copia effundebatur, ut se latissime suavissimi unguenti fragrantia diffunde-

Sicut ros Hermon, qui descendit super montana Sion.

Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in æternum.

menti ejus : 3. sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in seculum.

PSALMUS CXXXIII. HORTATORIUS.

Dei laudes servis ejus perpetuo celebrandæ. Ita concluditur solemnitas dedicationis templi. Aiunt esse dramaticum carmen. Primis versibus, princeps levitarum excubias agentium fratres hortatur, ut vigiliis laudes divinas adjungant. Ultimo versu, fratres admoniti principi janitorum fausta precantur.

V. S. H. — *Canticum graduum.*

Ecce benedicite Domino, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini in noctibus.

Levate manus vestras ad sanctum, et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, factor cœli et terræ.

V. V. — 1. *Canticum graduum.*

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini;

Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

PSALMUS CXXXIV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Deo benedicit pro beneficiis in populum collatis; tum idola detestatur.

V. S. H. — *Halleluia.*

Laudate nomen Domini, laudate, servi, Dominum :

Qui statis in domo Domoni, in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus, cantate nomini ejus, quoniam decens.

Quoniam Jocob elegit sibi Dominus, Israel in peculium suum.

V. V. — 1. *Alleluia.*

Laudate nomen Domini, laudate, servi, Dominum :

2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave.

4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.

ret. Spirituali sensu : Christus Spiritu Sancto unctus, non eum accepit ad mensuram · Joan. III. 34. sed tanta plenitudine, ut ex ea acciperemus omnes, ibid. I. 16. bono Christi odore per exempla sanctorum, etiam extra Ecclesiam, ubique diffuso.

3 « Sicut ros Hermon, qui descendit.... » Non ros Hermon descendit in montem Sion, neque enim id fieri potest, ut idem ros decurrat in tam diversos montes. Sic ergo supplendum : Sicut ros Hermon, et sicut ros qui descendit in montem Sion, ita fratrum consensio : sensusque est : Non suavius unguentum illud, quo ipse Aaron Dei jussu perfusus consecratusque est, non ros jucundior, quo Hermon et Sion duo clarissimi montes irrigantur, ut suavis est fratrum concordia. « Illic mandavit Dominus benedictionem. » Illic : ubi fratres concorditer habitant.

1 « In atriis domus Dei nostri : » deest Hebr. sumptum ex Ps. sequenti v. 2.

2 « In noctibus : » junge præcedenti, ut sensus sit : Vos qui per noctem in templo excubias agitis, « extollite manus vestras » ad Deum : quanquam et eo referri potest, ut maxime studeant horis silentibus et quietis laudare Deum. « In sancta : » ad sanctuarium. Huc usque Psalmi graduum.

Quia ego scio quod magnus Dominus, et Dominus noster præ omnibus diis.

Omnia quæ voluit Dominus fecit in cœlo, et in terra; in mari, et in omnibus abyssis.

Levans nubes de summitatibus terræ, fulgura in pluviam fecit: educens ventos de thesauris suis.

Qui percussit primitiva Ægypti, ab homine usque ad pecus.

Emisit signa et portenta in medio tui, Ægypte, in Pharao, et in cunctos servos suos.

Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes:

Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generatione et generatione.

Quia judicabit Dominus populum suum, et in servos suos erit placabilis.

Idola gentium argentum et aurum: opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: sed nec est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron, benedicite Domino.

Domus Levi, benedicite Domino: timentes Dominum, benedicite Domino.

Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. Halleluia.

5. Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.

6. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra; in mari, et in omnibus abyssis.

7. Educens nubes ab extremo terræ; fulgura in pluvium fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis. 8. Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9. Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte; in Pharaonem, et in omnes servos ejus.

10. Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes,

11. Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.

12. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

13. Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.

14. Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.

15. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

16. Os habent, et nos loquentur: oculos habent, et nonviidebunt.

17. Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore-ipsorum.

18. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

19. Domus Israel, benedicite Domino: domus Aaron, benedicite Domino.

20. Domus Levi, benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.

21. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

7 « Ventos de thesauris. » Propter reconditas ventorum causas. Docet autem quam eos in potestate habeat, atque ad voluntatem laxet.

8 « Qui percussit : » junge sequenti : hic enim incipit propria Israeli narrare beneficia.

14 « In servis suis deprecabitur : » passive : erit placabilis : Hier. solatium capiet : Hebr. miserebitur. Deut. XXXII. 36. « In servis suis miserebitur, » quod est, in eos effundet misericordiam suam.

PSALMUS CXXXV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Dei in populum misericordiam celebrat, priscis beneficiis ordine recensitis. Est autem hic Psalmus Davide rege, coram arca cantari solitus. I. Par. XVI. 41. Item Davidi attributus, et in dedicatione templi sub Salomone decantatus, *ad laudandum Dominum, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus :* II. Par. VI. 6. Item fundato secundo templo : I. Esd. III, 10, 11. et post insignem victoriam. I. Mach. IV. 24.

V. S. II.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo deorum quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit mirabilia magna solus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit cœlos in sapientia : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui firmavit terram super aquas : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit luminaria magna : quoniam in æternum misericordia ejus :

Solem in potestatem diei : quoniam in æternum misericordia ejus:

Lunam et stellas in potestatem noctis : quoniam in æternum misericordia ejus :

Qui percussit Ægyptum cum primitivis suis : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia ejus,

In manu valida et brachio extento : quoniam in æternum misericordia ejus :

Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in æternum misericordia ejus.

V. V. — 1. *Alleluia.*

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

2. Confitemini Deo deorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

3. Confitemini Domino Dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

4. Qui facit mirabilia magna solus : quoniam in æternum misericordia ejus.

5. Qui ferit cœlos in intellectu : quoniam in æternum misericordia ejus.

6. Qui firmavit terram super aquas : quoniam in æternum misericordia ejus.

7. Qui fecit luminaria magna : quoniam in æternum misericordia ejus :

8. Solem in potestatem diei : quoniam in æternum misericordia ejus :

9. Lunam et stellas in potestatem noctis : quoniam in æternum misericordia ejus :

10. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

11. Qui eduxit Israel de medio eorum : quoniam in æternum misericordia ejus,

12. In manu potenti, et brachio excelso : quoniam in æternum misericordia ejus.

13. Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in æternum misericordia ejus :

5 « In intellectu : » in sapientia : Hier.

6 « Qui firmavit terram super aquas : » ne fluctibus rumperetur : alii, apud Chr. Qui constipavit terram in aquis. Vide Psalm. XXIII. 2.

8 « In potestatem diei : » ut præesset diei : Gen. I. 16.

9 « In potestatem noctis : » ut præesset nocti. Ibid.

12 « Brachio excelso : » extento : Hier. eodem sensu, ut ab alto summa vi feriat.

Et eduxit Israel in medio ejus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et convolvit Pharao et exercitum ejus in mari Rubro : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui duxit populum suum per desertum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui percussit reges magnos : quoniam in æternum misericordia ejus:

Et occidit reges magnificos : quoniam in æternum misericordia ejus :

Seon regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus,

Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus,

Et dedit terram eorum hæreditatem ; quoniam in æternum misericordia ejus,

Hæreditatem Israel servo suo : quoniam in æternum misericordia ejus.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et redemit nos de hostibus nostris : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui dat panem omni carni : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo cœli : quoniam n æternum misericordia ejus.

14. Et eduxit Israel per medium ejus : quoniam in æternum misericordia ejus :

15. Et excussit Pharaonem, et virtutem ejus in mari Rubro : quoniam in æternum misericordia ejus.

16. Qui traduxit populum suum per desertum : quoniam in æternum misericordia ejus.

17. Qui percussit reges magnos · quoniam in æternum misericordia ejus :

18. Et occidit reges fortes : quoniam in æternum misericordia ejus:

19. Sehon regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus,

20. Et Og regem Basan : quoniam in æternum misericordia ejus.

21. Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam in æternum misericordia ejus,

22. Hæreditatem Israel servo suo: quoniam in æternum misericordia ejus.

23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quoniam in æternum misericordia ejus.

24. Et redemit nos ab inimicis nostris : quoniam in æternum misericordia ejus.

25. Qui dat escam omni carni : quoniam in æternum misericordia ejus.

26. Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum quoniam in æternum misericordia ejus.

PSALMUS CXXXVI. CONSOLATIONIS.

Populus in captivitate gemens : lugentes in seculo christiani, suam utrique Jerusalem desiderant. Sine titulo in Heb. Jeremiæ titulum Theodor. rejicit. Hic, spiritualiter intelligendæ duæ civitates : nempe Jerusalem, cœlestis patria : Babylon, mundus, captivitatis locus in quo exules degimus. *Duas istas civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei ; Babyloniam amor seculi.* Aug. in Psalm. LXIV. n. 2. Ex amore seculi oriuntur terrenæ delectationes, a quibus pii abhorrent. *Canticum enim delectationis seculi hujus, lingua aliena, lingua barbara est, quam*

26 « Confitemini Domino dominorum.... » Deest Hier. Heb. et 70.

in captivitate didicimus. Aug. (in hunc Ps. n. 17.) Neque cantant fideles, nisi in Jerusalem ubi beati sunt : hic autem non cantant sed gemunt, memores perditæ in Adam innocentiæ pariter ac beatitudinis.

V. S. H.

Super flumina Babylonis ibi sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion.

Super salices in medio ejus suspendimus citharas nostras.

Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba carminis, et qui affligebant nos læti : canite nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena?

Si oblitus fuero tui, Jerusalem; in oblivione sit dextera mea.

Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui : si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ.

Memento, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem, dicentium : evacuate, evacuate usque ad fundamentum ejus.

Filia Babylonis vastata : beatus qui retribuet tibi vicissitudinem tuam, quam tu retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

V. V. — *Psalmus David, Jeremiæ.*

1. Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.

2. In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra.

3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum :

Et qui abduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena ?

5. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ. 7. Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem :

Qui dicunt : Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis misera : beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

9. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

PSALMUS CXXXVII. EUCHARISTICUS.

Congruit ei tempori, quo bello Syriaco confecto, devictisque multis regibus, miracula Dei toto Oriente celebrata, reges ad ipsum collaudandum invitabant. II. Reg. XIII. *Vide* Psalm. LIX.

V. S. H. — *David.*

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in conspectu deorum cantabo tibi.

V. V. — 1. *Ipsi David.*

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

1 « Super flumina Babylonis. .. cum recordaremus Sion : » ex ipso exilii sensu subit dulcis patriæ recordatio qua cientur in fletus. Spirituali sensu. « Flumina Babylonis » sunt omnia, quæ hic amantur et transeunt. Aug. Hinc suspiria ad illam manentem, ac fundamenta habentem civitatem, de qua Paulus Heb. XI. 10, XIII. 14.

3 « Qui abduxerunt nos : » qui nos in acervum redegerunt : Heb. id est, civitatem nostram. « Hymnum : » lætitiam : Heb. Lætum carmen petebant.

5 « Dextera mea : » vis mea, auxilium meum, aut felicitas, per dexteram designata.

7 « Memor esto..... filiorum Edom : » Esau : Idumæorum semper adversantium Judæis, ex priscis Esau adversus Jacobum inimicitiis. « In die Jerusalem : » cum recordaberis Jerusalem.

8 « Filia Babylonis misera : » vastata : Hier. id est, vastanda.

9 « Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos.... » Beatus, qui implebit vaticinium Isaiæ de Babylone dicentis : « Infantes eorum allidentur in oculis eorum. » Isa. XIII. 16.

1 « Domine : » deest Heb. « Quoniam audisti verba ..... » deest Hier. « In conspectu angelorum,... » Sic addit se angelis Deo canentibus.

Adorabo in templo sancto tuo, et confitebor nomini tuo super misericordia tua, et veritate tua : quia magnificasti super omne nomen, eloquium tuum.

In die invocabo, et exaudies me, dilatabis animæ meæ fortitudinem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quoniam audierunt eloquia oris tui.

Et cantent in viis Domini : quoniam magna gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et excelsa de longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : super furorem inimicorum meorum mittes manum tuam, et salvabit me dextera tua.

Dominus operabitur pro me. Domine, misericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne dimittas.

In conspectu angelorum psallam tibi : 2. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo,

Super misericordia tua, et veritate tua : quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

3. In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

4. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui :

5. Et cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.

6. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

8. Dominus retribuet pro me. Domine, misericordia tua in seculum : opera manuum tuarum ne despicias.

PSALMUS CXXXVIII. MORALIS ET DEPRECATORIUS.

Accusatus ab inimicis coram Saule, testem innocentiæ suæ invocat Deum, formatorem suum et cogitationum scrutatorem. Neminem enim odisse se, nisi malos. Et nota ad connexionem, v. 19, 21, 23, 24.

V. S. H. — *Victori Psalmus David.*

Domine, investigasti me, et cognovisti.

Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam : intellexisti malum meum de longe.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

Domine, probasti me, et cognovisti me : 2. tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

3. Intellexisti cogitationes meas

2 « Adorabo ad templum.... » Psallenti cum angelis, pro cœlo est templum divino nomin consecratum. « Magnificasti super omne, nomen sanctum tuum : » super omne nomen, eloquium tuum : Hier. id est, super omnem famam ; quidquid de te narrent homines, verbi tui majestate vincitur.

3 « Exaudi me : » exaudies. « Multiplicabis. . » dilatabis animæ meæ fortitudinem : Hier. robur augebis.

4 « Reges : » victi, vel victoriarum fama permoti.

5 « Cantent in viis Domini : » ad templum ducentibus. Adeant Jerusalem ; et templum donis cumulent.

6 « A longe cognoscit : » longe infra se videt, ut abjecta et jacentia.

7 « In medio tribulationis . » belli : ut Ps. XIX. 1. « Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Extendisti : » mittes : Hier.

2 « Sessionem.... et resurrectionem.... » me sive sedentem, sive surgentem : nosti quæ me delitabar sedens, et operabar surgens. Theod.

Semitam meam et accubationem meam eventilasti : et omnes vias meas intellexisti.

Quia non est eloquium in lingua mea : ecce, Domine, nosti omnia.

Retrorsum et ante formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Super me est scientia, et excelsior est, non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, ibi es tu, si jacuero in inferno, ades.

Si sumpsero pennas diluculo : habitavero in novissimo maris :

Etiam ibi manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

Si dixero : Forte tenebræ operient me : nox quoque lux erit circa me.

Nec tenebræ habent tenebras apud te, et nox quasi dies lucet : similes sunt tenebræ et lux.

Quia tu possedisti renes meos, orsusque es me in utero matris meæ.

Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificasti me : mirabilia opera tua, et anima mea novit nimis.

de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti.

4. Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea.

5. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

6. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.

7. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam.

8. Si ascendero in cœlum tu illic es : si descendero in infernum, ades.

9. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris.

10. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

11. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me ; et nox illuminatio mea in deliciis meis.

12. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

13. Quia tu possedisti renes meos suscepisti me de utero matris meæ.

14. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

3 « De longe : » arcana consiliorum ab æterno prævidisti. « Semitam meam, et funiculum meum : » rectitudinem operum : Theodor. opera quasi fune directa. Semitam et accubationem : Hier. Nosti gradientem et cubantem, vigilantem et quiescentem.

4 « Omnes vias meas prævidisti : quia non.. . » cum non est sermo ; me etiam tacito, arcana pectoris nosti, neque opus habes ut ea verbis eloquar.

5 « Novissima et antiqua : » retrorsum et ante formasti me : Hier. id est, a fronte et a tergo.

6 « Ex me : » ego ipse magnum artis tuæ documentum argumentumque laudis. Vel : præ me : super me est scientia : Hier. excedit facultatem intelligentiæ meæ. « Confortata est.... excelsior est : Hier. « Non potero ad eam : » supp. accedere.

7 « Quo ibo a spiritu tuo? Spiritus » enim « Domini replevit orbem terrarum : » Sap. I. 7. de quo Spiritu dictum . « Dominus Deus misit me et Spiritus ejus, » etc. Isa. XLVIII. 16. Quem Spiritum memorat, ad commendandam immensitatem Dei; quod Deus bono illo Spiritu omnia alat, vegetet, foveat.

11—12 « Et dixi : » si dixero. Hier. « Conculcabunt..... » operient : Idem. Vide apud eumdem hos duos versus egregie versos. « Nox sicut dies illuminabitur : » quasi dies lucet : Hier. nox tibi lux erit : Heb.

13 « Possedisti renes meos : » intima mea. « Suscepisti me.... » orsus es me in utero, etc. Hier.

14 « Terribiliter magnificatus es : » magnificasti me : Idem : mirabiliter me fecisti : arte stupenda

15 « Os meum : » nullum ex ossibus te latet. « Substantia mea : » velut acu pictus sum : Heb. imaginatus sum : Hier. fictus sum; conformatus. « In inferioribus terræ : » in utero. Cl.

Non sunt operta ossa mea a te, quibus factus sum in abscondito : imaginatus sum in novissimis terræ.

Informem adhuc me viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formati sunt, et non est una in eis.

Mihi autem quam honorabiles facti sunt amici tui, Deus : quam fortes pauperes eorum !

Dinumerabo eos, et arena plures erunt : evigilavi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, impium, viri sanguinum, declinate a me.

Qui contradicent tibi scelerate : elevati sunt frustra adversarii tui.

Nonne odientes te, Domine, odivi; et contra adversarios tuos distabui ?

Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

Scrutare me, Deus, et cognosce cor meum : proba me, et scito cogitationes meas.

Et vide si via doli in me est : et deduc me in via æterna.

15. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.

17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

18. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum.

19. Si occideris, Deus, peccatores : viri sanguinum, declinate a me.

20. Quia dicitis in cogitatione : accipient in vanitate civitates tuas.

21. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam; et super inimicos tuos tabescebam ?

22. Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

23. Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me : et cognosce semitas meas.

24. Et vide, si via iniquitatis in me est : et deduc me in via eterna.

PSALMUS CXXXIX. DEPRECATORIUS.

Contra Achitopel, a quo et armis et insidiis et calumniis impetitus. H. Reg. XV. XVII.

V. S. H. — *Victori Canticum David.*

Erue me, Domine, ab homine malo : a viris iniquis salva me.

V. V. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo eripe me.

16 « Imperfectum meum..... » informem adhuc me : Hier. fœtum rudem in utero matris. « Omnes scribentur : » omnes artus, seu partes corporis mei, quas tu tam perfecte noveras, ac si jam in libro descriptas haberes. « Formabuntur : » in dies fingebantur partes illæ. « Et nemo, » etc. et non una in eis : Heb. ne una quidem earum erat : nec tu impolitas aut male cohærentes composuisti, sed totas formasti cum non essent.

17 « Nimis honorificati sunt.... » Cum Deus tantus sit, quam felices potentesque sunt, quos amore suo dignatur ! at Heb. quam pretiosæ cogitationes tuæ, Deus ! quanta earum summa ! eadem enim vox hebræa « Rehe, » quæ hic « amici, » 3 « Cogitationes : » eadem quoque vox « Rosch, apud 70. hic quidem *archai*, vertitur : *arithmos*; autem, Num. I. 49 quod « summam » Vulgata vertit. Item *sullogismon*, Exod. XXX. 12. ubi et Vulgata « Summam. »

18 « Exsurrexi : » evigilavi : Hier. « Et adhuc sum tecum : » statim a somno, de te cogito.

19 « Si occideris : » an non occides, o Deus, peccatores, qui calumniantur innocenti ? vel si quidem occideris Deus impium, discedant a me sanguinarii.

20 « Quia dicitis.... » qui contradicent, etc. totus versus ex Hier.

22 « Perfecto odio oderam. .. » Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Aug. Vide Præf. n. 14.

Qui cogitaverunt malitias in corde : tota die versati sunt in prælliis.

Exacuerunt linguam suam quasi serpens : venenum aspidum sub labiis eorum. Semper.

Custodi me, Domine, de manu impii, a viro iniquitatum serva me: qui cogitaverunt supplantare gressus meos.

Absconderunt superbi laqueum mihi, et funibus extenderunt rete juxta semitam : offendiculum posuerunt mihi. Semper.

Dixi Domino, Deus meus es tu : audi, Domine, vocem deprecationis meæ.

Domine Deus, fortitudo salutis meæ, protexisti caput meum in die belli.

Ne des, Domine, desideria impii : scelera ejus ne effundantur, et eleventur. Semper.

Amaritudo convivarum meorum : labor labiorum eorum operiet eos.

Cadent super eos carbones ignis : dejicies eos in foveas, ut non consurgant.

Vir linguosus non dirigetur in terra : virum iniquum mala capient in interitu.

Scio quod faciet Dominus causam inopis, judicia pauperum.

Attamen justi confitebuntur nomini tuo : habitabunt recti cum vultu tuo.

3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde : tota die constituebant prælia.

4. Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum.

5. Custodi me, Domine, de manu peccatoris ; et ab hominibus iniquis eripe me ;

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : 6. absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7. Dixi Domino : Deus meus es tu : exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.

8. Domine, Domine, virtus salutis meæ : obumbrasti super meum in die belli.

9. Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori : cogitaverunt contra me : ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10. Caput circuitus eorum : labor labiorum ipsorum operiet eos.

11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.

12. Vir linguosus non dirigetur in terra : virum injustum mala capient in interitu.

13. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.

14. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo : et habitabunt recti cum vultu tuo.

3 « Constituebant prælia : » instruebant : nihil nisi rixas cogitabant.

5 « Ab hominibus iniquis, » a viro iniquo : Heb. ut supra, 2.

6 « Funes extenderunt : » funibus extenderunt rete, etc. Hier.

9 « Ne tradas me ... » Ne tradas me impio præter spem ac desiderium meum. Ne des, Domine, desideria impii : Hier. « Cogitaverunt contra me.... » Cogitationem ejus ne promoveas : exaltabunt se : Hebr. id est, disturba consilia eorum, alioquin superbient.

10 « Caput, » sive princeps, « Circuitus eorum : » coronæ, sive conventus eorum. Caput circumvenientium me : Heb. Achitophel. « Labor labiorum ipsorum : » eorum elaborata atque exquisita consilia : « Operiet eos : » involvet eos; consiliis suis capientur, tam ipse Achitophel, quam inimici reliqui : quippe belli incentores atque artifices fraudum, in quibus perierunt. Alii : venenum circumvenientium me, qui est labor labiorum ipsorum, operiet eos : venenatis verbis consiliisque suis et ipsi pereant. Vox enim « Rosch, » quæ hic « caput » vertitur, alias significat amaritudinem vel venenum : ut Ps. LXVIII. 22. ubi interpres vertit, fel.

11 « In ignem... » Cadent carbones ignis; in foveas dejicies, etc. Hier.

12 « Vir linguosus : » lingua seu eloquio confidens : ex eorum genere qui dicunt : « Linguam nostram magnificabimus : Ps. XI. 5. consiliis technisque nostris omnia pervincemus; qualis Achitophel, cujus erat consilium, « quasi si quis consuleret Deum, » II. Reg. XVI. 23. « Non dirigetur : » non firmabitur.

PSALMUS CXL. DEPRECATORIUS.

David mitis erga inimicos, contra eorum dolosa verba et insidias, sub Saule, ut videtur, Dei patrocinium implorat. *Vide* Ps. XXXVIII. Hunc Psalmum quotidie ad vesperam canebat orientalis Ecclesia, propter v. 2. Chr.

V. S. H. — *Psalmus David.*

Domine, clamavi ad te, festina mihi : exaudi vocem meam clamantis ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo : serva paupertatem labiorum meorum.

Ne declines cor meum in verbum malum, volvere cogitationes impias cum viris operantibus iniquitatem, neque comedere in deliciis eorum.

Corripiat me justus in misericordia et arguat me oleum amaritudinis non impinguet caput meum : quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum.

Sublati sunt juxta petram judices eorum, et audient verba mea : quo-

V. V. — *Psalmus David.*

1. Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende voci meæ, cum clamavero ad te.

2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3. Pone, Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.

4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum.

5. Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum : 6. Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

1 « Exaudi me : » festina mihi : Hier. ut LXIX. 2

2 « Incensum : » suffitus : Heb. « Sacrificium vespertinum : » quod frequentius et honoratius erat, completo diei opere.

3 « Pone, Domine, custodiam ori meo : » ne Saulis et adversariorum circumventus insidiis, odiisque exasperatus, aliquid incautum effutiat, aut maledictum pro maledicto reddat. « Et ostium circumstantiæ : » hæc custodia ita muniat, tueaturque ostium labiorum meorum, quemadmodum adhibita custodia cavere solent ne quis effugiat.

4 « Ad excusandas excusationes : » alii : ad involvenda involucra in impietatibus, quod idem est; poterat enim Davidis animum subire cogitatio de occidendo inimico, puta Saule, atque aliis, eo quod toties insidiati non immerito perderentur; sed hanc excusationem non admisit simplex et candidus Davidis animus. Theodor. Hæc valent adversus eos, qui fucare et colorare flagitia, quam emendare malunt. « Et non communicabo cum electis eorum : » cum amicissimis eorum; mali enim pessimum quemque impensius diligunt : at Hier. Neque comedam in deliciis eorum; non interero eorum delicatis conviviis; neque voluptate blanditiisque inescatus, iis me dedam.

5 « Corripiet me justus : » ut Paulus ad Gal. III. 1. « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? In misericordia : » cum subdat, « filioli mei, quos iterum parturio : » Galat. IV. 19. « Oleum autem peccatoris.... » verba adulatoria impiorum non me decipiant; « Meliora » enim « sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis : » Prov. XXVII. 6. At Heb. contundat me justus beniguitate : (bene consulendi studio) increpet me. (erit sicut) oleum primum, purissimum, præstantissimum : non franget caput meum; me non lædet. « Oratio mea in beneplacitis eorum. » Fausta eis imprecor, pro malitiis eorum. Hier. Orat pro inimicis : quæ tamen oratio eis non profuit; nam sequitur :

6 « Absorpti sunt juncti petræ.... » id est, missi sunt in manus petræ : Heb. Petræ collisi sunt; manus, pro robore : hebraismus, sic infra, 9. de manu laquei : Heb. « Judices eorum : » optimates, principes : sensusque est : Ego, divino præsidio, fui petra durissima, ad quam prin-

niam decora sunt.

Sicut agricola cum scindit terram : sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni.

Quia ad te, Domine Deus, oculi mei : in te speravi, ne evacues animam meam.

Custodi me de manibus laquei, quem posuerunt mihi, de offendiculis operantium iniquitatem.

Incident in rete ejus impii : simul autem ego transibo.

Audient verba mea quoniam potuerunt. 7. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. 8. Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam.

9. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

10. Cadent in retiaculo ejus peccatores : singulariter sum ego, donec transeam.

PSALMUS CXLI. DEPRECATORIUS.

V. S. H. — *Eruditio David, cum esset in spelunca, oratio.*

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundam in conspectu ejus eloquium meum, tribulationem meam coram illo annuntiabo :

Cum anxius in me fuerit spiritus meus. Tu enim nosti semitam meam. In via hac qua ambulabo, absconderunt laqueum mihi.

Respice ad dexteram, et vide quia non sit qui agnoscat me : periit fuga a me, et non est qui quærat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea, pars mea in terra viventium.

V. V. — 1. *Intellectus David. Cum esset in spelunca, oratio* (I. Reg. XXIV.)

2. Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.

3. Effundo in conspectu ejus orationem meam et tribulationem meam ante ipsum pronuntio ;

4. In deficiendo ex me spiritum meum. Et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

5. Considerabam ad dexteram, et videbam ; et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.

6. Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

cipes eorum allisi confractique sunt. « Quoniam potuerunt.... » dulcia sunt : Heb. ita et 70. *éduntèsan*, dulcia facta sunt ; pro quo Vulg. legit *éduněthèsan* : potuerunt. « Sicut crassitudo terræ : sicut terra densissima, proscissa, aratro jam immisso, ita dissipati sumus. Sicut agricola cum scindit terram, sic dissipata, etc. Hier. Statim in sepulcrum dejiciendi videbamur, scrobe jam aperta.

9 « A scandalis operantium iniquitatem : ab eorum tendiculis ; ab offendiculis, quæ gradienti objectabant.

10 « In retiaculo ejus : » viri dolosi, atque artificis. His laqueis impii facile capientur, cupiditate sua, amentiaque præcipites, suisque intenti dolis, aliorum technas non cogitant. » Singulariter sum ego : unus ego, donec transeam : Heb. Separatus ab impiis, eorum ruina non involvor.

3 « Pronuntio : » annuntiabo : Hier.

4 « In deficiendo ex me.... » cum deficeret me spiritus. « Tu cognovisti semitas meas : » vias quibus me expedires. « In via hac, qua ambulabam.... » circa Engaddi tanquam in locis tutissimis : I. Reg. XXIV. 1. atque in ipsa intima spelunca delitescens : Ibid. 4.

5 « Considerabam.... » undique circumspiciebam, et nemo mihi aderat. Respice ad dexteram : Hier. Respice me propitius : converso jam sermone ad Deum : ostendens quam nulla sit ratio expediendæ salutis, nisi confestim ipse subveniat. « Periit fuga a me : » vide quam graphice depingat extremum illud periculum. « Qui requirat animam.... » qui me salvum velit.

Ausculta deprecationem meam quoniam infirmatus sum nimis : libera me a persecutoribus meis, quoniam confortati sunt super me.

Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo : in me coronabuntur justi, cum retribueris mihi.

7. Intende ad deprecationem meam : quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me.

8. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo : me expectant juxti, donec retribuas mihi.

PSALMUS CXLII. DEPRECATORIUS.

V. S. B. — *Psalmus David.*

Domine, exaudi orationem meam, ausculta deprecationem meam in veritate tua ; exaudi me in justitia tua.

Et non venias ad judicandum cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Persecutus est enim inimicus animam meam, confregit in terra vitam meam : posuit me in tenebris, quasi mortuos antiquos.

Et anxius fuit in me spiritus meus : in medio mei sollicitum fuit cor meum.

Recordabar dierum antiquorum : meditabar omnia opera tua ; facta manuum tuarum loquebar.

Expandi manus meas ad te : anima mea quasi terra sitiens ad te. Semper.

Cito exaudi me, Domine : defecit spiritus meus. Ne abscondas faciem

V. V. — *Psalmus David*, 1. *quando persequebatur eum Absalom filius ejus* (II. Reg. XV. et seq.)

Domine, exaudi orationem meam : auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua justitia.

2. Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

3. Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi : 4. et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

5. Memor fui dierum antiquorum : meditatus sum in omnibus operibus tuis ; in factis manuum tuarum meditabar.

6. Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

7. Velociter exaudi me, Domine : defecit spiritus meus.

7 « Confortati sunt : » prævaluerunt mihi.

8 « De custodia : » carcere : Hier. de hac spelunca, in qua conclusus sum. « Ad confitendum nomini tuo : » in piorum cœtu : unde subdit : « Me expectant justi : » me piorum conventus expectat. « Donec retribuas mihi : » bona, pro tot adversis. At Hebr. in me coronabuntur justi. Omnes justi, tanto exemplo benignitatis tuæ freti, parem opem expectabunt, et in me uno se beatos ac tutos putabunt.

1 « Quando persequebatur.... » Hæc etiam habent 70. sed in quibusdam tantum exemplaribus, teste Theodor. non Hebr. non Hier. non alii interpretes. Aptius convenit delitescenti in illa spelunca, de qua superiore Psalmo : propter ℣ 3 et 4. « Exaudi me in tua justitia : » non stricta illa, quam nemo ferre possit, sed miti et temperata : unde subdit :

2 « Non intres in judicium cum servo tuo : » quibuscumque in angustiis vir bonus peccata sua statim recogitat.

3 « In obscuris : » puta in spelunca, de qua supra Ps. CXLI. in qua jam propemodum tumulatus.

4 « Anxiatus est super me spiritus meus : » vix respirare possum, quasi compressis faucibus.

5 « Memor fui dierum antiquorum : » vide virum sui compotem, qui tantis quoque in angustiis, prisca divinæ bonitatis exempla meditatur.

6 « Terra sine aqua : » sitiens. Hier. Hoc cauit omnis anima, cum, sensibus omni solatio destitutis, sola fide vivit.

tuam a me; et comparabor descendentibus in lacum.

Fac me audire mane misericordiam tuam, quoniam in te confido: notam fac mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te levavi animam meam.

Libera me de inimicis meis, Domine: a te protectus sum.

Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus es. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Propter nomem tuum, Domine, vivificabis me: in justitia tua educes de angustia animam meam.

Et in misericordia tua dissipabis inimicos meos, et perdes omnes ligantes animam meam: ego enim sum servus tuus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

8. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

9. Eripe me de inimicis meis, Domine; ad te confugi: 10. doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: 11. propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, 12. et in misericordia tua disperdes inimicos meos:

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

PSALMUS CXLIII. EUCHARISTICUS.

V. S. H. — *David.*

Benedictus Dominus fortis meus, qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et fortitudo mea, auxiliator meus, et salvator meus:

Scutum meum, et in ipso speravi: qui subjecit populos mihi.

Domine, quid est homo, quia agnoscis eum; filius hominis, quia computas eum?

Homo vanitati assimilatus est: dies ejus quasi umbra pertransiens.

Domine, inclina cœlos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.

Mica fulmine, et dissipa eos: mitte sagittam tuam, et interfice illos.

V. V. — *Psalmus David, 1. adversus Goliath.*

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

2. Misericordia mea, et refugium meum: susceptor meus, et liberator meus:

Protector meus, et in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

3. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

4. Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra præteruent.

5. Domine, inclina cœlos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.

6. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

7 « Similis ero: » ne similis sim.

10 « Spiritus tuus bonus: » qui spiritus non videtur angelus esse, sed Spiritus sanctus qui prophetas afflabat.

1 « Adversus Goliath. » Ita Ch. ad ℣ 10 et 70. nec tamen in omnibus exemplaribus, teste Theodor. Videtur autem post victum Goliath, Philisthæosque fusos, Saulis nomine, cantatus. Neque enim tunc David rex erat. ℣ 2, 10, 11. Tum post eam victoriam fausta omnia populo precatur.

4 « Homo vanitati similis factus est.... » vapori, nihilo. Testis iste Goliath jactabundus et minax. « Sicut umbra prætereunt: » sicut umbra pertransiens: Hier.

6 « Fulgura coruscationem: » mica fulmine: Hier. emitte fulgura. « Eos: » hostes.

Extende manum tuam de excelso : libera me, et erue me de aquis multis : de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera mendacii.

Deus, canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui dat salutem regibus, qui eruit David servum suum de gladio pessimo.

Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera mendacii.

Ut sint filii nostri, quasi plantatio crescens in adolescentia sua : filiæ nostræ quasi anguli, ornati ad similitudinem templi.

Promptuaria nostra plena, et superfundantia ex hoc in illud.

Pecora nostra in millibus, et innumerabilia in compitis nostris.

Tauri nostri pingues : non est interruptio, et non est egressus, et non est ululatus in plateis nostris.

Beatus populus cujus talia sunt : beatus populus cujus Dominus Deus suus.

7. Emitte manum tuam de alto ; eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.

8. Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera iniquitatis.

9. Deus, canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

10. Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno : 11. eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera iniquitatis :

12. Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.

13. Prumptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : 14. boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. 15. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

7 « De manu filiorum alienorum : » Philistinorum.

8 « Quorum os..... » Quod Goliath, populo Dei suorum omnium nomine exprobaret. I. Reg. XVII. 10.

10 « De gladio maligno : » Goliath : et ita Ch.

12 « Quorum filii : » ut sint filii nostri : Hier. et ita per reliquum Psalmum habet « nostra » pro « eorum : » utrumque optimo sensu : docet enim, et impios frustra confidere opibus, et bonos, summa licet earum copia, non tamen in eis felicitatem reponere. « Filiæ eorum compositæ : » filiæ nostræ quasi anguli : Hebr. angulares lapides, quos omni arte ornabant et perpoliebant. « Similitudo templi, » vel palatii, sculpturis, columnis, omni denique arte exornati

13 « Eructantia : » superfundentia : Hier. « Ex hoc in illud : » tanta copia, ut bona in se congesta non capiant, sed in alia atque alia penuaria subinde diffundant. « Oves eorum fœtosæ : » in millibus : Hier. millibus multiplicantes. « In egressibus : » in compitis : Hier. in plateis : quibus ipsæ plateæ impleantur.

14 « Non est ruina.... neque transitus.... » nulla in stabulis labes, qua egredi possint ; tuta omnia et accurata in tectis. « Neque clamor, » tumultuantium ac insanientium ; sedata, compositaque omnia.

15 « Beatum dixerunt : » beatus populus : Hier. Beati quidem sumus propter temporalia, quæ Deus promisit legem observantibus ; at vera felicitas, Deo placere.

PSALMUS CXLIV. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Dei magnitudo, potentia, magnificentia, patientia, justitia, bonitas. Est autem Psalmus acrostichus alphabeticus, cujus singuli versus a singulis litteris ex ordine incipiunt.

V S. H. — *Laudatio David.*

Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in æternum et ultra.

In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sempiternum jugiter.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnificentiæ ejus non est inventio.

Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt.

Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, et verba mirabilium tuorum loquar.

Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt.

Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur, et justitias tuas laudabunt.

Clemens et misericors Dominus : patiens, et multæ miserationis.

Bonus Dominus omnibus, et misericordiæ ejus in universa opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent, et fortitudines tuas loquentur :

Ut ostendant filii hominum fortitudines ejus, et gloriam decoris regni ejus.

Regnum tuum, regnum omnium seculorum, et potestas tua in omni generatione, et generationem.

V. V. — 1. *Laudatio ipsi David.*

Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in seculum, et in seculum seculi.

2. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum, et in seculum seculi.

3. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.

4. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt.

5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.

6. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.

7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exultabunt.

8. Miserator et misericors Dominus : patiens, et multum misericors.

9. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

10. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.

11. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur :

12. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.

13. Regnum tuum, regnum omnium seculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.

3 « Non est finis : » inventio : Hier. investigatio : *anecsichniastos.* Cujus sublimitas tanta est, ut oculorum aciem effugiat : cujus per occultas et inaccessas vias incedentis indeprensa sunt vestigia : « in mari » enim « via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur ; » Ps. LXXVI. 20.

4 « Generatio et generatio : » generatio ad generationem, id est, generationi : Hier quo significatur laudum continuata traditio.

5 « Magnificentiam.... loquentur : et mirabilia.... » verba mirabilium tuorum loquar : Hier. meditabor : Hebr.

9 « Miserationes ejus super omnia... » et copia, et dignitate, et claritudine.

10 « Confiteantur tibi.... opera tua : » verba enim deficiunt, neque præter opera tua, quidquam te est dignum.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Sustentat Dominus omnes corruentes, et erigit omnes jacentes.

14. Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, et tu das eis escam suam in tempore suo.

15. Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis manus tuas, et imples omne animal refectione.

16. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

17. Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Juxta est Dominus omnibus qui invocant illum, omnibus qui invocant illum in veritate.

18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate.

Placitum timentium se faciet, et clamorem eorum exaudiet, et salvabit eos.

19. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, et universos impios conteret.

20. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.

Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus in æternum, et jugiter.

21. Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in seculum, et in seculum seculi.

PSALMUS CXLV. LAUDIS ET CONSOLATIONIS.

Non in hominibus confidendum, sed in solo Deo liberatore, et bonorum omnium auctore.

V. S. H. — *Halleluia.*

V. V. — 1. *Alleluia, Aggæi et Zachariæ.*

Lauda, anima mea, Dominum. Laudabo Dominum in vita mea : cantabo Deo meo quandiu sum.

2. Lauda, anima mea, Dominum; laudabo Dominum in vita mea : psallam Deo meo quandiu fuero.

Nolite confidere in principibus, in filio hominis, cui non est salus.

Nolite confidere in principibus :

3. In filiis hominum, in quibus non est salus.

Egredietur spiritus ejus, et revertetur in humum suam : in die illa peribunt cogitationes ejus.

4. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

13 « Fidelis Dominus : » deest hic versus integer in Hebr. jam a tempore Hier. Item apud Aquilam, Theodot. et Ch. At Syrus habet, et Arabs, ut 70. Porro necesse est illum textu excidisse, cum Psalmus sit acrostichus, desitque littera « Num » a qua incipit vox « Neeman » fidelis. Patet ergo non esse integrum ubique textum hebraicum.

15 « Tu das escam illorum : » hoc ad eucharistiam fideles referebant; unde hic versus assidue in ore eorum, qui mysteriis initiati. Chr.

1 « Aggæi.... » Ita Syrus et 70. non tamen in hexaplo. Theodor.

3 « In filiis hominum, in quibus... » filio hominis, in quo.... Hebr. neque in potentioribus, neque in tenuioribus confidite. De filio hominis, vide Psal. XLVIII. 3.

4 « Exibit spiritus ejus.... » filii hominis, scilicet. « Revertetur : » ipse homo, non spiritus ejus; nam verbum « Iaschub » masculinum est, nomen « Rouah » femininum : sic Eccl. XII.

7. « Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum. »

Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus : spes ejus in Domino Deo suo :

Qui fecit cœlos et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt : qui custodit veritatem in sempiternum :

Qui facit judicium calumniam sustinentibus, et dat panem esurientibus. Dominus solvit vinctos :

Dominus illuminat cæcos : Dominus erigit allisos : Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet, et viam impiorum conteret.

Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion : in generationem et generationem, halleluia.

5. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius : 6. qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt :

7. Qui custodit veritatem in seculum : facit judicium injuriam patientibus : dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos : 8. Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.

9. Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.

40. Regnabit Dominus in secula, Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.

PSALMUS CXLVI. EUCHARISTICUS.

Nehemiæ tempore, ingens immissa sterilitas, quod propria ædificia curarent, templi structuram negligerent. Neh. v. Agg. 1. Ergo post horrendam illam famem, dum urbs et templum extruuntur, reddita agris ubertate, hanc laudem Deo concinunt : nota v. 2, 3, 6, 8.

V. S. H. — *Psalmus.*

Laudate Dominum, quoniam bonum est canticum Dei nostri : quoniam decorum est pulchra laudatio.

Ædificabit Jerusalem Dominus : ejectos Israel congregabit.

Qui sanat contritos corde, et alligat plagas eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum ; et omnes nomine suo vocat.

Magnus Dominus noster, et multus fortitudine, et prudentiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus : humilians impios usque ad terram.

Canite Domino in confessione : canite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlos nubibus, et præbet terræ pluviam, et oriri facit in montibus germen.

V. V. — 1. *Alleluia.*

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

2. Ædificans Jerusalem Dominus : dispersiones Israelis congregabit.

3. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.

4. Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.

5. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.

6. Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

7. Præcinite Domino in confessione : psallite Deo nostro in cithara.

8. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum.

2 « Ædificans Jerusalem.... » Hæc designant tempus instauratæ Jerosolymæ, ac tribuum e captivitate redeuntium.

8 « Qui operit cœlum nubibus.... » Fames exstructo templo in copiam versa est. Agg. II. 18, 19, 20. « Et herbam servituti hominum : » hominum utilitatibus servientem, vel homini, eam servili opera, arando et subigendo, excolenti. Deest Hebr.

Qui dat jumentis panem suum : filiis corvi clamantibus.

Non est in fortitudine equi voluntas ejus : neque in tibiis viri placetur ei.

Placetur Domino in his qui timent eum, et expectant misericordiam ejus.

9. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

11. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.

PSALMUS CXLVII. EUCHARISTICUS.

Titulo caret in Hebræo, et continuatur præcedenti, ita etiam apud Hier. certe est ejusdem argumenti.

V. S. H.

Lauda, Jerusalem, Dominum; cane Deum tuum, Sion.

Quia confortavit vectes portarum tuarum : benedixit filiis tuis in medio tui.

Qui posuit terminum tuum pacem; adipe frumenti saturavit te.

Qui emittit eloquium suum terræ; velociter currit verbum ejus.

Qui dat nivem quasi lanam; pruinas quasi cinerem spargit.

Projicit glaciem suam quasi buccellas; ante faciem frigoris ejus quis stabit?

Mittet verbum suum, et solvet illa; spirabit spiritu suo, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jocob, præcepta sua, et judicia sua Israel.

Non fecit similiter omni genti, et judicia ejus non cognoscent : halleluia.

V. V. — *Alleluia*

12. Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.

13. Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.

14. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.

15. Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.

16. Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit.

17. Mittit crystallum suam sicut buccellas; ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

18. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus et fluent aquæ.

19. Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.

20. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Alleluia.

9 « Invocantibus eum : » clamantibus : Hier. etiam corvos pascit : « considerate corvos... et Deus pascit illos. » Luc. XII. 24.

10 « Nec in tibiis viri..... » Non in corporis robore; non in equestri arte salus : sed in benignitate Dei.

12 « Lauda, Jerusalem.... » eo quod instaurata et ædificata, ut superiore Ps. ℣ 2.

13 « Confortavit seras : » vectes : Hier. Contra ac hostes expectabant : dicebant enim : « Si transierit vulpes, transiliet murum eorum, » etc. Neh. IV, 2. 3.

17 « Crystallum : » glaciem : Hier. grandinem.

18 « Verbum : » imperium.

In fine hujus Psalmi est halleluiah in Hebr. non initio; est autem initio Psalmi CXLVI. quod argumento est hunc illi continuandum. Namin superiori CXLV. et in his reliquis tribus habetur et initio et fine.

PSALMUS CXLVIII. LAUDIS.

Dei amore flagrans, animata atque inanima in ejus laudes ciet, omnia nutu creantis, neque dedignantis plebem Israeliticam admovere sibi.

v. s. h. — *Halleluia.*

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes exercitus ejus.

Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ luminis.

Laudate eum, cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt.

Laudent nomen Domini; quoniam ipse mandavit et creata sunt.

Statuit ea in seculum, et in æternum; præceptum dedit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi:

Ignis, et grando, nix, et glacies, ventus, turbo, quæ facitis sermonem ejus:

Montes et omnes colles: lignum frugiferum, et universæ cedri:

Bestiæ, et omnia jumenta, reptilia, et aves volantes:

Reges terræ, et omnes populi: principes et universi judices terræ;

Juvenes, et virgines: senes cum pueris laudent nomen Domini:

Quoniam sublime nomen ejus solius, gloria ejus in cœlo et in terra.

Et exaltavit cornu populi sui: laus omnibus sanctis ejus, filiis Israël populo appropinquanti sibi, halleluia.

v. v. — 1. *Alleluia.*

Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum, omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

3. Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ, et lumen.

4. Laudate eum, cœli cœlorum, et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, 5. laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, et in seculum seculi: præceptum posuit, et non præteribit.

7. Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi:

8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

9. Montes et omnes colles: ligna fructifera, et omnes cedri:

10. Bestiæ, et universa pecora; serpentes, et volucres pennatæ;

11. Reges terræ, et omnes populi; principes, et omnes judices terræ:

12. Juvenes, et virgines; senes cum junioribus laudent nomen Domini; 13. quia exaltatum est nomen ejus solius.

14. Confessio ejus super cœlum et terram; exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus; filiis Israel populo appropinquanti sibi. Alleluia.

2 « Virtutes: » exercitus: Hier.

3 « Stellæ et lumen: » stellæ luminis: Idem. id est, luminosæ.

4 « Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt. » Nubes intellige: unde in sequentibus; venti, nix, glacies, non tamen nubes memorantur. Vide Ps. CIII. 3.

3 « Quia ipse dixit, et facta sunt: » deest hic Hier. habetur XXXII. 9.

6 « Et non præteribit: Cœlum » enim « et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. » Matth. XXIV. 35.

7—8 « Dracones: grando: nix: » etiam quæ noxia sunt, Deum laudant: immisssa quippe ad ejus justitiam commendandam. « Quæ faciunt verbum. Erubesce, homo; serpentes, abyssi, nix, » etc. « verbum Dei faciunt: et tu non facis!... In eo autem Deum laudant, quod » non mutant naturam suam, stantque in ordine suo absque solo homino cui omnia subjecta sunt. » Hier. in hunc Ps.

14 « Et exaltavit... » Vide Hier.

PSALMUS CXLIX. EUCHARISTICUS.

Magna, ut videtur, victoria reportata : v. 7, 8.

V. S. H. — *Halleluia.*

Cantate Domino canticum novum : laus ejus in congregatione sanctorum.

Lætetur Israel in factore suo : filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano et cithara cantent ei.

Quia complacet sibi Dominus in populo suo : exaltabit mansuetos in Jesu.

Exultabunt sancti in gloria : laudabunt in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum :

Ad faciendam vindictam in gentibus, increpationes in populis :

Ut alligent reges eorum catenis, et inclytos eorum in compedibus ferreis :

Ut faciant in eis judicium conscriptum : decor est omnium sanctorum ejus. Alleluia.

V. V. — 1. *Alleluia.*

Cantate Domino canticum novum; laus ejus in ecclesia sanctorum.

2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro; in tympano et psalterio psallant ei.

4. Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.

5. Exultabunt sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis.

6. Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.

7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis :

8. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis :

9. Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc esto omnibus sanctis ejus. Alleluia.

PSALMUS CL. LAUDIS.

Quidquid sonat, Deum sonet.

V. S. H. — *Halleluia.*

Laudate Dominum in sancto ejus : laudate eum in fortitudine potentiæ ejus.

Laudate eum in fortitudinibus ejus : laudate eum juxta multitudinem magnificentiæ suæ.

Laudate eum in clangore buccinæ : laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

V. V. — 1. *Alleluia.*

Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

2. Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

3. Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.

4. Laudate eum in tympano, et choro : laudate eum in chordis et organo.

5 « In cubilibus suis : » en securitatem, en requiem, en perpetem voluptatem.

6—7 « Exaltationes : » voces, Deum extollentes, *upsóseis* : ita Hebr. « Gladii ancipites. Ad faciendam vindictam in nationibus : » ad ulciscendos Chananæos.

8 « Ad alligandos reges : » ut Adonibezec, Agag, etc.

9 « Judicium conscriptum : » a Deo propter eorum scelera pronuntiatum, et tanquam ex tabula recitatum.

1 « In sanctis : » sancto : Hier. id est, sanctuario. Ita Ch. « Firmamento : » expanso : Hebr. quod est cœlum, Dei sedes : cujus templum figura erat.

2 « Virtutibus : » fortitudinibus : Hier.

Laudate eum in cymbalis sonantibus : laudate eum in cymbalis tinnientibus.

Omne quod spirat, laudet Dominum, halleluia.

5. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis. 6. Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

6 « Omnis spiritus : » omne quod spirat : idem omnis mens : » Neschamah : » atque hic est pulcherrimus ac suavissimus sacræ psalmodiæ fructus, ut in laudes Dei, non modo cujusque nostrum spiritus, verum etiam omnis spiritus, omnis vox, mens omnis erumpat.

FINIS PSALMORUM.

CANTICA

Cum cantica divinam spectent psalmodiam, etiam ex instituto Ecclesiæ : ideo cum Psalmis ea edere, notisque simul illustrare visum est. Ea enim sunt, quæ in gratiarum actionem pro collatis a Deo beneficiis, sive ad eorum memoriam sempiternam, Spiritu sancto afflati cecinerunt sancti Dei homines. Hic itaque illa habeas, ut in Scripturis reperiuntur, juxta cujusque voluminis ordinem. Non ideo tamen præcellentissimum illud Salomonis Canticum statim damus, quod et per sese suo volumine constet, neque ad canendum adhibeatur in fidelium cœtu; Deo autem juvante, suo loco dabitur.

CANTICUM MOYSI,

LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Ecclesia salva per baptismales aquas, peccatis ibi mersis sepultisque, ac victo antiquo hoste diabolo, priscæ jam inde ab Adamo servitutis, partæque per Christum libertatis memor, ad ritum victricium animarum, Canticum Moysi viri Dei in cœlo canentium (Apoc. XV. 3.), hoc canit Feria V. (*Hodie Feria* II.)

« Postquam, jubente Mose, aquæ maris Rubri, » muri instar ad dexteram et ad lævam « constiterunt, ut Israelitis locum transeundi darent, insecutique Ægyptii, eodem Mose imperante, reversis ad naturam fluctibus, una cum curribus equisque hausti; cum adhuc tanta strages hostium sub oculos versaretur : » Exod. XIV. 21. et seq.) sumpsit Maria prophetissa soror Aaron tympanum; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus *illa* præcinebat. Exod. XV. 20, 22.

EXODI CAPUT XV.

1. Tunc cecinit Moyses, et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt :
Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare.
2. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salu-

1 « Cecinit Moyses..... Cantemus Domino..... » Hæc igitur, Moyse viris, ut Maria fœminis præcinente, cecinerunt. Qûa de re videsis egregium Philonis locum, Præfat. cap. VI. num. 33. et in Ps. LXVII. V. 26. « Equum et ascensorem : » Pharaonem cum omni equitatu suo, ut habet ℣ 19.

2 « Fortitudo mea..... » Unumquemque Israelitam loquentem inducit, ut major demonstretur pietatis gratique animi sensus.

tem : iste Deus meus, et glorificabo eum : Deus patris mei : et exaltabo eum.

3. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.

4. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare : electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.

5. Abyssi operuerunt eos : descenderunt in profundum quasi lapis.

6. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum.

7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos : misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.

8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ : stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

9. Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea; evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

10. Flavit spiritus tuus ; et operuit eos mare : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.

12. Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra.

13. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.

14. Ascenderunt populi, et irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

15. Tunc conturbati sunt principes Edom; robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

16. Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui : fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

17. Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine : sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.

18. Dominus regnabit in æternum et ultra.

19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus

3 « Omnipotens nomen ejus : » Dominus, nomen ejus : Hebr. Jehovah : 70. *curios*

8 « Et in spiritu furoris tui..... » sive ipsa ira Dei, sive per eam vi venti vehementis immissa, ut Ex. XIV. 21. « Congregatæ sunt : » coacervatæ sunt « aquæ : « non pro natura sua liquidæ ac diffusæ, sed in firmam congeriem compositæ; idque ex ira Dei in Ægyptios, quos, veluti repressis aquis, invitabat ad ingressum ; ingressos immissis rursus aquis obruit. » Stetit unda fluens... » steterunt fluenta sicut acervus : Hebr. « Congregatæ sunt . « coagulatæ sunt... Hebr. ac veluti congelatæ, abyssi :.» gurgites, velut in aggerem versi.

10 « Flavit spiritus tuus : » ventus : ut enim Dominus mare abstulit flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum, divisaque est aqua ; Ex. XIV. 21. sic etiam, immisso vento, recidere fluctus in Ægyptios.

12 « Devoravit eos terra : » aquis superfusis, atque alte subjectam arenam in cadavera volventibus.

14 « Ascenderunt populi : » audierunt : Hebr. 70. « Et irati sunt : » commoti sunt ; conturbati sunt. « Dolores obtinuerunt.... » sic Ps. XLVII. 7, 8. « Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos : ibi dolores ut parturientis, etc.» ac passim apud prophetas.

15 « Tunc conturbati sunt .. » longe lateque diffuso metu per vicinas regiones : dicebant enim : « Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon : » Num. XXI. 14. adeoque nihil erit impervium. Ac sic post longissima quoque tempora sub Heli pontificis principatu, inclamabant Philistæi : « Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum ? Hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto : » I. Reg. IV. 8. quanto magis territi, recente rei memoria ?

16 « Fiant immobiles... donec pertranseat... » Filii enim Esau et alii, hoc metu velut obstupefacti, facilem Israelitis transitum præbuerunt : « Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau... et timebunt vos. » Deut. II. 4.

18 « Dominus regnabit... » Finis cantici, ut videtur : collata in Deum gloria.

19 « Ingressus est... » Quo loco intermissa narratio resumitur : hunc etiam versum integrum canit Ecclesia.

in mare; et reduxit super eos Dominus aquas maris : filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

ALTERUM MOYSI CANTICUM,

INCREPATORIUM, COMMEMORATORIUM.

Canitur in laudibus Sabbati, ut adoptionis filii beneficentissimum parentem Deum ament, colant, metuant.

Moysi morituro, ac Josue Moysi successori designato, sic præcepit Dominus præscius futurorum : Scribite vobis Canticum istud, et docete filios Israel, ut memoriter teneant, et ore decantent : et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel..... Cumque comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos..... Postquam *autem* invenerint *populum* mala multa et afflictiones, respondebit ei Canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis tui. *Ergo ad sempiternam rei memoriam*, locutus est Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus; et ad finem usque complevit. Deut. XXXI. 14. et seq. *Vide autem quo spiritu extrema in senectute, jamjamque moriturus, canat.*

DEUTERONOMII CAPUT XXXII.

1. Audite, cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei.
2. Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.
3. Quia nomen Domini invocabo : date magnificentiam Deo nostro.
4. Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia : Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.
5. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus : generatio prava atque perversa.
6. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?
7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.
8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.
9. Pars autem Domini, populus

1 « Audite, cœli.... audiat terra : » sic enim prædixerat : « Invocabo contra eos cœlum e terram : » Deut. XXXI. 28. quod et Moyses, et alii prophetæ sæpe faciunt; ut populi rebellantis pectus, rebus quoque inanimis durius, emolliant : tum ut universa rerum natura in impios et contumaces insurrectura esse videatur.

2 « Concrescat ut pluvia... fluat ut ros... » tanto impetu; tanta suavitate et copia.

5 « Et non filii ejus... » peccavit ei, non filii ejus, macula eorum; Hebr. « Moumam : » paternæ honitatis obliti : a patre deserti : nec jam filii, sed inimici : quo eis dedecoris sempiterni nota inuritur.

6 « Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te? » genuit : quo sensu Heva dixit, edito partu : « Possedi hominem per Deum : » Gen. IV. 1. « Et fecit, et creavit te. » Commemorare incipit quot nominibus parens; ac primum creatione, hic : tum electione et adoptione singulari præ cæteris gentibus : amore, bonitate, cura, assignata hæreditate, quod exequitur, v 7, 8, 9. et seq.

8 « Quando dividebat... quando separabat filios Adam. » Jam inde ab initio, cum filiis Adam et Noe eorumque nepotibus terram distribueret; in animo habebat filios Israelis electi sui : itaque « constituit terminos populorum » Chananæorum, « juxta numerum filiorum Israel : » septem illos populos Chananæos donavit regione idonea ad capiendum alendumque populum suum, in eam regionem divina pollicitatione transferendum.

ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus.

10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui.

11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

12. Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus.

13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

14. Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

16. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

17. Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

18. Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.

19. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii.

21. Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis: et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.

22. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.

23. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.

24. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

25. Foris vastabit eos gladius, et

10 « Circumduxit eum: » non statim, ac directa via in terram promissam duxit. « Et docuit: » in deserto circumactum per viarum ambages, quo eum ut puerum indisciplinatum, per quadraginta annos et monitis et castigationibus erudiret. « Et custodivit quasi pupillam. . » Matris instar sedulæ, quæ cum nec virgis parcat, tamen puerum et sinu fovet, et oculis cariorem habet, nec unquam a pectore visuque dimittit.

12 « Dominus solus... » Recte inculcatum, ne ad alios deos mens cæca defluat.

14 « Et arietum filiorum Basan: » quorum erant uberes campi et pinguissima pascua: « mons Basan, mons pinguis. » Psalm. LXVII. 16, 17.

15 « Incrassatus est dilectus. » Alii, rectus: populus Israel summa cura ad veri rectique studium institutus. Commemoratis hactenus beneficiis, jam ad flagitia transit.

19 « Et ad iracundiam concitatus est: » et reprobavit præ indignatione filios suos et filias: Hebr. Post beneficia et flagitia immemoris populi, ad Dei minas ultionemque transgreditur.

20 « Abscondam faciem meam.... » Iterat Domini dicta ita comminantis: « Abscondam et celabo faciem meam in die illo: » Deut. XXXI. 18.

21 « Ipsi... irritaverunt in vanitatibus suis: » in idolis, in falsis diis. « Et ego provocabo eos... » Erigam enim super eos gentes, quæ non sunt populus meus: « Et in gente stulta... » quæ Deum ignorat: sensusque est: Quemadmodum illi, mihi Deo vero, falsos deos; ita ego illis in verum populum electis, populos alienos, neque a me adoptatos, anteponam: quod recte traducit Paulus ad vocationem gentium: Rom. X. 19. « Provocabo... irritabo... » ad æmulationem vos adducam: ut recte 70. vertunt ac Paulus. En Dei bonitas: gentes enim inimicas suorum humeris victrices imponit; ut si non voluntate, certe æmulatione ac pudore victi, ad Deum redeant: quod imitatus apostolus ostentat Judæis effusas in gentes divinæ misericordiæ divitias: « Si quo modo, » inquit, « ad æmulandum provoceem carnem meam » (Judæos cognatos meos) « et salvos faciam aliquos ex illis: » Rom. XI. 14.

24 « Cum furore trahentium super terram, atque serpentium, » cum veneno serpentium terræ: Hebr.

25 « Foris... gladius, et intus pavor: » nullum ab armis, nullum ab animi virtute præsidium. « Intus pavor, » etiam absistente gladio: « fugietis » enim, « nemine persequente: »

intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

26. Dixi : Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Sed propter iram inimicorum distuli; ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent : Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia.

28. Gens absque consilio est, et sine prudentia.

29. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent :

30. Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem milla! nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?

31. Non enim est Deus noster ut dii eorum : et inimici nostri sunt judices.

32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum, uva fellis, et botri amarissimi.

33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?

35. Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

36. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur : videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

37. Et dicet : Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam :

38. De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum? Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.

39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me : ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est qui de manu mea possit eruere.

40. Lavabo ad cœlum manum meam, et dicam : Vivo ego in æternum.

41. Si acuero, ut fulgur, gladium meum, et arripuerit judicium manus

Lev. xxvi. 17. « Terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium : cadent nullo persequente, et corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes : » Ibid. 36 et 37. « Juvenem simul ac virginem... » fortes æque ac imbelles ; omnes exanimati metu, jamque in corde victi, anteaquam manus conserant; quo nihil est miserabilius aut abjectius.

26 « Dixi : Ubinam sunt ? » Quasi non videret, et adhuc quæreret ad supplicium : ut dato, dum minatur, pœnitendi spatio, resipiscant : unde sequitur :

27 « Sed propter iram inimicorum distuli : » ne ferociant hostes facili victoria. Vide autem ut ultro quærat ignoscendi causas. « Distuli » autem ; non omnino sustuli gladium ab Israelitis, ne veluti certa jam venia insolescant.

30 « Et Dominus conclusit illos : » in angustias, in insidias, in carceres.

31 « Et inimici nostri sunt judices : » Dei vindictam, ac deorum suorum vanitatem experti toties.

32 « De vinea Sodomorum... » Magna spe, nullo fructu : igne consumente omnem circumquaque regionem, et cancta terræ virentia, Gen xix. 25. spemque omnem vindemiæ. « De suburbanis ; » de vicinia « Gomorrhæ, » solo arido et exusto, exsuccas inanesque fruges proferente. « Vinea eorum : » Israelitarum rebellium.

34 « Nonne hæc : » flagella supra memorata : « condita sunt : » penes me sunt : tanquam in penu mea sunt, unde promam.

35 « Ego retribuam in tempore. » non statim ; ut dem locum pœnitentiæ : sed velut victa et exhausta patientia. « Ut labatur pes eorum : » ita retribuam, ut labatur pes eorum, neque ullo loco possint consistere. « Ego retribuam... » labetur pes eorum : Hebr. statim atque aggrediar, nulla mora in exitium ruent.

36 « Judicabit Dominus populum suum ; » summa benignitate, ut inflectat ad pœnitentiam. Unde subdit : « et in servis suis miserebitur : » quæ ultima pars erat Cantici : ut scilicet, commemoratis beneficiis, flagitiis, suppliciis, in consolationem ac misericordiam, uti solet, prophetica oratio desineret ; quanta autem misericordia ! « videbit » enim : nihil opus admoneri aut excitari eum : ipse ultro respiciet miseros. « Videbit, quod infirmata sit manus : » cum videbit, quod abierit manus : Hebr. seu vires ceciderint. « Et clausi quoque defecerunt : » capti bello et ex bello relicti deficient in carcere, neque ulla spes gentis.

41 « Reddam ultionem... » Castigato misericorditer populo, hostes eorum ad internecionem insectatur : quod est divinæ beneficentiæ in suos miraculum vel maximum. « Hostibus meis. Non populi, sed meis : inquit ; ad benevolentiæ testificationem.

mea : reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.

42. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, et de captivitate, nudati inimicorum capitis.

43. Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui.

CANTICUM DEBBORÆ,

TRIUMPHALE, GRATIARUM ACTIONIS.

« Debbora prophetissa populum judicabat : hujus jussu ductuque Barac dux fortissimus, Sisaram Jabin regis Chanaan ducem, cum omni exercitu ad internecionem delet : ipse Sisara, a Jahele fortissima fœmina, clavo temporibus infixo cæditur : Jud. IV. cujus viso cadavere, in Dei laudes versi sunt. »

JUDICUM CAPUT V.

1. Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes :

2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

3. Audite, reges, auribus percipite, principes : Ego sum, ego sum quæ Domino canam; psallam Domino Deo Israel.

4. Domine, cum exires de Seir; et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis.

5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel.

6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel quieverunt semitæ, et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

7. Cessaverunt fortes in Israel, et

42 « De cruore occisorum : » supple, inebriabo sagittas. « Et de captivitate : » siquidem ne captivis parcet. « Nudati... capitis : » in captivitate, ad ignominiam.

43 « Sanguinem servorum suorum ulciscetur : » Vide autem unde incipiat, quo assurgat, ut denique desinat divini vatis oratio. Nempe ut prædiximus, a beneficiis ad flagitia, atque inde ad supplicia conversus; postquam eo devenit, ut ira, velut in immensum exaggerata, nullam spem veniæ reliquisse videretur, ex improviso ostendit, misericordiæ ac veniæ non posse oblivisci Deum; quin potius inter ipsa supplicia miserescentem inducit, ac veluti pœnitentem, idque ultro et sola visa miserrimæ plebis calamitate incitatum, quo statim non modo repressa ira, verum etiam in hostes versa sit : qua beneficentia cum nihil majus cogitari possit, in ea quoque desini oportebat.

2 « Qui sponte obtulistis... » Pulcherrimum laudum exordium : quod se ultro pro patria bello devoverint. Non enim universus populus : sed decem millia pugnatorum ex tribu Zabulon et Nephthali acciti sunt Jud. IV. 6, 10. Heb. sic habet : in ulciscendo ultiones in Israel, in devovendo se populum. hoc est : qui ulti estis Israelem; qui vos devovistis ad prælium, « benedicite Domino. »

3 « Audite; reges... principes : ego sum... » ego Domino, ego canam; psallam Domino Deo Israel : Heb. Ego fœmina, quod regibus principibusque miraculo sit, ductu meo gesta prælia canam; sed Domino, cujus potentia vicimus.

4—5 « Domine, cum exires... » Sic Deut. XXXIII. 2.. « Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : ubi etiam Seir cum Sinai conjungitur. Vide Psal. LXVII. 9, 19. Solebant autem, quacumque in victoria, redire ad prisca illa sub Mose miracula.

4 « Terra mota est. »—5 « Montes fluxerunt... » Figurate : commota omnia, adventante Domino : quo etiam significat quid incolis montium evenerit. Vide Ps. CXIII. 7.

6 « Quieverunt semitæ : » itinera cessarunt, et ambulantes in semitis ibant per calles devios : Heb. Non erant tuta itinera propter incurrentes hostes : quantumvis Samgar vir fortis fuerit, non tamen ejus tempore universim tranquillæ res erant; semel enim salvavit populum : Jud. III. 31. nec Jahel salvum præstiterat, licet ex fœdere cum Chananæis icto, ipsis terrori fuerit : Jud. IV. 17.

7 « Donec surgeret... » Donec surrexit Debbora : Heb. Miratur tantum potuisse imbellem feminam. Vide infra Canticum Judith. XVI. 7, 8. « Fortes, » villæ, pagi : Heb. ut infra, 11.

quieverunt; donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.

8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.

9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.

10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et seditis in judicio, et ambulatis in via, loquimini.

11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini, et clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum.

12. Surge, surge, Debbora, surge, surge, et loquere canticum: surge, Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem.

13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.

14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec; et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec, de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

15. Duces Issachar fuere cum Deb-

8 « Nova bella elegit Dominus.... » gesta quippe fœminea manu: alii, rem novam, unde bellum portis, hostilibus scilicet; ut intelligit Hieronymus. Quæ interpretatio plana est. Alii tamen non incongrue cum 70. sic vertunt: elegit (Israel) deos novos; tunc bellum portis, quod consequenter intelligendum esset, suis; ut ex novorum deorum cultu, exitium Israelitis venerit. « Clypeus et hasta... » Namque ante Debboræ victoriam, ut habetur ℣ 7. erant quidem in Israele multa hominum millia, non tamen pugnatores, nec arma suppetebant, tanta erat inopia.

9 « Cor meum diligit principes Israel: » cor meum ad duces Israel: Heb. « Qui propria voluntate obtulistis vos... » devoventes vos populis... Heb. ut supra, ℣ 2.

10 « Super nitentes asinos... » Quod dignitatem notabat, ut passim et Jud. x. 4. xii. 14. « In judicio: » in « Middin: » Heb. quod alii nomen loci intelligunt; quem maxime hostes infestarent. « Loquimini: » meditamini: Heb. attendite cantico.

11 « Ubi collisi sunt currus... » A voce sagittariorum, inter fontes (sive puteos) ibi narrent justitias Domini, justitias villæ ejus in Israel: Heb. Israelitæ a tumultu bellico tuti, ad puteos seu fontes, ubi coire solet populus, justitiam Domini celebrabunt hostes ulciscentis, villasque terræ suæ prius desertas pristinæ quieti ac frequentiæ restituentis. « Ad portas: » ubi conventus agebantur. « Et obtinuit principatum: » victoriam: Israeliticus populus; de quo per totum versum. Sed hæc postrema verba desunt Heb. et 70.

12 « Apprehende captivos tuos: » Israelitas tuos olim captivos, nunc autem liberatos, quod sequentia docent.

13 « Salvatæ sunt reliquiæ populi: » Israelitæ ex tot retro calamitatibus ac servitutibus superstites: obvio sensu: sed Heb. aliter. Tunc dominabitur superstes illustribus populi, hoc est, quos Israelitas ex tantis bellis superstites servaverat Dominus, illustribus populi Sisaræ dominabuntur. « Dominus in fortibus... » Dominus dominabitur mihi in fortibus: Heb. Eo quod dixerat dominaturos Israelitas, subdit: imo non illi, sed Dominus per eos, in populi mei utilitatem, fortes illos Sisaræ vincet. 70. sic, et fortasse melius: Residuum descendit fortibus: populus Domini descendit in potentibus, ex me, hoc est: Israelitarum reliquiæ, cum magnis viribus adversus hostes, me duce, descenderunt.

14 « Ex Ephraim. » Hoc versu et seq. ne solas tribus Zabulon et Nephthali, quæ hoc prælium gesserunt, commendare videatur, commemorat antiqua aliarum tribuum fortiter gesta; sic tamen, ut primas Zabuloni et Nephthali tribuat, quorum recentem victoriam celebrandam susceperat. Chaldæus, eoque secuti plerique interpretes hic intelligunt Josue Ephraimitam, qui primus vicit Amalecitas, et Saulem Benjamiten, qui postea eos delevit. Sed nec satis cohærent omnia, nec videtur hic prophetandi de Saule locus. Verisimile est notari gesta quædam ignota nobis in Amalecitas: sensusque fuerit: ut Ephraimitæ et Benjamitæ in Amalecitas, sic Zabulon et Nephthali in Chananæos egregie pugnasse; vel Ephraimitæ deleverunt eos in monte Amalec, in tribu Ephraim sito, de quo Jud. xii. 15. Alii sic exponunt: Deus victos Chananæos in Ephraimitarum, atque inde in Benjamitarum fines, postremo extra terram Juda usque in Amalecitas pepulit. « O Amalec: » deest Heb. 70. « De Machir principes... » Machir filius Manassis, ut non tantum Ephraim, sed etiam Manassis ejus fratris fortia facta commemoret. « Et de Zabulon, qui exercitum ducerent... » et de Zabulon trahentes in virga scribæ. Heb. Chaldæus autem hanc virgam intelligit stylum vel calamum. Sensus est: ex Machir quidem vicisse duces, ex Zabulon vero, adeo omnes, ut et qui studiis litterarum operam dabant, pro stylo, jam arma caperent.

15 « Duces Issachar... » Jud. iv. 6, 10. Zabulon et Nephthali tantum memorantur qui ad bellum citati sint: hinc tamen liquet adfuisse ex tribu Issachar; sed duces tantum, non popu-

bora, et Barac vestigia sunt secuti, qui, quasi in præceps ac barathrum, se discrimini dedit : diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

17. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus; Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur.

18. Zabulon vero et Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo; et tamen nihil tulere prædantes.

20. De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison : conculca, anima mea, robustos.

22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium.

23. Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini : maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini in adjutorium fortissimorum ejus.

24. Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo.

25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.

26. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans.

27. Inter pedes ejus ruit, defecit, et mortuus est : volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis.

28. Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus : et de cœnaculo lo-

lum. Et tamen Hebræus repetit : Issachar cum Barac, quasi tota tribus affuerit, ex principibus denominatione ducta. « Qui quasi præceps... » in vallem missus est pedibus suis : Heb. pedes irruit in vallem pugnaturus. « Diviso contra se Ruben... » in divisionibus Ruben, magnæ cogitationes cordis ; Heb. Ruben, Jordane a reliquis divisus, multa mihi cogitandà relinquit, cur subsidio non venerit.

16 « Quare habitas : « ut quid quiescis? « Inter duos terminos : Mischpthaim : » Heb. a radice, « Sphathaim, » quæ significat res duas coordinatas, sibique mutuo respondentes; quæ vox legitur Gen. XLIX. 14. ubi sarcinæ intelligendæ videntur. Eadem vox Ps. LXVII. 14. ubi vertitur, « inter medios cleros, » potestque intelligi, duas inter vias; sensus est : « Quare habitas? » ut quid quiescis? « ut audias sibilos gregum? » sibilos pastorum vocantium greges. Quid quiescis, o Ruben, velut hæsitabundus, duas inter vias, et gregibus tantum pascendis das operam, non autem adjuvandis civibus? « Diviso... » Repetitio admirantis.

17 « Galaad .. quiescebat : » Galaad... habitabat; et Dan cur peregrinabatur navibus? Heb. supple : nec veniebat subsidio : ita et cæteræ tribus rem suam agebant, Zabulon vero et Nephthali publicam. Atque hoc pertinebat ad instimulandos reliquorum animos, quem vel pulcherrimum horum Canticorum fructum fuisse, in Præfatione diximus.

18 « In regione Merome. » Seu nomen loci, seu ager excelsus, ut vertunt 70.

19 « Pugnaverunt reges Chanaan : » auxiliares copiæ regum vicinorum.

20 « De cœlo dimicatum est .. » de cœlis bellaverunt stellæ; de exaltatione sua bellaverunt cum Sisara : Heb. seu tantum indicat pugnatum esse de cœlis; neque humana, sed cœlesti ope confectam esse rem; sive stellarum nomine, designat angelos stellis præsidentes. Utcumque est, significat cœlestes potestates permanentes licet in ordine suo, nec stationem deserentes, tamen decertasse, immissa, velut ex alto, virtute, nusquam intermissis consuetis operibus ac ministeriis.

22 « Ungulæ equorum... » Tam effusa præcepsque fuga, ut equi excussis soleis, ungulisque ruptis, caderent.

23 « Maledicite terræ Meroz : vicinis terris, quas Hebræi incolebant. « Dixit angelus Domini : » ille angelus scilicet, datus a Deo sanctæ plebi dux, præsesque : de quo Exod. XXIII. 20, 23. et alibi passim. Ut intelligant non a se tantum, sed ab illo angelo maledictos, qui decertantes fratres per socordiam deserant.

24 « Benedicta inter mulieres Jahel : » ab illo quoque angelo; decebat enim ut qui maledicebat improbis, bonis benediceret : quibus patet a Jahele instinctu divino rem gestam.

quebatur : Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29. Una sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit :

30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima fœminarum eligitur ei : vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur.

31. Sic pereant omnes inimici tui, Domine : qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

CANTICUM ANNÆ,

GRATIARUM ACTIONIS, PROPHETICUM.

Canitur Feria IV, eo quod Anna, concepto Samuele, sanctæ Elisabethæ patrui, quin etiam Deiparæ Virginis fœcunditati præluserit, novique Testamenti gratiam iisdem fere, quibus beata Maria, sententiis prædixerit. v. 4, 5 et seq.

« Postquam Anna Elcanæ uxor, voto conceptum Samuelem peperit, eumque Domino commodavit, deleto sterilitatis opprobrio : sic oravit. I. Reg. I. 28. »

I. REGUM CAPUT II.

1. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo : dilatatum est os meum super inimicos meos : quia lætata sum in salutari tuo.

2. Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.

3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes : recedant vetera de ore vestro : quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.

4. Arcus fortium superatus est; et infirmi accincti sunt robore.

5. Repleti prius, pro panibus se locaverunt; et famelici saturati sunt : donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.

6. Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

7. Dominus pauperem facit et ditat; humiliat et sublevat.

8. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt car-

30 « Pulcherrima fœminarum elegitur ei : » more regum barbarorum, imo et Græcorum quibus id victoriæ præmium. Vide autem quam a certa victoriæ spe dejecti sint : quæ ut superiora a versu fere 17. hujus Cantici plana sunt; sed ejusmodi, ut clarissimorum apud Græcos et Latinos ingeniorum ornatum et copiam facile exsuperent : ut eloquia divina, ne has quidem delicias desiderare nos sinant.

1 « Cornu : » virtus. Dilatatum est os meum... « præ lætitia et fiducia in Deum : quo spiritu Paulus : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. » II. Cor. VI. 11.

3 « Loqui sublimia, gloriantes : » sublimia sublimia : Heb. « Gevohah, Gevohah; » valde sublimia; ne multum loquamini, neve multa grandiloqua. « Ipsi præparantur... » opera et consilia ordinat, sua et nostra. Et Deus præparans studia sua. 70. Omnia ex altissimo meditatoque consilio, ab æterno prospicit.

4 « Arcus fortium... » arcus et fortes confracti : Heb.

5 « Et famelici saturati sunt : » cessarunt : Heb. defuerunt : cessarunt esse famelici. « Sterilis peperit plurimos : septem : Heb. more Hebræorum pro multis : quæ omnia cum Cantico sanctæ Mariæ mirifice congruunt : « Dispersit superbos... deposuit potentes...: esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes : » Luc. I. 51, 52, 53, quibus præluditur gratiæ novi Testamenti, per Christum exaltantem humiles, et deprimentem superbos. Matt. XXIII. 12. et alibi passim.

dines terræ, et posuit super eos orbem.

9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris contiscescent : quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

10. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.

CANTICUM ISAIÆ,

CONSOLATIONIS ET SPEI.

Canitur Feria II, ad memoriam sempiternam solutæ captivitatis per servatorem Christum.

Prædicit Isaias populum Israeliticum e captivitate Babylonica liberandum, in figura datæ per Christum libertatis.

ISAIÆ CAPUT XII.

1. Et dices in dia illa : Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me.

2. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo : quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris :

4. Et dicetis in die illa : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus : notas facite in populis adinventiones ejus : mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

5. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.

6. Exulta et lauda, habitatio Sion : quia magnus in medio tui sanctus Israel.

ALTERUM ISAIÆ CANTICUM,

ITEM CONSOLATIONIS ET SPEI.

Soluta captivitate Babylonica, ipsa urbe eversa, atque exciso impiorum regno : Christi Ecclesia a peccatis liberata : denique præcipitata morte in sempiternum, fletuque in æternum gaudium verso per beatam resurrectionem : Is. XXV. 1, 2, 8 et seq. Sanctus Isaias, tantas res mente complexus, hæc cantanda docuit.

10 « Et sublimabit cornu Christi sui. » Insigne vaticinium; quod Samuel unctarus esset Saulem et Davidem, atque in his Christum præfiguraturus.

1 « In die illa ; » qua « levabit Dominus manum suam super flumen (Euphratem) in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis; ita ut transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti. » Is. XI. 15, 16. Sensus igitur est : qui, siccato mari Rubro, dixeratis : « Cantemus Domino ; » nunc, superato Euphrate, dicetis : « Confitebor tibi, Domine. »

3 « Haurietis aquas. » Alludit ad aquas e petra per Mosen eductas, cujus beneficii memoriam agebant in festo tabernaculorum, hausta aqua; atque hac occasione Christus aquam illam vivam, e fidelium veluti visceribus erupturam, promisit : Joan. VII. 38 et 39. Fontes autem Jonathas interpretatur doctrinam novam, ab electis justis promulgandam. « Salvatoris : » salutis : Heb. Fontes autem servatoris ii sunt, quos gratia sua servator aperit; Hebræis quidem e petra ad reficiendum corpus; christianis vero per apostolos rudes et imperitos ad servandas animas.

4 « Confitemini Domino... » Hæc desumpta ex Ps. XCV, XCVII, CIV, ut et illa quæ supra ℣ 2. « Fortitudo mea... » ex Ps. CXVII. 14. qui in eodem festo tabernaculorum canebatur, et in quo hosanna. Quare hoc Canticum, ex multis Psalmis coagmentatum videtur. Imo vero non unum simplexque canticum, sed plurimorum initia, ad quæ, propheta indicante, populus recurrat, soluta captivitate, ℣ 1, 4.

ISAIÆ CAPUT XXVI.

1. In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda : Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.

2. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

3. Vetus error abiit : servabis pacem; pacem, quia in te speravimus.

4. Sperastis in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

5. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit.

Humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem.

6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.

7. Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

8. Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum, et memorale tuum in desiderio animæ.

9. Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.

Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

10. Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit : et non videbit gloriam Domini.

11. Domine, exaltetur manus tua, et non videant; videant et confundantur zelantes populi; et ignis hostes tuos devoret.

12. Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis.

13. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te : tantum in te recordemur nominis tui.

14. Morientes non vivant, gigantes non resurgant : propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.

15. Indulsisti genti, Domine, in-

1 « In die illa : » populo e captivitate reduce : « Sion : » deest Hebr. salutem ponet nobis muros et antemurale : Ibid. quod recte vertit Hieronymus, salvatorem; atque is nobis et murus firmissimus, et murorum tutissimum propugnaculum, intra et extra, fida custodia.

2 « Et ingrediatur gens justa : » quia docta justitiam, et peccatorum pœnitens. « Custodiens veritatem : » spretis pseudoprophetis et idolis, ut omnino post solutam captivitatem contigit. In figura Ecclesiæ omnem veritatem a Spiritu doctæ, pollicente Christo. Joan. XVI. 13.

3 « Vetus error abiit : » planum : sed Hebr. aliter : figmentum fultum : supple, nos sumus : stabilis et firma compago, non idolorum ac falsorum prophetarum ludibrium. « Servabis pacem : » ad Deum hæc.

4 « Sperastis : » sperate : Hebr.

5 « Civitatem sublimem.... » Babylonem.

6 « Pedes pauperis... » Tam sublimem civitatem pedes populi infirmi et egeni proculcabunt, quod in eorum ultionem excisa, vidit eos a Cyro victore erectos.

8 « Et in semita... » Legis tuæ præscriptis promissisque adhærescentes, expectavimus benignitatem tuam, nec frustra; quo autem amore expectaverint, docent sequentia. « Nomen tuum, » etc.

9 « In nocte : » hoc est diligere, nocte dieque cogitare; somnum abrumpere; summo mane experrectum, statim ad eum mentem convertere. « Anima mea... spiritu meo, in præcordiis meis. » Hæc docent quam intime, quam toti in Deum ardeant.

10 « Misereamur : » sive ut habet Hebr. misericordia fiat : « Impio : non » tamen « discet justitiam : » imo venia ad proterviam abutetur « In terra sanctorum... » Babylonii, qui terram sanctam oppresserunt, non sicut nos videbunt gloriam Domini.

11 « Non videant : » errore cæci; imo « videant : » tanta sit gloria tua; ut illis quoque inclarescat : sed ad pudorem. « Zelantes populi : » qui plebi tuæ invident.

12 « Omnia... opera nostra... » quidquid nobis prosperi vel adversi evenit.

13 « Absque te : » præter te. Id populo Dei gravissimum, quod aliis quam ipsi servierint : nec modo Babyloniis, sed etiam idolis, aliisque vanæ mentis erroribus « Tantum in te... » Hæc summa votorum : « recordemur nominis tui : » hoc tantum, hoc sufficientissimum. « In te : » per te, te duce, te hortatore; te denique adjuvante.

14 « Gigantes : Rephaim : » mortui, manes. « Non vivant.... non resurgant. » Quemadmodum nullus mortuis ad vitam regressus sic omnino pereant, qui nos vexarunt.

15 « Indulsisti genti : » Israelitis, genti sanctæ : Exod. XIX. 6. de qua Dominus ad Abraham. » Faciam te in gentem magnam : » Gen. XII. 2. huic ergo indulsisti, repulsis impiis gen-

dulsisti genti : numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ.

16. Domine, in augustia requisierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

17. Sicut quæ concipit, cum approbinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus a facie tua, Domine.

18. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum : salutes non fecimus in terra; ideo non ceciderunt habitatores terræ.

19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.

20. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.

CANTICUM EZECHIÆ,

EXULTATIONIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Canitur Feria III, ut cum pio rege Ezechia, sancti Dei, vita non ad quindecim annos sed in æternum prolata, lætentur in Domino.

ISAIÆ CAPUT XXXVIII. a v. 9.

9. Scriptura Ezechiæ regis Juda, cum ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua.

10. Ego dixi : In dimidio dierum

tibus : sive ut habet Hebr. addidisti, supple bona, ut Ps. CXIII. 22. « Adjiciat Dominus super vos, » etc. « Numquid, » deest Hebr. neque est interrogatio. « Elongasti... terminos terræ... » nostræ : dilatasti, amplificasti, nos ex angustiis in latum deduxisti.

16 « Requisierunt te : » Judæi. « In tribulatione... » Effuderunt mussitationem, correctio tua eis : Hebr. Te corrigente, submissas effuderunt preces.

18 « Concepimus, et quasi parturivimus : » doluimus et quasi peperimus ventum : Hebr. id est, magnis conatibus nihil profecimus. « Nil dignum tua fecimus misericordia : » Hier. in Isaiam prophet. libr. VIII. Unde subdit : « salutes non fecimus, in terra » Judæa : « ideo non ceciderunt habitatores terræ : » orbis : Hebr. gentes, Assyrii : si enim recte egissemus, cecidissent illi, non nos. At 70. contrario sensu : peperimus spiritum salutis : quod contextui non congruit.

19 « Vivent mortui tui... » Hæc populo queritanti respondet Deus. « Interfecti mei resurgent : » non sicut hostes, de quibus supra ℣ 14. non vivant... non resurgant. « Mei » autem, quod mihi cari, quod exercitus mei milites. Significat enim populum prope jam emortuum, tamen exsurrecturum : quo ritu sæpe apud prophetas gentis excisæ casus, neci; salus, resurrectioni comparatur : notus Ezechielis locus XXXVII. Unde subdit : « ros lucis, ros tuus : » in spem redivivæ gentis : sicut enim rore matutino aluntur ac revirescunt herbæ; ita semen tuum florebit. « Terram gigantum... » terra « manes projiciet : » Hebr. quo significatur ea quam diximus plebis excisæ atque emortuæ resurrectio.

20 « Abscondere modicum... » donec ira mea, et captivitas transeat.

21 « Ecce enim... » nunc, cum tempus sit iræ; « Dominus egredietur de loco suo : » de ipso sanctuario, ut videtur. Sic enim, Lev. X. 2. « Egressus ignis a Domino devoravit eos : » et Num. XVI. 46. « jam egressa est ira a Domino; » nempe flamma ex ipso sanctuario aperte, ut suspicor, erumpente, sive etiam de cœlo, unde Dominus velut egreditur, cum, facta ultione, inspectorem se testatur rerum humanarum. Qua figura dictum est : « Descendam et videbo. » Gen. XVIII. 21. « Ut visitet iniquitatem habitatoris terræ : » Judææ : « contra eum : » contra Deum tot offensum sceleribus. « Et revelabit terra sanguinem suum : » a Manasse rege et aliis impiis effusum. Eadem figura Job. XVI. 19. « Terra, ne operias sanguinem meum : » et Gen. IV. 10. « Vox sanguinis... clamat ad me de terra. » Hæc legens Deum humanæ genti iratum, et Christum redemptorem cogitet.

10 « In dimidio dierum meorum. » In ipso ætatis flore, cum nonum et trigesimum annum ageret, ut patet ex IV. Reg. XVIII. 2, quod Hebr. sic exprimit : in excisione dierum meorum : quod currentes indicat, et repente abruptos. « Quæsivi... » privatus sum : Hebr. desideravi : subtractos sensi. Hieronymus hic, vult id maxime timuisse, quod sine liberis morienti, nulla hæredis, nulla generis, aut Christi e semine suo prodituri spes superesset : Manasses enim Ezechiæ post hæc tempora natus, duodecimque annorum, cum pater obiit. IV. Reg. XXI. 1.

meorum vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum. 11. Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.

12. Generatio mea ablata est; et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est, velut a texente, vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me : de mane usque ad vesperam finies me.

13. Sperabam usque ad mane : quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me. 14. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me.

15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.

16. Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam ut non periret : projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.

20. Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

CANTICUM TRIUM PUERORUM,

LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Canitur in Dominica ac diebus festis, ut calamitatibus tanquam igne probatus fidelis animus, non modo non deficiat, sed etiam animata, inanimaque omnia ad Dei laudes provocet.

« Ananias, Azarias, Misael, tres fortissimi juvenes, beata martyrum præludia, pro fide in fornacem conjecti colligatis pedibus, intacti ac tantum exustis vinculis, « ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum : Dan. III. 24. » ap-

11 « Non videbo Dominum Deum : » templum Domini, opera Domini. « Et habitatorem quietis ; » cum habitatoribus temporis : Hebr. cum hominibus in vita degentibus.

12 « Generatio mea ablata est.... » ætas mea, series vitæ : « quasi tabernaculum pastorum : » ad alia et alia subinde pascua prosilientium, neque ullibi consistentium. « Dum adhuc ordirer : » cum vitæ series, ac veluti contexta tela procederet : sed Hebr. præ macie seu morbo. « De mane usque ad vesperam... » vix uno die sperabam me victurum.

13 « Sperabam usque ad mane... » Supererat quidem spes de die in diem protrahendæ vitæ. « Quasi leo... » Sed repentina vis morbi adeo me oppressit, ut intelligerem pro certo instare diem ultimum, spemque omnem vitæ præcisam.

14 « Sicut pullus hirundinis.. ... » sicut grus, hirundo : Hebr. querulæ aves. « Meditabor : » gemebam. « Vim patior : » opprimit me : Hebr. supple, vis morbi. « Responde pro me : » quasi fidejussor a morte me exsolve.

15 « Quid dicam.... » Quid eum posco sponsorem, cum ipse mihi mortem immiserit? melius ex Hebr. quid loquar? et dixit mihi, et ipse fecit. Quid quæro amplius! jam ipse per Isaiam spopondit, et præstitit sanitatem. « Recogitabo tibi... » Vagabor omnibus annis meis super amaritudine animæ meæ : Hebr. Hoc meum periculum, has angustias, ætatem omnem recordabor.

16 « Domine, si sic vivitur... » Hebr. sublato « si : » Domine, super iis vivitur, et omnibus in eis vita spiritus mei. Per ista vivitur, per promissa tua et beneficia, per ipsa respiravi. « Corripies me. . » Corripis sive morti dedis, et vivificas, ut in illo Annæ : I. Reg. II. 6.

17 « Ecce in pace amaritudo mea... » ad pacem : Hebr. saluti mihi fuit, vel in prosperum versa.

19 « Pater filiis... » Prædicat extituram prolem, quam eruliat.

20 « In domo Domini... » Hoc ergo est quod timebat, se non visurum Dominum. Supra, ℣ 10.

paruitque « quartus, similis filio Dei, » qui doceret angelos, imo etiam Christum suorum interesse suppliciis consolatorem optimum : Ibid. 92. Quæ quidem historia in Canone legitur Hebræorum, non autem subsequentes preces, nec Canticum : utraque vero ex Theodotionis editione in Vulgatam nostram translata, atque ab Ecclesia recepta sunt.

DANIELIS CAPUT III a v. 51.

51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum in fornace, dicentes :

52. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in secula ; et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus seculis.

53. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, et superlaudabilis, et supergloriosus in secula.

54. Benedictus es in throno regni tui, et superlaudabilis, et superexaltatus in secula.

55. Benedictus es, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim, et laudabilis, et superexaltatus in secula.

56. Benedictus es in firmamento cœli, et laudabilis et gloriosus in secula.

57. Benedicite, omnia opera Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

58. Benedicite, angeli Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

59. Benedicite, cœli, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

60. Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

61. Benedicite, omnes virtutes Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

62. Benedicite, sol et luna, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

63. Benedicite, stellæ cœli, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

64. Benedicite, omnis imber et ros, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

65. Benedicite, omnes spiritus Dei, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

66. Benedicite, ignis et æstus, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

67. Benedicite, frigus et æstus, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

68. Benedicite, rores et pruina, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

69. Benedicite, gelu et frigus, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

70. Benedicite, glacies et nives, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

71. Benedicite, noctes et dies, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

72. Benedicite, lux et tenebræ, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

73. Benedicite, fulgura et nubes,

55 « Qui intueris abyssos : » quantumvis reconditas, earumque occulta perspecta habes. « Qui sedes super Cherubim. » Vide Psalm. LXXIX. 2.

57 « Benedicite, omnia opera... » A toto exorsus, descendit ad partes : sic enim oportebat hominem, universi compendium, universa et singula mente complecti.

58 « Benedicite, angeli : » ab his exordium, ut doceat primos eos a Deo conditos, qui toti orbi præessent.

59 « Benedicite, cœli : » jam inanima in laudes ciet, eisque vocem suam accommodat.

65 « Spiritus : » venti.

66 « Ignis et æstus *pur kai kauma*.

67 « Frigus et æstus : *psuchos kai kausôn* : editio Complutensis : nonnullo discrimine : *kausôn* enim æstus est intensior. Utcumque est, anterior versus ad ignis naturam ; hic ad hiemem et æstatem, annique tempestates pertinere videtur.

Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

74. Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet eum in secula.

75. Benedicite, montes et colles, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

76. Benedicite, universa germinantia in terra, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

77. Benedicite, fontes, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

78. Benedicite, maria et flumina, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

79. Benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

80. Benedicite, omnes volucres cœli, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

81. Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

82. Benedicite, filii hominum, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

83. Benedicat Israel Dominum : laudet et superexaltet eum in secula.

84. Benedicite, sacerdotes Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

85. Benedicite, servi Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

86. Benedicite, spiritus et animæ justorum Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

87. Benedicite, sancti et humiles corde, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

88. Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino : laudate et superexaltate eum in secula.

Quia eruit nos de inferno, et salvos fecit de manu mortis, et liberavit nos de medio ardentis flammæ, et de medio ignis eruit nos.

89. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus.

90. Benedicite, omnes religiosi, Domino Deo deorum : laudate et confitemini ei, quia in omnia secula misericordia ejus.

ADDITUM AB ECCLESIA.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in secula.

Benedictus es, Domine in firmamento cœli, et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in secula.

CANTICUM JONÆ,

FIDEI AC DEPRECATIONIS.

Canitur in laudibus magni Sabbati a pia et erudita Ecclesia Parisiensi, in memoriam dominicæ sepulturæ, ac resurrectionis spem; Christo ipso docente, Matth. XII. 39, 40.

« Postquam Jonas, in figura Christi sponte suscepta morte, ad sedandam tempestatem se obtulit dejiciendum in mare : atque ita » stetit mare a fervore suo. Jon. I. 11, 12, 15.

JONÆ CAPUT II.

1. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus.

2. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.

3. Et dixit :

Clamavi de tribulatione mea ad

82 « Filii hominum : » contemplator animus, longinquis quibusque peragratis, cœlo, sideribus, cæteris, ad sua ac propiora, terram, animantes, homines, generatim primum, tum ad populum Dei, ejusque ordines varios, ac denique ad se revertitur; atque omnia in se adunata transfert in Deum.

« Benedicamus Patrem, et Filium... » Ab Ecclesia additum pro glorificatione sanctæ Trinitatis, ut solet. »

« Benedictus es, Domine... » a § 56. sumptum.

1 « Piscem grandem... » cujus generis sunt plurima, qui totos homines sorbeant.

Dominum, et exaudivit me : de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.

4. Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me : omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.

5. Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum : verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam : abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.

7. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum : et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

8. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum : ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.

10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi : quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

11. Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam

CANTICUM HABACUC,

DEPRECATIONIS ET ADMIRATIONIS.

Canitur Feria VI, quod in eversa Babylone, Christi victorias, christianique populi libertatem præcinat.

« De Chaldæorum imperio evertendo, liberandisque sanctis, ut magnificentissime, ita obscurissime canit. »

1. ORATIO HABACUC PROPHETÆ

PRO IGNORANTIIS.

CAPUT III.

2. Domine, audivi auditionem tuam, et timui.

Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies : cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3. Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan.

Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra.

4. Splendor ejus ut lux erit : cornua in manibus ejus.

Ibi abscondita est fortitudo ejus.

5. Ante faciem ejus ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes ejus.

6. Stetit, et mensus est terram.

5 « Abjectus sum... verumtamen rursus videbo... » En ab ipsa desperatione, quam promptus, Dei gratia, ad spem transitus. « Templum sanctum tuum. » Hæc doceant, quanti facienda rerum in Christo veritas : cum illi ad umbras quoque ac figuras, amore veritatis quam tenemus sic inardescerent.

7 « Terræ vectes..... » sustentacula in imo posita, quibus imposita terræ moles, veluti superiora tabulata aut ædificii tecta nitantur.

9 « Vanitates; » vana omnia ac præsertim idola. « Misericordiam : » sanctitatem : Heb.

11 « Et dixit Dominus... » Qui fructus precationis fuit; ut discat christianus, unde nos pia preces eruant.

1 « Pro ignorantiis : » alii vertunt, secundum certum odæ vel instrumenti musici genus. Alii, nomine Hebræo « Schigionoth, » initium putant veteris cantici designari.

2 « Audivi : » quæ commemorasti de Chaldæis superiori capite. « Opus tuum : » populum tuum in terra conserva. « In medio annorum : » tempore medio inter eversam Jerusalem, et Cyrum ultorem. 70. in medio duorum animalium; ubi pro ζώων animalium, ex antiquis catenis reponunt ζωῶν vitarum seu ætatum.

3 « Deus ab austro... » Ita Deut. XXXIII. 2. Hæc ergo pertinent ad transitum maris Rubri.

4 « Cornua : » scintillæ. Ch. Cornua e manu ejus : Heb. id est, robur. « Abscondita est... » Olim abscondita, tunc patefecit se.

5 « Ibit mors : » ibat pestis : Heb. « Diabolus : » carbo : Heb. pestifer morbus. Alii, sagittæ. Ch. vero : angelus mortis. « Ante pedes ejus : » ante adventum, hos habet præcursores.

6 « Mensus est terram : » populo suo dividendam. « Aspexit et dissolvit : » solo intuitu

Aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes seculi.
Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.
7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.
8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?
Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.
9. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es
Fluvios scindes terræ: 10. Viderunt te, et doluerunt montes: gurges aquarum transiit.
Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.
11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.
12. In fremitu conculcabis terram: et in furore obstupefacies gentes.
13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.
Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum.
14. Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me.
Exultatio eorum sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito.
15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.
16. Audivi, et conturbatus est

dissolvit. « Gentes : » Chananæas. « Montes seculi... colles mundi; » tam antiqui ac orbis ipse. « Ab itineribus æternitatis ejus. » Itinera seculi ei : Heb. sive rerum cursus ei subjicitur.

7 « Pro iniquitate : » sub iniquitate ; Heb. in peccato. « Æthiopiæ, » Chusan : Heb. Madianitarum. Uxor Mosis Madianitis, vocatur Æthiopissa; Num. XII. 1. intelligendum ergo de populo cum Madianitis fornicante, et ultione secuta. Num. XXV. 17. Tentoria autem et pelles memorantur, quod gentes vagæ in tentoriis ac sub pellibus vivant. Ch. accipit de Chusan, de quo Jud. III. 8 et Madian, de victoria Gedeonis, Jud. VI. 7.

8 « Numquid in fluminibus : » in flumina; quando Jordanem et mare populum trajecisti. « Quadrigæ tuæ : » arca fœderis, qua inveheris insidens Cherubim, cœlestibusque vectoribus. « Salvatio : » salus : tu populum tuum victor incedens liberasti; hostium duces conculcasti quasi quadrigis.

9 « Suscitans suscitabis : » Heb. Denudans denudabis « arcum tuum : » arcum expedies ac sagittas. « Juramenta tribubus : » propter juramenta præstita tribubus, de terra Chananæa inter eas dividunda. « Fluvios scindes terræ : » aquas e petra, in deserta terra erumpere fecisti.

10 « Viderunt te, et doluerunt : » sive tremuerunt « montes. » Sic Ps. CXIII. 3. « Mare vidit et fugit... montes exultaverunt. Gurges aquarum transiit : » mare Rubrum, Jordanis, modo cohibiti, modo iterum diffusi, velut increpante Deo. « Dedit abyssus... altitudo manus suas levavit; præ stupore, quasi se præter naturam stare senserit.

11 « Sol et luna steterunt... » quod alii referunt ad Josue imperantem soli ut staret. Jos. X. 13. Potest etiam referri ad pugnas sub Moyse, simili figura, ac in Cantico Debboræ Jud. V. 20. « In luce sagittarum... ibunt : » Israelitæ tui milites. Sagittas autem vocat grandinem lapideum divinitus immissum : Jos. X. 11. lucemque dicit, comparatione ducta a sagittarum ferro limato et exacuto hinc atque hinc splendescente : qua figura subdit : « in splendore fulgurantis hastæ tuæ. »

13 « Cum Christo tuo : » cum Moyse et Aaron : quanquam Hier. ex 70. refert christis tuis : quod et Arabs habet, ac de toto populo intelligi potest. « Percussisti caput de domo impii : » impiorum reges : Pharaonem, Sehon, Og et alios. « Denudasti fundamentum... usque ad collum. » Nudasti capita, galeas excussisti; sic erant, ut domus jam retecto fundamento.

14 « Maledixisti sceptris ejus : » virgis, baculis : omnia confregisti. Perfodisti baculis caput, etc. Heb. « Venientibus... » cum venirent. « Sicut ejus qui devorat... ex Ps. IX.

15 « Viam fecisti... » Quod velut maria invectus, equorum cursu innoxio, plebem suam e fluctibus eriperet. « In luto : » in acervo concervatis aquis, ut in Cantico Mosis : Exod. XV. 8.

16 « Audivi, et conturbatus est... Redit ad Chaldæos Judæam invasuros, ac Judæorum nomine hæc dicit. « Ingrediatur... scateat : » ingreditur... scatet : Heb. ita, inquit, sum affectus præ metu, ut cujus viscera consumpta sunt. « Ut requiescam... » ego qui requiescam in die angustiæ; ascendendo ad populum, excidet eum : Heb. scilicet Chaldaicus exercitus Judæos : itaque mihi quiescendum in tanta calamitate : nihil consilia; nihil preces proficiunt, cum, destinato Deiconsilio, populus meus casurus sit. Hoc dicit, Judæi alicujus, sive etiam suo ipse nomine, intellecto Dei consilio. Hæc ad terrorem, reliqua ad spem pertinent.

venter meus : a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

17. Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

19. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

CANTICUM JUDITH, TRIUMPHALE.

« Librum Judith integrum non admittit Canon Hebræorum ; in nostrum autem ex Theodotionis editione translatus est. Inde ergo hoc Canticum, cæso Holoferne, Bethulia obsidione liberata, fusis spoliatisque Assyriis. »

JUDITH CAPUT XVI.

1. Tunc cantavit Canticum hoc Domino Judith, dicens :

2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum novum, exaltate, et invocate nomen ejus.

3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5. Venit Assur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis suæ : cujus multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles.

6. Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem.

17 — 18 « Ficus enim non florebit... » Etiamsi ficus, vineæ, olivæ non floreant, frugumque omnis spes nos fallat : hoc est, etiamsi omnia devastentur : « Ego » tamen « in Domino gaudebo... Jesu meo : « salute mea : Heb.

19 « Quasi cervorum : » Ex Ps. XVII. 34. « Deducet me victor in psalmis canentem. Alii, victorem : Heb. vero, « Lamnatseah binginothai : » quod ad inscriptionem melius referas : quasi diceret : vel hoc carmen cantabitur fidibus : quæ inscriptio sæpe in Psalmis recurrit.

2 « In tympanis... in cymbalis; modulamini... Psalmum : » omnis generis instrumenta musica Hebræis cognita, et in sacris usitata : maxime vero a temporibus Davidis et Salomonis; ut passim docet Regum historia, et plurimi Psalmi.

3 « Dominus conterens bella. Auferens bella usque ad finem terræ; arcum conteret, et confringet arma : » Ps. XLV. 10. quibus Omnipotens, Deusque exercituum exhibetur.

4 « Qui posuit castra sua in medio populi sui : » ut præsens auxilium Dei demonstretur : quo sensu, Jacob cum pergeret ad fratrem, videns sibi Deum cum angelis certum auxiliatorem adfuturum, ait : « Castra Dei sunt hæc. » Genes. XXXII. 2.

5 « Venit Assur ex montibus ab aquilone; » Syriæ montibus, ad aquilonem Palestinæ sitis : quibus e montibus, post Syriam devastatam, victor exercitus in Palestinam effusus Judit. III. 1. 7. Plerumque autem malum ab aquilone Israeli intentatur. « Ab aquilone pandetur malum : » Jerem. I. 14. quod reges populo Dei infensissimi, provincias illas aquilonates tenerent. « Cujus multitudo... Erant autem pedites, bellatorum centum viginti millia. Et equi eorum... Equites » vero « viginti duo millia. » Judith. VII. 2. « Obturavit : » sive epotando exsiccavit « torrentes, » ad sedandam tantæ multitudinis sitim vix sufficientes. Torrentes autem et valles memorat, quod Chananæa, uno quidem Jordane fluvio, multis autem torrentibus esset irrigua, et quam plurimis vallibus frugifera.

6 « Dixit se incensurum fines meos... juvenes... occisurum... » Decreverat enim Nabuchodonosor, ut omnem terram suo subjugaret imperio. Judith. II. 4. Holofernes autem et omnes magnates extremam perniciem Hebræis minitabantur. Ibid. V. 26, 28, VI. 3.

7. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confodit eum.

8. Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi. Sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10. Unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus : amputavit pugione cervicem ejus.

12. Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus.

13. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.

14. Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos : perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16. Adonai, Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.

17. Tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti, et facta sunt; misisti spiritum tuum, et creata sunt; et non est qui resistat voci tuæ.

18. Montes a fundamentis movebuntur cum aquis : petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.

7 « Dominus... nocuit eum. » Totius victoriæ auctorem Deum agnoscit, in quem unum spem omnem posuerat, rebus desperatis : clamabat ad Dominum : « Fac, Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur » Judith. IX. 1, 12. Cum autem occideret : « Confirma me, Domine Deus... in hac hora : » Ibid. XIII. 7. 9. occisumque narraret : « Interfecit (Dominus) in manu mea hostem populi sui, hac nocte, » Ibid. 18. « Nocuit : » disperdidit.

8 « Filii Titan. *titanôn* 70. Quæ vox nusquam alias in Scripturis reperitur. Apud poetas Titanes sunt memoratissimi, gigantes scilicet geniti ex cœlo et terra. Qua ex fabula, usitatum Titanum vocabulum, hinc quoque a Theodotione translatum est, ut alia item fabulosa vocabula, ex consueti sermonis usu, etiam libris sacris invecta. Vide Is. XIII. 22, etc. Designat autem hic gigantes Scripturæ notos : unde sequitur : « Excelsi gigantes : » de quibus : Gen. VI. 4. « Gigantes erant super terram... isti sunt potentes a seculo, viri famosi, » robustissimi, bellicosissimi. « In specie faciei suæ : » quippe cui formosissimæ, etiam Dominus contulit splendorem; rem bonam, sed malis malo futuram justo Dei judicio, tradentis libidini libidinum servos. Judith. X. 4.

10 « Unxit : » ut moris erat hisce regionibus, et maxime mulieribus delicatis, ut notum est. Colligavit... mitra : » capitis tegumine circumquaque religato, concinandis cincinnis. « Stolam : » vestem amplam et superiorem.

11 « Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus : » de quibus adornandis, Judith. X. 3. Sane ornatu pedum maxime gloriatur tenera mulier : unde illud : « Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis! » Cant. VII. 1.

12 « Constantiam.... audaciam ejus : » dixit enim Vagao : « Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor. Persæ et Medi : » in exercitu Assyriorum meriti.

13 « Tunc ululaverunt castra Assyriorum. Timor » enim et « tremor cecidit super eos, et turbati sunt animi eorum valde, et factus est clamor incomparabilis, in medio castrorum eorum. » Judith. XIV. 17, 18. « Humiles mei : » de quibus universi majores exercitus regis Assyriorum dixerunt : « Egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocare nos ad prælium. » Ibid. XIV. 12. « Arescentes in siti : » præciso aquæductu, interclusis fontibus, ac tandem cisternis exhaustis, siti enecabantur. Judith. VII. 6, 10, 11, 14, 16, 17.

14 « Filii puellarum : » teneriores adolescentuli, matribus juvenculis geniti. « Sicut pueros. Fugit » enim « mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt. » Judith. XV. 2.

15 « Hymnum cantemus Domino : » reliqua ad gratiarum actionem, et commendationem omnipotentiæ divinæ, æternæque in hostes ultionis.

21 « Dabit enim ignem... ut urantur... » Allusum ad Jerem. VII. 31, 32. XIX. 5, 6. et ad

CANTICA NOVI TESTAMENTI.

Hæc tria omnino sunt, triumque insignium personarum, quibus cum pia fide Christum advenientem salutemus. Est autem Mariæ Canticum summa cum rerum dignitate simplicius : Zachariæ autem, ut sacerdotem decebat, stylo figurisque et doctrina Scripturarum grandius : Simeonis denique, concitatius atque ardentius. Maria humilitatem : Zacharias fiduciam : Simeon mirabilem affectum in Christo acquiescentis animi, vitæque contemptum ipso adveniente demonstrat, quibus nihil erat ad excipiendum Salvatorem lætius atque aptius. Itaque hæc tria Cantica assidue in ore habemus, et quotidie canimus in Ecclesia.

CANTICUM MARIÆ.

« Cum ad vocem Mariæ Christum in utero gestantis exultaret Joannes nondum editus, Elisabetha prophetaret, tantorumque operum velut effectricem Mariam, benedictam inter mulieres ac beatam prædicaret, illa conversa ad Dominum hæc ait..... »

LUCÆ CAPITE I. v. 46.

46. Magnificat anima mea Dominum,
47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.
48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc bea-

gnem illum, quo filios suos in holocaustum Baalim incendebant, in valle Benennom : unde gehenna ignis toties in Evangelio memorata. « Et vermes... » Allusum item ad Isaiæ LXVI. 24. Ilis autem in locis, sub speciem ignis illius, atque insepultorum cadaverum hostilium unde ebullirent vermes, æterna supplicia adumbrantur : quæ repetit Christus, Marc. IX. 45. et seq. Paveant ergo illi ad eruditæ mulieris sententiam, qui et pœnarum æternitatem, et ignem urentem, et vermem non morientem irrident.

46—47 « Magnificat... Non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi : sed quia magnificatur in nobis : » Amb. lib. II. in Luc. n. 27. Magnificatur autem, cum in eo laudando deficimus : cum supra omnem altitudinem, supra omnem cogitationem, supra omnem animi captum votumque extollimus. Sic eum omnis anima, sui oblita, totaque in Deum effusa, magnificat : « dum » autem « magnificat eum, » inquit Ambrosius ibid. « magnitudinis ejus quadam participatione sublimior fit. Dominum : » non se, sed Dominum. Sane Elisabetha Mariam extollebat : aiebat enim : « Benedicta tu : » et : « unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? » et : « ecce ut facta est vox salutationis tuæ.... exultavit infans : » denique : « beata quæ credidisti. » At Maria tantas laudes, seque ipsam supergressa, transfert omnia ad Dominum. « Et exultavit spiritus meus... » Quid sit exultatio spiritus in Deo, nemo digne dixerit, nisi qui expertus sit; nemo autem sic expertus est, ut beata Maria. Ejus ergo exultatio omnem dicendi facultatem excedit : conjecturam autem facimus, ex eo quod Christo plena, potiebatur eo, quem oleo lætitiæ sanctæque exultationis, præ omnibus consortibus suis, a Deo unctum esse sacer vates cecinit. Ps. XLIV. 8. « In Deo salutari meo : » quod est, in Deo Jesu meo : in Deo dante omnibus Jesum illum, qui singulari dilectione sit meus, idemque et filius et Deus, sed Deus Jesus sive salvans, quo nihil cuiquam carius, nihil suavius matri. « Anima... spiritus... » Animam intelligimus, id omne quo vivimus : spiritum autem, summum illud ac præcipuum in anima, quo Deo sociamur, eumque inhabitantem, insidentem, præsidentem complectimur. Quo loco Amb. ibid. n. 26. « Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum : sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo; » nam etsi « secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. »

48 « Respexit humilitatem : » vilitatem : « ancillæ suæ : » qua voce mater facta est : statim enim atque dixit : « Ecce ancilla Domini, » impletum est mysterium, superfususque Spiritus matrem fecit, quæ se ancillam fatebatur : quare ancillæ nomine delectata, eam iterat vocem.

tam me dicent omnes generationes.

49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

51. Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in secula.

CANTICUM ZACHARIÆ.

« Nato Joanne Baptista, Zacharias parens, primum dictis angeli incredulus, atque ex incredulitate mutus; posteaquam ex fide et obedientia scripsit : Joannes est nomen ejus ; Luc. I. 63. continuo resoluta est lingua ejus et » apertum est os ejus... et repletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : *Ibid.* 64, 67.

« Beatam me dicent... Hinc tot hymni, tot præconia, quibus eam assidue beatificamus, nec laudandi finis. « Omnes generationes : » hic Mariam prophetare Patrum concentus tradit; ecce enim prophetat generationem justorum ad finem usque seculi duraturam; Christumque in æternum regnaturum, a cujus laudibus suas sejungi non posse.

49 « Quia fecit mihi magna... Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operatur in Matre. » Amb. n. 23. in ỹ 41. Vide autem verborum simplicitatem pariter ac majestatem « Qui potens est : *o dunatos*, » ille potens, unus potens. « Fecit mihi magna : » quæ sola magna sint, soloque Deo omnipotente digna, virginem parere, ancillam esse matrem, quæque omnium laudum summa sit, tam arcto, tam beato, tam unico nexu cum Christo esse conjunctam. Hæc igitur vere magna et cætera his consentanea fecit mihi ille potens, cui hoc unum est, quod rependam, nempe ut dicam ex imo pectore : « et sanctum nomen ejus : » quod nos pro modulo nostro quotidie dicimus, beatis illis vocibus : « sanctificetur nomen tuum ; » sed libet quoque id cum beata Maria dicere, qua nulla dignius ac præstantius dixit.

50 « Et misericordia : » hanc subjungit omnipotentiæ, quæ gratia est novi Testamenti, ut Deus se magnum atque omnipotentem, non minis ut antea ac terroribus, sed beneficentia et clementia præstet, aptatis quoque in eum finem omnibus Christi miraculis : « Petransiit » enim « benefaciendo, et sanando omnes oppressos : » teste Petro, Act. x. 38.

51 « Fecit potentiam... » vim exeruit : *cratos* : de quo nempe dixerat : « fecit mihi magna, qui potens est : » nunc autem non tantum mihi, sed orbi universo, ac potissimum omnibus per orbem universum piis bonisque, eo quod exaltavit humiles : ut ỹ seq. habetur. « Dispersit : » ut fumum, ut pulverem, quem projicit ventus : « superbos mente, » seu cogitatione, *dianoia* « cordis sui : » *autôn* eorum : superba cogitantes; infixa penitus animis superbia.

52 « Exaltavit humiles : » sibi nullos; cæteris fere despicabiles : quæ item gratia est novi Testamenti, per Christum humilem ac pauperem : « non » enim « multi sapientes » in Christo, « non multi potentes, non multi nobiles : sed ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. » I. Cor. I. 26, 27, 28. Cujus rei fons est, quod Deus respexerit Mariæ humilitatem, ut ab ea inciperet illud : « exaltavit humiles : » his autem similia notavimus in beatæ Annæ Cantico, quibus eam prælusisse gratiæ novi Testamenti ibidem memoravimus.

53 « Esurientes... » rerum omnium egenos : item esurientes sitientesque justitiam, eamque non a se, sed a Domino summæ gratiæ loco expectantes : hos Dominus « implevit » veris æternisque « bonis. »

54 « Misericordiæ suæ : » quæ una spes supererat, abundante peccato.

55 « Ad patres nostros. » Hic commemorat impleta jam prisca promissa, ut et promissis Christi sua constet fides. « Abraham et semini ejus : » vero semini : nec tantum secundum carnem; verum etiam « iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. » Rom. IV. 12. Quod semen nos sumus. Hæc Maria quanta simplicitate, tanta sublimitate ac majestate dicit. Cæterum admirare quisquis es, christiane, ut quæ tanta, tam sublimia hic profert, alibi penitus conticescat; non pastoribus, non Magis, non Simeoni et aliis respondeat quidquam; sed quæ gererentur tacita in corde suo conferat, velut admirabunda, et ignara mysterii : Luc. II. 19, 33, 51. quamvis et ab angelo primum, et sibi conscia virginitatis suæ, experimento quoque tanta didicisset : quo loco me etiam conticescere juvat, ac Mariæ virtutes silentio potius quam voce prosequi, rerum magnitudine victum.

LUCÆ CAPITE I. v. 68.

68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ :

69. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.

70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus :

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos :

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti :

73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis :

74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi,

75. In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante

68 « Benedictus... » Hæc per exclamationem : diu enim repressam vocem, statim in gratiarum actiones erumpere oportebat.

69 « Cornu salutis : » robur, fiduciam salutis consequendæ, dato salvatore Christo. « In domo David : » cui Deus domum se facturum promiserat, II. Reg. VII. 11. firmato in ea regno usque in sempiternum : quod in Christo impletum, jam Gabriel prædixerat : « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, » etc. Luc. I. 32, 33.

70 « Prophetarum ejus : » prophetas commemorat post Davidem eorum ducem, quippe qui ei accinunt, ejusque regnum in Christo sempiternum futurum prædicant.

72—73 « Cum patribus nostris :... testamenti sui... ad Abraham patrem nostrum... » A Davide ac prophetis ad patriarchas, atque ad originalia promissa, et ad caput gentis Abrahamum transgreditur. « Misericordiam cum patribus nostris : » effusa gratia in liberos : ipsis quoque in sinu Abrahæ Christi præsentia recreatis, et cum eo in cœlos eductis. « Testamenti sui sancti : » fœderis, latius sumpto testamenti nomine pro eo omni instrumento quo mentem testamur ; quod Latinis non insuetum : testamenti etiam proprie, quod novum testamentum intercedente testatoris morte sanciri oporteret : « unde nec primum quidem sine » victimarum « sanguine dedicatum » fuerit : Hebr. IX. 16, 18. Gr. *diathêkês*, quod utrumque et fœdus et testamentum sonat. « Sancti » autem ; quod de sanctis repromissionibus conscriptum, sancte etiam custoditum, ac tandem per sanctitatis auctorem Christum, impletum est ; ut infra latius ℣ 75. exponitur. « Jusjurandum : » docte, ut sacerdotem decebat, observat promissa Dei jurejurando firmata, ex ipsa natura fœderis : unde Dominus ad Abraham : « Per memetipsum juravi. » Gen. XXII. 16.

74 « De manu inimicorum : » ut supra dixerat : « salutem ex inimicis, » ℣ 71. Intelligendi autem potissimum invisibiles illi inimici, diabolus et angeli ejus, ipsumque peccatum, quo eis in servitutem addicti eramus : qua de re ℣ 77. quanquam nec dubitem, nisi Judæi Christum abjecissent, id futurum fuisse, ut ab hostibus quoque visibilibus tuti Domino deservirent.

75 « In sanctitate, et justitia. » Prudens lector, attende, quid daturus esset Dominus : ℣ 73. nempe ut ab inimicis tuti, justitiam sanctitatemque colerent, quæ gratia per Christum ut promissa, ita data est, effuso in electos Spiritu sanctitatis, quo « nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. » Tit. II. 14. atque ibid. III. 4, 5, 6, 7. « Coram ipso : » his verbis veram denotat justitiam, non fucatam ; quemadmodum scriptum est : « Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela. » Luc. I. 6. Hæc vera justitia, quam Deus, et se daturum promiserat, et probat a se datam : potest etiam referri, « coram ipso, » ad illud, « serviamus : » ut ideo sancte casteque agamus, quod assidue cogitemus in ejus conspectu esse nos et omnia nostra ; quod ipsum vel maxime Dei donum est, quale promiserat daturum se nobis.

76 « Et tu, puer. » Quod et figurate ad infantulum dici potuit, etiamsi non audiret, et proprie ex Amb. quod non absurdum sit intellexisse jam editum, quod utero matris clausus persenserat. « Propheta : » imo plusquam propheta, teste Christo. Matt. XI. 9, 10. « Præibis enim ante faciem... » Duo indicat insignia vaticinia de præcursoris officio, Malachiæ et Isaiæ. Et Malachiæ quidem : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam : » Mal. III. 1. et iterum : « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam : » Ibid. IV. 5. 6. quæ vaticinia de Joanne Baptista, et angelus, et ipse Christus interpretantur. Luc. I. 17. Matt. XI. 14. « Parare vias ejus : » en alterum vaticinium : Isaiæ XL. 3. « Vox clamantis in deserto : parate viam Domini : » omnibus evangelistis, ipsoque Joanne Baptista de eodem Joanne interpretantibus. Vide autem quam diserte Christum ; quem Joannes præire jubebatur, et Dominum et Altissimum, adeoque et vere Deum Zacharias appellet.

faciem Domini, parare vias ejus :

77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum :

78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto :

79. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

CANTICUM SIMEONIS.

« Nihil videat qui Christum vidit; nihil optet in seculo, qui Christum amplexus est, lætusque abeat ad patres. Hæc vovet sanctus senex, accepto Christo in ulnas : Luc. II, 28. nec nisi multa gratulatus, multaque vaticinatus, dimittit e manibus. »

LUCÆ CAPITE II. a v. 29.

29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace :

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

31. Quod parasti, ante faciem omnium populorum;

32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

77 « Scientiam salutis » scientiam Christi servatoris : de qua scriptum est : « In scientia sua justificabit ipse justus » (Christus) « servus meus multos. » Is. LIII. 11. « In remissionem peccatorum : » cui Joannes Baptista initiare cœpit populum, dato baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum, « dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum. » Marc. I. 4. Act. XIV. 4.

78 « Visitavit nos, oriens : » Christus ipse de quo scriptum est : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ : » Mal. IV. 2. unde Christus prophetice Oriens appellatur : « Adducam servum meum Orientem : » Zach. III. 8. atque iterum : « Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum » sanctum « Domino : » Ib. VI. 12. quod quidem Zorobabeli competit, sed ut figuræ Christi : ut quemadmodum Zorobabel inter captivitatis Babylonicæ tenebras, in spem recuperandæ libertatis, instaurandique templi, ita Christus humano generi veræ libertatis auctor, verique templi fundator illuxerit. « Ex alto; » quo immensum a Zorobabele distat. Non enim Zorobabel, sed Christus solus desursum est, de cœlo est, de paterno sinu terris oritur, atque adeo super omnes est. Joan. I. 18. III. 31. Vide autem quot et quanta testimonia prophetarum doctissimus sacerdos paucissimis versiculis colligit.

79 « Qui in tenebris, et in umbra mortis... » et hoc ex Isaia IX. 2. « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis : » quod de Christo Matthæus quoque intelligit. IV. 16.

29 « Nunc dimittis : » nunc dimittes. Gr. vel ut legit Amb. hic : nunc dimitte; tempus est ut dimittas. Idem Ambrosius, « nunc dimittis : » quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate. De Bono mortis. 2. « Dimittis : » tanquam e carcere, tanquam e vinculis : ibid. Vide autem viro justo quam sit vita insuavis; quippe quæ miseriis, erroribus, vitiis sit obnoxia. Itaque sanctus senex novi Testamenti spiritu plenus, nedum optet multos dies in vetere Testamento toties repromissos, ægram senectutem Christi videndi spe vix sustentabat; quo impleto, quasi omni vitæ officio functus, dimitti et expediri petit. « Secundum verbum tuum. Responsum » enim « acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. » Luc. II. 26.

30 « Quia viderunt oculi mei.... Beati » enim « oculi, qui vident quæ vos videtis! Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt. » Matt. XIII. 16. Luc. X. 23, 24. « Salutare tuum. » Hæc igitur docent viro bono Christum ac salutem adepto, statim optandum esse vitæ exitum, et quidem potius quam ipsi Simeoni, cum statim post mortem Christo potiri detur : quod sane sancto seni, nondum propalata sanctorum via, contingere non poterat. Hebr. IX. 8. XI. 40. et tamen mortem optat, quia viso Christo non erat in terris, quod videret amplius.

31 « Omnium populorum : » non tantum Judæorum, verum etiam gentilium, quod sequentia docent.

32 « Lumen ad revelationem gentium : » ad revelandam gentibus veritatem, quemadmodum Isaias scripserat : « Ambulabunt gentes in lumine tuo : » LX. 3. et alibi passim apud prophetas :

cui rei præluserant Magi, ex oriente, stella duce, acciti. Vide autem his tribus Canticis, ut Christi gloria magis magisque illustretur. Maria enim et Zacharias de Israele tantum : hic autem non modo Israelis gloriam, verum etiam conversionem universæ gentilitatis præcinit.

Nunc tribus Canticis expositis cogitare libet, quam apte omnia, Christo adveniente, gesta sint. Decebat enim, ut quo pietatis sensu excipiendus esset, plebs christiana doceretur; primum a Maria matre, cui accinunt sanctæ mulieres Elisabetha et Anna prophetissa; tum a sacerdote, qualis erat Zacharias præcursoris pater : denique a Simeone sene, viro e plebe, ut videtur; quanquam alii alia conjiciunt; sed si quid esset aliud, evangelistam non taciturum putamus. Jam pastores, Magosque, gentium primitias, commemorare nihil attinet, atque hos donis onustos, quo etiam divites ad Christum venturi præfigurarentur. Nec defuit infans Joannes Baptista, qui in matris utero ad Christi præsentiam Mariæque vocem exiliret; ut omnis ætas, sexusque, gens omnis, omnis ordo in Christi laudes accenderetur : atque hic finis esto.

FINIS CANTICORUM.

SUPPLENDA IN PSALMOS.

ADMONITIO.

Cum quidam expostularent a novitiis expositoribus obscurari de Christo vaticinia Prophetarum, præsertim Davidica quæ cæteris clariora haberentur, neque servatam suam ecclesiasticis dogmatibus firmitudinem; ejusque rei gratia flagitarent ut amplificaremus nostras in Davidem notas, visum est de multis testimoniis pauca seligere, ex quibus de reliquis æstimari posset. Præmonere autem oportet de erroris fonte quædam, quæ lucem dicendis allatura sint.

Hic iterum appellare cogimur virum doctissimum Hugonem Grotium, commemoratis Prophetarum oraculis, quæ in Evangeliis, aliisque scriptis apostolicis proferuntur, hæc notantem : « Non pugnare Apostolos adversus Judæos his quasi testimoniis, ut probent Jesum esse promissum Messiam ; pauca enim sunt oracula quæ in hunc finem usurpant, contenti cæterum Christi miraculis et resurrectione. Unde concludit : hæc igitur omnia, et quæ alia sunt ejus generis suis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad illustrandam atque confirmandam rem jam creditam. » Hæc in ipso initio docet ad Matth. I. 22. ubi refertur illud egregium de Virgine paritura vaticinium; Is. VII. 14. quo ex principio orsus, per omnes fere notas id agit, ut in propheticis testimoniis geminos sensus proferat, quibus et ipse fateatur vim probationis amitti, neque convictioni esse locum ; quæ ab Apostolorum mente immane quantum discrepant ! *Saulus enim multo magis convalescebat, et confundebat Judæos ... affirmans quoniam hic est Christus.* Act. IX. 22. Quid autem est affirmans, nisi non modo probans, sed certo demonstrans? quomodo vero demonstraret, tota Scriptura narrat, atque ipse perspicue oratione ad Agrippam : *Nihil extra dicens*, inquit, *quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses :* quibus tam invictam vim inesse crederet, ut et Agrippam urgeret his verbis : *Credis, Rex Agrippa, Prophetis ? Scio quia credis :* et ipse Agrippa reponeret : *In modico suades me christianum fieri :* prorsus intelligens ex Pauli mente nullum patere effugiis locum neque fieri posse ut christianus non sit qui Prophetas audiat. Act. XXVI. 22, 27, 28. Quid autem Apollo ? « Nonne is est, qui vehementer Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum ? » Act. XVIII. 28. Mitto Beroenses *quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent :* Act. XVII. 11. omnino ex præcepto Christi : *scrutamini Scripturas :* Joan. V. 39. neque ad illustrationem rei, sed ad probationem certam, ut ipsa verba declarant.

Sane quod aiebat Grotius, Apostolos contentos fuisse Christi miraculis, hoc uno loco perspicue confutatur. Posteaquam enim hæc Christus edixerat : *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego*

facio, testimonium perhibent de me : Joan. v. 36. continuo subdit illud : *scrutamini Scripturas..... et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* En duplex testimonium, quo futuris quoque temporibus increduli revincantur : neque tantum miraculorum, referentibus Apostolis ; verum etiam Prophetarum, qui et ipsi diem Christi tanto ante viderint, ac de eo testimonium tulerint ; ut scilicet firmo gradu stemus *superædificati super* duplex *fundamentum, Apostolorum* videlicet ac *Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Ephes. II. 20.

Neque tamen ideo tam morosos esse nos oportet, ut omnia quæ in Christum Apostoli quoque transtulerint, ejusdem perspicuitatis aut roboris esse credamus, cum in multis subesse constet duos illos sensus quos affert Grotius ; imo verum illud, totam veterem Scripturam ita a Spiritu sancto comparatam, ut in Christum, qui finis est legis, haud ægre duci possit. Cæterum eo vis probationis constat, quod tot ac tanta sint quæ Christum mere et manifeste sonent, ut iis colligata cætera in eumdem sensum facile coalescant. Cur autem eos locos qui certam probationem faciant, tam paucos ab Apostolis usurpatos esse Grotius dixerit, haud equidem intelligo ; cum voces Prophetarum a Judæis Christum negantibus ignoratas, non paucas illas quidem, sed *quæ per omne sabbatum* legerentur, et ubique obvias, Paulus commemoraverit. Act. XIII. 27. et Romam adveniens eosdem Judæos a mane usque ad vesperam obrueret testimoniis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis ; tam invicto probationum robore, ut rejici non possent, nisi per summam pertinaciam atque obdurationem cordis, exclamante Apostolo : *Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens :.... Aure audietis, et non intelligetis :... incrassatum est enim cor populi hujus*, etc. Act. XXVIII. 23, 26, 27. Quæ quam iniqua essent, si Pauli testimoniis non modo copia, verum etiam efficacia, visque argumenti defuit, nemo non videt. Quin etiam ipse Christus enumeraturus quæ incredulos discipulos redarguerent, non unum, aut alterum locum allegabat ; verum *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant ;* neque tantum fideles, atque convictos, sed etiam inflammatos reliquit. Luc. XXIV. 27, 32.

Etiam addiderim nec probationes illas pauculas quæ Christo reservantur, integras remansuras, si Grotianis interpretationibus detur locus. Jam enim quod Christus sit proprie Deus, Deique filius, quod e Virgine nasciturus, quod ascensurus in cœlum et ad dexteram majestatis collocandus, cæteraque ejusmodi, per geminos sensus elabuntur ; quin ille ipse locus in Ps. XV. tam clarus, atque in Judæos de Christo resurrecturo a Petro et Paulo Apostolis tam aperta argumentatione contortus, excidit ac Davidi quoque congruit : at enim Christo aptior, docente Grotio. Certe, si jam credideris, si bene in Christum affectus : cæterum huic loco et aliis vis probandi adimitur, id unum relinquitur, ut Christi res illustrent pia magis accommodatione, quam argumento certo : quo quid infirmius ? Illud quoque de divisis vestibus ; illud tam perspicuum de triginta denariis, si Grotio credimus, solvitur in metaphoras, ne hæc Christo sint propria. Quin illud Isaiæ tam singulare de peccatis nostris conjectis in eum, atque ejus vulnere seu livore expiatis. Jeremiæ quoque convenit : elusa Philippi responsio ad Eunuchum quærentem : *Obsecro te, de quo Propheta hoc dicit ? De se, an de alio aliquo ?* Act. VIII. 34. datumque quod responderet evangelizanti Christum, et quo interpretem frustraretur : quibus quid aliud actum esse dixerim, nisi in his prophetiis ostensum exemplum judaizantibus, quo impune in cæteras etiam grassarentur ?

Neque propterea contendimus, si quid in Prophetis, si quid in Psalmis, mere, proxime, vi verborum ac litteræ referetur ad Christum, ideo totum Psalmum, totum Prophetæ locum eo esse necessario referendum; scimus enim divinos vates ita spiritu agi, ut a rebus humanis ad divinas, atque ad ipsum Christum repente rapiantur. Neque refugimus quin quædam de Christo intelligenda, ad Davidem quoque, ad Salomonem, ad alium quemvis utcumque trahi possint, oblique scilicet, improprie, obscure, et quasi per vim, cum recto et plano sensu in Christum ferantur. Id contendimus, nedum necesse sit ut hi gemini sensus ubique quærantur, contra et esse oportuisse, et esse revera longe plurima vaticinia, quæ Christum proxime nulloque medio tangant; ac peccare in Christum qui quocumque modo egregiis illis a tota christianitate celebratis de Christi divinitate ac missione testimoniis, vim argumenti, legitimæque et invictæ probationis detrahant.

Id autem errati, unde obortum sit viro eruditissimo Hugoni Grotio, expedire nos oportet, ac pio lectori pandere per quot ambages ad aliquam partem veræ lucis emerserit. Posteaquam enim Calvinismi pertæsum est, doluitque, oppresso penitus libero arbitrio, fatales in peccatum quoque impulsus admissos, concessit in mitiorem, nec tamen sanam, Arminianismi sententiam; cui sectæ, quanta fuerit, duce Episcopio, cum novis Paulianistis affinitas, neminem latet. Neque tamen his statim addixit se Grotius; imo tractatu edito de Satisfactione Christi, ipsum sectæ caput aggredi visus. Ad hunc librum ut responderit Joannes Crellius, illis quidem temporibus Socinianæ sectæ antesignanus, eruditi norunt. Certe Grotius ita est delinitus, ut viro gratias egerit, nec fateri piguerit multa se doctum, quibus ejus exemplo excitatus esset ad penitus expendendum sensus sacrorum Librorum; quin etiam hæc addidit verba: « Illud seculo gratulor, repertos homines qui neutiquam in controversiis subtilibus tantum ponant, quantum in vera vitæ emendatione, et quotidiano ad sanctitatem profectu. » Hæc facile intelligent qui in sectæ ingenium penetraverint. Sane videmus quales tum fuerint suborti Grotio Scripturæ interpretandæ duces, ac veræ pietatis auctores, manifesti scilicet Christi divinitatis hostes; hos admiratur; hos bono seculi confitetur natos; ac ne quid prætermisisse videretur, clare pollicitus omnia officia et Crellio et suis: « Omnia, inquit, facturus, et tui et tuorum quos singulariter amas, causa. Itaque altera Epistola id a se constitutum profitetur, omnia Crellii legere et relegere diligenter, expertum scilicet quo fructu id antehac fecerit; faustaque imprecatur ei ejusque similibus. » Quæ Grotii Epistolæ omnibus notæ apud Crellium extant, tomo IV. Op. post tractatum *de Satisfactione Christi*.

An palam et in omnibus ad eorum virorum dogmata aliquando transierit, haud facile definiam; id quidem si fecerit, resipuisse constat, cum de Christi æterna divinitate æqua scripserit, clareque professus sit in Rivetum se de Trinitate et Incarnatione, Ecclesiæ romanæ atque Universitatis Parisiensis stare judicio. *Animad. in Rivet. Art.* 2. Cæterum ex Crellii ejusque similium lectione, quæ duxerit, testantur adhuc in notis multa de animarum immortalitate, quorum partem ad Eccl. XII. 7. tetigimus; testantur multo pura de Christi gratia, deque ipsa ejus divinitate detorta in pejus, atque ut pauca de multis afferam, testatur elusum illud de Christi præexistentia: *Antequam Abraham fieret, ego sum*; et illud Thomæ Apostoli: *Dominus meus et Deus meus*: illud etiam Pauli: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*: quin et illud Joannis: *Hic est verus Deus*: aliaque ejus generis, ut Christi divinitas, si non plane oppugnata, validissimis certe præsidiis destituta remaneret.

Neque auctori nostro intacta esse poterant Prophetarum vaticinia, quippe

cum Sociniani, quibus utebatur, adhibeant illa quidem, et interdum tueri velle videantur; qui enim aliter facere potuissent christianam fidem professi? faciunt tamen tam jejune, ut tacuisse esset satius: et Faustus quidem Socinus, sectæ dux, ait « in vetere Testamento esse aliquot loca, in quibus aliquo modo verba fierent de futuro Messia, quæ satis aperte intelligerentur de Jesu Nazareno vere esse dicta: » *De Aut. Script. cap.* 1, *sub finem:* quo quid est frigidius? Ab his non abludit nostro ævo quidam ejus sectæ sub Liberii nomine, qui scripserit « Semper fuisse promissionem de nescio quo Liberatore, qui hominibus a Deo mittendus esset: » *Inst. Theol. Part.* 1. *Præf.* Ab ejusmodi expectes ut illum nescio quem in Prophetarum testimoniis certo ac liquido agnoscas, nedum asseras Deum, verumque Dei Filium? Itaque oracula de Christo passim adeo obscura, ambiguaque esse profitentur, ut certæ probationis loco esse non possint; tantumque absunt ab eo, ut fidem christianam prophetiis niti credant, ut veterem Scripturam christianis hominibus nec lectu necessariam arbitrentur; ita docent post Socinum loco mox citato. His fit ut luculentissima quæque obscurent; magnificas de Christi divinitate voces amplificatorio Scripturarum stylo imputent; christianaque mysteria, non in magnis rebus, sed in extraordinariis locutionibus reponant; denique in hebraicis se peritiores videri putent, si christianis interpretationibus anteponant rabbinicas; quare in Christi miraculis ac resurrectione vim probandi totam collocare solent: non igitur mirum, si iis tantopere delectatus Grotius, idem secutus sit, ac Prophetarum oracula deformaverit in eum modum quem diximus.

Quin illud constiterit Grotianas, quod ad rem nostram attinet, interpretationes cum Crellianis comparanti, illas majorem in partem ab his tanquam a fontibus esse deductas, atque in plerisque Grotium vix esse aliud, quam in pauciora contractum, et studiis humanitatis tanquam phaleris ornatum, sive onustum Crellium.

Neque propterea viro detractum quidquam volumus, cui optimis studiis naviter occupato, atque assidua manu veterum monumenta versanti, multa occurrebant in dies quibus ad catholicas partes inclinaret: qua in re quantum proficeret, facile animadvertet qui ejus opera, ac præsertim Epistolas, ordine perlegerit: primum enim dispulsæ de romanæ Ecclesiæ idololatria et antichristianismo adversariorum nugæ; multis argumentis improbata, reformationis obtentu, secessio; explosi qui affirmarent in communione romana servari posse neminem; exagitati mirum in modum qui traditiones Patrum rejicerent, Scripturæ intelligentiam ad arbitria sua revocarent. Hæc passim, maxime vero in *Appendice, Epist.* 607, 610, 618, 622, 638, 647. Quo etiam loco vetera sua objicientibus respondet, « nil mirum videri, si processu ætatis, colloquiis eruditorum, diligenti lectione, factum ei fuerit judicium defæcatius. » Qua conjectura ducti, plurima eum correcturum fuisse, non temere diximus. Denique eo ventum est, ut ad fratrem intimorum de religione arcanorum conscium multa de Ecclesiæ romanæ auctoritate et doctrinæ veritate scriberet, nec pigebit referre verba. « Ecclesia romana non sola catholica est, sed catholicæ præsidet, ut Hieron. ad Damas. ostendit: » ac paucis interjectis, « Reperio autem, inquit, quidquid communiter ab Ecclesia occidentali, quæ romanæ cohæret, recipitur, idem reperiri apud Patres veteres græcos et latinos quorum, communionem retinendam vix quisquam neget. » Unde in sarcienda Ecclesiæ unitate præcipuum illud: nihil mutare in recepta doctrina, moribus ac regimine.

Hæc igitur perscripsit Appendicis Epistola 671. alibi ad eumdem sensum: » Reformationem sine schismate faciendam, ac si qui corrigerent quæ

corrigenda viderentur, nihil mutantes de vetere doctrina, nec sedi romanæ justam reverentiam negantes, habere quo se apud Deum et bonos judices defendant. » Ibid. 613. Quin etiam illud agnovit quod erat maximum, « Christi Ecclesiam episcoporum per manus impositionem successione constare, qui ordo manere debeat ad finem seculorum, ex Matth. XXVIII. 20. » Ex quibus ostendi possit, auctore Cypriano, quantum crimen sit adulterum caput facere, id est, ab Ecclesia secedere, atque agnoscere Ecclesias, quæ sensus suos ad Apostolos ordinatores referre non possint. Hæc quidem scripsit anno 1643. Pridie vero anni 1645, qui postremus illi vitæ fuit, suadebat amicis Remonstrantibus, si qui cum Corvino in reverentia perstarent antiquitatis, ut constitutis Episcopis a catholico Archiepiscopo ordinatis, initium facerent redeundi ad mores et antiquos et salutares, « quibus, inquit, contemptis, licentia invaluit pro novis opinionibus faciens novas Ecclesias, quæ, quid post aliquot annos credituræ sint, nescimus : » Ibid. Epist. 739. Hæc igitur tam sana, tam ad pacem catholicam conducentia, quem in finem devenerint, nos latet; id scimus, talem virum, cum talia scriberet, talia suaderet quæ essent gradu proximo ad amplectendam ecclesiasticam unitatem, quæsisse tamen ipsum nescio quas tergiversandi causas : (ead. Ep. 677.) e quibus an se evolverit, in medio relinquimus. Interim annotata ad Scripturas procedebant scatentia erroribus, ac multum Ecclesiæ nocitura : nec annuit Deus ut has eluerет maculas ; tam periculosæ sunt, oborta semel luce, fluctuationes et cunctationes ! Neque plura in hunc virum : sufficere enim arbitramur hæc, ut nec illaudatus abeat, nec sine gravissima cautione admittatur. Cæterum hæc monuimus, ut qui ejus prophetica oracula, universasque Scripturas explicandi ratione nimis delectantur, semel noverint quo fonte profecta, et quam inemendata relicta sit ; fidemque christianam suis velut propugnaculis munire potius quam nudare studeant.

IN PSALMUM II. 7.

Dominus *dixit ad me : Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Locus eximius ac prope singularis in Psalmis, quo Christus vere, naturaliter, proprie, Dei filius asseratur ; quem locum diligentius et fusius exponere cogimur, propter mysteria quæ continet, interpretante Paulo ac post eum sanctis patribus. Et quidem paucis opus est ut probatio valeat, nihilque aliud agendum, quam ut verborum servetur proprietas. *Dominus* enim *dixit ad me* : non ad alios, sed ad me proprie, singulariter : *Filius meus es tu :* tu, inquam, et non alius : ergo unicus, unigenitus, singularis; quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te :* non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus ; nec gratia, quod Angeli, quod homines ; sed natura filius : quæ tam breviter, tam absolute dicta et in unum contracta et coalita, non patiuntur tropos, nec alteri quam unigenito convenire possunt. Quare sanctus Basilius negat hic generationem tropice aut improprie sumi posse : tantum laborandum et in isto versu, et in illo Ps. CIX. 3. *Ex utero ante luciferum genui te*, ut generationem Deo dignam cogitemus : hoc est, ut paulo ante dixerat, impertibilem, individuam, sempiternam. *Lib.* 2. adv. Eunom. *n.* 8, etc, *n.* 24, etc. Gregorius etiam Nyssenus, Basilii frater, ex hoc loco asserit approbasse Paulum, unicum Dei filium non angelicæ, sed melioris naturæ esse : adv. Eun. Or. 3. Cyrillus quoque Alexandrinus in Thesauro, doctissimo ac maxime theologico opere, assert. XXXV. quod Filius sit genitus ex Patre, et non factus, probat ex his locis : Prov. VIII. 25. *Ante omnes colles ego parturiebar :* Ps. II. *Dominus dixit ad me : Filius*

meus es tu : ego genui te; et, *Ante luciferum genui te.* Atque omnino pätres in his vocibus, filius Dei τὸ γνήσιον, τὸ ἴδιον, hoc est, genuitatem, germanitatem, veram denique ac propriam rationem generationis agnoscunt. Omnium antesignanus sanctus Athanasius non ex comparatione dicit filium majorem Archangelis, Thronis honoratiorem : *non*, inquit, *ita designatur; sed eum sibi esse proprium et solum declarat Pater, dicens* ; Filius meus es tu : *et rursum :* Hic est filius meus dilectus. Contra Ar. orat. 3, *p.* 393. nunc Orat. 1. contra Ar. *n.* 55, 57, 58. Orat. 2, *n.* 23 et *n.* 58. Vim autem facit vel maximam eo verbo, *genuit :* Paulum secutus scilicet : *hos*, inquit, (Arianos) *confutat Paulus, dicens:* Cui Angelorum dixit : Filius meus es tu, ego hodie genui te : et ad Angelos quidem : Qui facit Angelos suos spiritus : unde infert: *ecce res creatas fieri pronuntiat, et has vocat opera seu facturas : Filium contra non fieri dicit, sed æternum illum et regem et opificem prædicat, dicens:* Thronus tuus, Deus, in seculum seculi. Orat. 2, 364. Quæ postrema verba scilicet consona et consentanea facit illi, *genuit :* cui etiam τὸ æternum et sempiternum inesse docet, dicens : *ita scilicet Scriptura sacra geniminis et creaturarum discrimen facit, quod genimen sit Filius non ab ullo initio inchoatus, sed sempiternus.* Or. 3, 428. Itaque apud Athanasium, ut et apud Basilium et Cyrillum Alexand. supra laudatos, simul illa copulata ac velut conjugata videas : *ex utero ante luciferum genui te :* et illud, *ego hodie genui te :* de Syn. Nic. et cont. Ar. Or. 5. quorum primum ad æternam generationem pertinere et ipse assidue inculcat, et nos suo loco referemus. Ex quo istud existit secundum Anathasium, illud, *hodie*, et illud, *ante luciferum*, ejusdem esse virtutis. Quo necesse est agnoscamus, summum theologum in hoc versu, atque omnino in hoc verbo, *genuit*, vidisse Filii genuinitatem atque inde æternitatem. Jam Chrysostomus, eo quod id nostro versu, hoc nomen, *Filius*, germanitatem sive genuinitatem significet, infert inde probasse Paulum excellentioris naturæ esse Filium quam Angeli : *Nam si*, inquit, *est filius gratia, non modo non est Angelis excellentior, verum etiam est minor : quippe cum etiam justi homines* (*inferiores licet Angelis*) *vocentur filii : et hoc nomen* filius, *si non sit genuinus, non potest demonstrare excellentiam.* Hom. 2. in Ep, ad Hebr. *n.* 3. Quid est autem genuinus, nisi vere ex Patre genitus? id ergo Christo convenit hujus loci auctoritate. Theophylactus vero optime in eadem Apostoli verba : Hebr. I, 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu; ego hodie genui te?* hæc habet : *Unde*, inquit, *perspicuum est, quod sit præstantior Angelis ex nomine; nomen enim filius, genuinitatem, sive germanitatem ac proprietatem indicat : hoc est, quod ab ipso sit. Si enim gratia filius, minor est Angelis : illud igitur*, Ego hodie genui te, *nihil aliud significat quam istud, quod sit ab initio, ex quo scilicet est Pater. En ergo simul non modo genuinitas, verum etiam æternitas, in hac voce* genuit : unde subdit : *quemadmodum enim*, Qui est, misit me ad vos, Exod. III, 14. *dicitur a præsenti tempore, hoc enim maxime illi competit, sic et ipsum*, hodie. Quo nihil est clarius. Atque idem inculcat ad cap. V. 5. Quo loco probat id quod modo diximus, illud, *ante luciferum ;* et illud, *hodie*, ejusdem esse virtutis : quod enim ait, *ante luciferum*, æternum significat; ipsum vero *hodie*, hoc est, ab initio, ex quo Pater existit.

Ex his liquet quam proprie omnes Davidis voces, in veram et æternam generationem concinant : etiam istud, *hodie :* quod illi Mosis, *Qui est :* et *Ego sum qui sum*, tam apte congruat, ut alterum ex altero liquido deducatur.

Jam ut ad Latinos : notum illud Augustini ad hunc Psalmi locum : Hodie *quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam*

est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit sed præsens tantum; quia quidquid æternum est, semper est; divinitus accipitur secundum id dictum : Ego hodie genui te, *quo sempiternam generationem virtutis et sapientiæ Dei, qui est unigenitus filius, fides sincerissima et catholica prædicat.*

Tantum virum, ut solent Latini, fere omnes secuti sunt tractatores : quos inter Primasius imprimis legi dignus, ad Hebr. I. 5. Neque omitti debet non sane contemnendus (excepto peculiari quod omnes norunt dogmate) auctor Commentariorum in Pauli Epistolas apud Ambrosium, cujus hæc verba sunt : *Quod dixit*, Filius meus es tu ; ego hodie genui te, *aperte manifestat quod idem est de quo ait :* Ero ei in patrem, *ex ipsa essentia Patris genitus. Ideo præsenti tempore posuit*, hodie, *quia Deo nihil præteritum aut futurum est, sed semper præsentia cuncta.* Comm. in. Ep. ad Heb. I. 5.

Scio quam multi nunc sit, qui hæc nimis subtilia reputent, ac parum idonea ad exponendas Scripturas et Judæos convincendos. Verum hæc subtilia quæ vocant, ipsa sunt christianorum vera ac certa mysteria. Si enim Christus vere est Filius Dei, si vere est illa; quæ ante omnes colles genita est, Sapientia ; profecto verum et illud quod Catholici adversus Arianos atque Aetium urgebant, Filium ita esse genitum, ut semper gignatur; ut sit ἀειγεννητός : quod Arius refugiebat, apud Epiphanium, Hæres. 69. *p.* 731. hoc est, semper genitus, ac Pater ipse semper generans. Rursus autem hæc si vera sunt, verum et illud, non uno ac certo die, sed quemcumque diem dixeris, eo die Filium et gigni et esse genitum : neque quidquam aptius aut propheta dignius ad hæc non subtilia sed sublimia ac divina exponenda, quam illud, *hodie;* quo quippe fit, ut Filii semper sit nova, semper vetus nativitas, nusquam imperfecta ac velut in motu, sed semper absoluta perfectaque generatio, atque ipse Filius quotidiano seu potius æterno et immutabili partu semper effusus, semper hodie genitus, neque senescens unquam ; denique, ut ait doctissimus juxta ac sanctissimus Isidorus Pelusiotes, *et recens et sempiternus.* Lib. I. Ep. 323.

Quod autem ad Judæos ; non, si illi carnales sunt et sublimia non capiunt, ideo propheticis dictis sua est adimenda proprietas ; imo revincendi ex proprietate verborum, quod ipse fecit Paulus. Etenim demonstraturus novissimis diebus Deum locutum esse, non jam per servos, sed per ipsum Filium, verum, inquam, et æternum, per quem scilicet et secula fecerit, ad hæc, splendorem paternæ gloriæ, ac substantiæ characterem, hoc est, naturaliter ac proprie genitum : Heb. I. 2, 3, Angelos quoque, hoc est, nobilissimum creaturarum genus, postponit his verbis : *Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu ; ego hodie genui te?* v. 5. quæ, si de filiis ex gratia factis, dicta voluit, profecto falsus est : vulgatum enim in scripturis eo sensu Angelos appellari Dei filios : neque ignorabat Apostolus de Angelis dictum : *Quis similis Deo inter filios Dei?* Psalm. LXXXVIII. 7. aut illud apud Jobum I. 6. II. 1. adstitisse coram Domino Dei filios, hoc est profecto, Angelos. Sed his relictis, Paulus aiebat neminem extitisse cui singulariter Deus dixerit : Tu es mihi filius, proprius, unigenitus, adeoque ejusdem naturæ ac substantiæ consors : quo ex capite cætera huic velut fundamento connexa deducit : nempe ut sit adorandus ipse quoque Angelis : Deus denique, et creator, et omnium rerum arbiter : quæ omnia ex ejus vera ac propria nativitate derivat.

Neque par est everti Pauli ratiocinium, si illud, *hodie*, ad temporalem quoque ex beata virgine nativitatem referatur : neque ipse Paulus sibi est

contrarius, qui ad resurrectionem Christi transferat, Act. XIII. 33. Hæc enim quid sunt aliud, quam æternæ illius generationis consecutio, sive, ut ita dicam, progressus et extensio quædam? Sane cum Spiritus sanctus in Mariam supervenit, ac virtus Altissimi obumbravit ei, nihil aliud egit Pater, quam ut Unigenitum, quem in sinu gerebat, in Mariæ quoque sinum funderet, et novo modo gigneret : unde infert Angelus : *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* : Luc. I. 35. filius utique, non adoptivus, sed proprius : ut totum illud Sanctum, quod est Deus et homo, unus esset ac genuinus Dei filius. Quare et ipse utramque nativitatem suam uno verbo exprimebat, dicens : *Exivi a Patre et veni in mundum :* Joan. XVI. 28. idem a Patre æternum et ab homine certo tempore ortus atque ad mundum veniens; quem ad locum Hilarius : *Cum per id a Patre venerit, quia a Deo exierit, exitio ejus a Deo* (venientis in mundum) *absoluta,* (sive perfecta ac proprie dicta) *nativitas est,* lib. IX. de Trinit. n. 30. Non quod de sit quidpiam æternæ nativitati; sed quod eadem manens, ipso ad mundum adventu in hominem quoque atque hominis filium, protendatur. Hæc de nativitate temporali Christi.

De resurrectione vero non aliter dixerim. Cum enim ille ipse Dei et hominis filius est mortuus, eumque Pater ex mortuis suscitavit, non aliud ostendit nisi illud, impossibile fuisse teneri a morte Dei vivi filium, qui et ipse vita esset, et ad hoc ab æterno natus : quo necesse fuit ut iterum ederetur, et quodammodo gigneretur : hoc est, suscitaretur, per eam actionem scilicet, quæ ad verum et proprium filium terminata, æternæ generationis illius quidam progressus esset. Itaque ipse Dei filius aperte significat per resurrectionis gloriam, nihil a se aliud postulari, quam ut ad originis suæ jura revocetur. *Clarifica me tu, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Joan. XVII. 5. Hilarius : *Non nova quærit, non aliena desiderat : esse talis, qualis fuerat, postulat, sed precatur id se, quod antea erat, esse : gigni scilicet ad id quod suum fuit,* in Psalm. II. v. 7, *n.* 27. *Quo factum est,* ex eodem Hilario, ibid., *ut id quod filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est, ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectionis potentiam gigneretur.*

Quare hi sensus omnes in unum coalescunt atque ab uno pendent : efficiturque non modo ex Hilario, sed etiam ex Evangelio, ut Christus verus perfectusque Dei filius et agnoscatur et sit, eo quod et ab æterno genitus, et ex virgine natus, et a tumulo suscitatus : neque illud, *genuit*, quisquam aut intellexit aut intelligere potuit, nisi de actione vera qua Christus non adoptivus, sed verus Dei filius, atque ab eo vere genitus ederetur, sive ut esset apud patrem, sive ut inde prognatus et ex matre et ex sepulcro, ad nativam gloriam vocaretur.

Cum ergo illud, *hodie*, sive Hilarius, sive alii e Patribus, ad temporalem nativitatem aut ad resurrectionem referunt, haud minus ex hoc versu affirmant, Christum esse verum atque unicum filium, adeo vere et proprie genitum; aut eversum ierunt atque Paulinum illud : *Cui aliquando angelorum dixit? Tu es mihi unicus : tu vere genitus :* neque ipse Paulus sibi contrarius qui refert illud, *genuit*, et ad veram ab æterno nativitatem, Heb. I, 5. et ad resurrectionem qua idem Dei filius, uti prædiximus, ad æternam ac nativam gloriam rediit. Act. XIII. 33.

Quare idem Paulus idem illud Davidicum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* ad Christi quoque sacerdotium refert : Heb. V. 5. ut omnia, quæ de Christi gloria sanciantur, ab hoc uno fonte profluant, quod sit natura ac vera generatione filius, atque inde et mirabili ex virgine et Spiritu sancto

conceptione, et gloriosa resurrectione dignus, ac denique apud homines quoque, et regno et sacerdotio clarus.

Neque aliter intelligendum, quod illa quoque verba : *Ego hodie genui te*, et in nonnullis olim Evangelii codicibus super Christum baptizatum prolata legerentur, et in ejus baptismum a quibusdam patribus conferantur. Subest enim semper veræ naturalisque generationis intellectus : *Ego te*, inquit, *hodie in baptismo quoque genui*, quo sensu dictum est : *Ego Deus vester*, Levit. XXVI. 12. hoc est, efficiam ut clare pateat me esse verum Israelis Deum : sic, *hodie, in Baptismo quoque genui te*, hoc est, exinde efficiam ut vere genitus, vere filius, uti es, ita dici mereare. Quo loco Augustinus : *Vox illa Patris*, inquit, *quæ super baptizatum facta est* (secundum quosdam codices) ego hodie genui te : *non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad Unigeniti personam pertinere monstraret.* Enchir. ad Laur. XLIX. Queis omnibus liquet, quemcumque in modum et ipse Apostolus, et eum secuti Patres, hunc versum flecterent, nusquam tamen imminutam veræ generationis proprietatem ac vim.

Ab hoc igitur versu tota Psalmi ratio pendet, ut quoniam Christus sit verus Dei filius (v. 7.) ideo cum ad homines venit, sit constitutus a Deo rex super montem Sion, unde Evangelii orta est prædicatio : v. 6. hinc illi ut filio data auctoritas annuntiandi verbi Dei, *prædicans præceptum ejus*, seu decretum interpretari mavis : eodem versu ; tum velut filio data est hæreditas, totiusque orbis attributa possessio : *Postula*, inquit, *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* ; qua voce in Scriptura, ipsa rerum universitas designari solet : v. 8. quo etiam factum est, ut et ab initio reges ac principes frustra in Christum coierint, v. 1, 2. nec impunes abeant, si adversus tantum regem Dei filium certare porro pergant : v. 9, 10. nulla ut supersit salus regibus, nisi ut Christum agnoscant, et in Christo Deum. v. 11. et seq.

Neque propterea abnuerim, quin illæ coitiones adversus Deum et Christum, in Davidem quoque suo modo conferantur, cujus quippe imperium et reges Syriæ ac Moab at Emath et Philistæorum principes, facta velut coitione detrectaverint : II. Reg. VIII. Sed posteaquam tenuimus versum 7. clare et proprie ad Christum pertinentem ; hinc profecto fit, ut reliqui versus ad hunc veluti religati, in christianum sensum non modo facile trahantur, sed etiam ultro ac proclivi lapsu transeant.

Quo etiam tota corruit Judæorum expositio : sic enim aiunt, illud *filius meus es tu* : v. 7. pendere ab antecedente : *ego autem constitutus sum rex*, adeoque illud, *hodie te genui*, nihil aliud esse, quam regem te feci : regalem vitam dedi : hæc quidem Judæi et post illos Grotius, ad Ps. II. 7. et Act. XIII. 33. Sed in hanc quoque expositionem valet Pauli argumentatio : Cui Angelorum dictum : *Filius meus es tu?* Ecce enim tot ac tanti extitetunt reges, tot memorati in Scripturis Deo etiam carissimi, tot ab eo constituti, unctique in Juda, in Israele, in Syria : cui autem eorum dixit aliquando : *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ita quemadmodum de angelis, sic etiam de regibus Apostoli ratiocinatione transactum est.

Sane invenimus de principibus, Psalm. LXXXI. 6. ut itidem de angelis plurali numero, quod filii Dei sint : *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes*, sed cui regum dictum sit : Tu singulariter meus es filius atque hodie a me genitus, ostendant si possunt. Non ergo de Davide dici potuit nisi induto singularem ac plane divinam Christi personam.

Objiciunt tamen de Davide dictum : *Ipse invocabit me, pater meus es tu*, Ps. LXXXVIII. 27. quod, quanquam longe abest ab eo : *tu filius meus* :

ego te genui, quod veram actionem sonat : tamem demonstravimus nequaquam convenire Davidi potuisse, nisi in persona Christi : neque quemquam, aut hominum, aut etiam regum, neque Davidem ipsum, ita unquam orasse visum, ut Deum patrem suum proprie appellaret. Vide quæ diximus ad Ecclesiastici LI. 14. Similis solutio est ad illud de Salomone : *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium*, II. Reg. VII. 14. Heb. I. 5. atque omnino constat ad singulares istas, neque usquam in Scriptura de reliquis, aut hominibus, aut etiam regibus usurpatas locutiones, Deum nunquam deventurum fuisse, nisi in animo habuisset unicum filium quem David et Salomon figurarent.

Nam illud nihil moror : *Et ego primogenitum ponam illum*, Ps. LXXXVIII. 28. Ex stylo enim Scripturæ nihil designat aliud, quam primogeniti honore dignatum : neque in Ps. II. illud, *genuit*, detorqueri potest in illud vulgatum *creavit*, *fecit*, cum David dudum creatus ac factus fuisset : neque in adoptionem, qua non gignitur unicus genuinusque, sed adseritur alienus, ut sæpe diximus : neque ad exaltationem in regis titulum, quæ generatio nusquam in Scripturis dicta sit. Aut ergo ejus rei exempla proferant, aut verborum proprietati hæreant, nec in dicta prophetica alienum quid invehant.

Rogant sane nos vicissim, ut edamus exemplum nostri illius, *hodie*, quo æternitas designetur, haud æqua comparatione. Consueta enim et humana, quale est aliquem regem fieri, vulgaribus verbis exprimenda veniunt. Nihil autem mirum, si singularia ac plane divina singulari modo exprimantur, quo moneantur homines, ne humana aut consueta cogitent : sicut illud, *Qui est* : et, *Ego sum qui sum*, ut sensu, ita phrasi singulare prorsus, nulloque exemplo editum, cui tamen ane, affic velut innatum esse nostrum illud, *hodie*, nec jam pro adventitio, aut commentitio habendum esse vidimus.

Summa est : neque theologice neque christiane agere eos, qui locum præcipuum de divinitate Christi ut veri et unici filii, non quidem Christo abjudicant : quis enim christianus hoc audeat contra Apostolum ? sed tamen vim argumenti auferunt : hoc enim adversatur eidem Apostolo, ex eo loco approbanti Christum esse verum et unicum Dei filium : atque omnibus Patribus ex eodem loco idem asserentibus : cum adversus Judæos, tuum adversus hæreticos. Adimunt autem argumenti vim, qui cum Hugone Grotio hoc tantum dixerint, egregium locum Christo aptari posse, aut aptandum videri, aut etiam dignius aptari ac melius, aliaque proferunt ejusmodi, quæ magis accommodationem, quam certam probationem sapiunt. Qui autem e probatis quoque interpretibus Davidi etiam, suo quodam modo aptant, *Filius meus es tu : ego hodie genui te :* hoc scilicet sensu : regalem vitam dedi, te appellavi filium ; nullo licet freti Scripturæ exemplo, nullo suffragio Patrum; tamen excusari possunt si verba quidem Psalmi in Christo quidem propria innataque esse ; cæterum Davidi utcumque, imperfecte, improprie accommodari posse sentiunt : nec omnino aliter, interpretante Estio, nisi quatenus David gerebat typum et imaginem Christi : quo remoto, nequaquam tam magnificis titulis fuisset a Deo honoratus, ad Heb. 15. Quæ sane eo pertinent, ut quocumque se flexerint, tamen vi verborum, sive ipsius litteræ, cogatur æquus lector aliquid Davide altius, neque Christo inferius, cogitare.

Nec secus sapuisse Judæos veteres, a nostris demonstratum. Horum testimonia videre est apud illustrissimum atque eruditissimum Petrum Danielem Huetium, Demonst. Evang. *prop.* VII. *n.* 14. atque Eduardum Pocockium scriptorem diligentissimum, notis Micell. ad Mosen Maimon. cap VIII. nec piget referre verba Rabbi Salomonis Jarchi : *Doctores nostri ad regem Mes-*

siam Psalmum hunc referebant ; expedit tamen cum referre ad Davidem, prout sonat, et propter Minæos, sive hæreticos, videlicet christianos : quæ postrema verba in antiquioribus ejusdem Salomonis editionibus reperiuntur. Nunc evoluto egregio loco ac mysteriis pleno, alios facile expedimus.

IN PSALMUM XV. 8.

Providebam *Dominum*. Ab hoc versu David, hactenus res suas potius persecutus, altiore spiritu assurgit ad Christum; quod est evidentissimum, perpensis singulis verbis, totaque textus serie: neque est alius locus quem Apostoli magis urserint, et in formam, ut ita dicam, probationis intenderint : ut si huic loco vis argumenti desit, nullus jam qua rendus sit ejusmodi, qui probandi virtute polleat. Sic autem incipit : 8. *Providebam Dominum* : ex persona Christi versantis inter mortuos : *in conspectu meo semper :* qui a me nunquam abstitit, nec reliquit me solum, Joan. VIII. 29. *quoniam a dextris est mihi, ne* (tantis cruciatibus, suppliciis, ipsaque etiam morte) *commovear :* 9. *Propter hoc lætatum est cor meum* : quod est ejus *qui proposito sibi gaudio* (proximo resurrectionis) *sustinuit crucem* (tam infamis supplicii) *confusione contempta* : Heb. XII. 2. *et exultavit lingua mea : solutis*, scilicet, teste Petro, *doloribus inferni*, sive mortis ipsius, Act. II. 24. etomissis jam vocibus crucem spectantibus : *tristis est mea anima usque ad mortem* : Matth. XXVI. 38. aliisque ejus generis : *insuper et caro mea requiescet in spe :* Heb. et caro mea habitabit confidenter : habitavit, secundum Hieronymum : confidenter vero, in fiducia ; quod idem est, atque in spe : *caro* autem *mea*, id est corpus meum : etsi enim generatim omnis caro totum hominem significat, non tamen invenietis, carnem meam, seu carnem alicujus pro tota persona sumptam. Corpus ergo meum habitabit ; quod etiam pro homine quiescente in silentio, hoc est, in sepulcro, habes Psal. XCIII. 17. in his verbis videlicet : *propemodum habitasset in sepulcro anima mea :* Heb. in silentio : sed omnes sic intelligunt : cessassem in sepulcro ; morte extinctus essem. Confidenter autem, *in spe*, futuræ resurrectionis scilicet. Unde sequitur, 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno :* sive ipsam animam in illo inferno loco, quo piorum animæ tenebantur ; sive ut Hebræus magis sonat, animam meam, meipsum, noto hebraismo : vel etiam : corpus meum : quo sensu dictum est : *ferrum pertransiit animam ejus ;* id est ; corpus ejus : Ps. CIV. 18. imo corpus meum, seu meipsum mortuum : ut habes Levit. XIX. 28. *super anima non incidetis carnes vestras :* Chal. super mortuo ; quod etiam Vulgata retinuit. Item Levitici XXI. *in anima ne contaminet se sacerdos*, id est, ne corpus mortuum tangat ; ne intersit funeribus ; quod Vulgata vertit, *ne contaminetur sacerdos in mortibus. Non* ergo *derelinques animam meam :* meipsum mortuum : *in inferno :* in sepulcro, ut vulgo apud Hebræos : nec dicit : Cavebis ne in sepulcrum incidam, sed *non derelinques*, tanquam in eo jacentem ; ex quo illud eveniet : *neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Vigilanter de Christo : non vidit corruptionem ; vidit enim foveam, seu sepulcrum, in quo tamen non est relictus : corruptionem vero non vidit. Quam autem consequenter : non est relictus in sepulcro ; unde corruptionem nescit, nec ea vel levissime tangitur ! Sane illam vocem *Sehachat*, quam vertunt *corruptionem*, non est dubium in Hebræo sæpe sumi pro *fovea* : neque tamen absolute dicendum est hoc verbo significari foveam ; quin potius hæc vox nativa intelligentia corruptionem sonat : unde etiam Aquila, ex S. Hieronymi et omnium sententia, maxime hæreus litteræ, et significationum fontes scrutari

solitus, ad Psal. VII. 16. *incidit in foveam quam fecit* : quo loco omnes ponunt *foveam* : ipse, *corruptionem* : eo quod ea nativa sit et maxime propria hujus vocis significatio. Itaque in versu quem tractamus, non modo LXX. Interpretes, sed etiam Chaldæus *corruptionem* vertunt : *Schechiouta*, a radice *Schachat*, corruptio; ut, si David corruptionem significare voluisset, non alio aptiore vocabulo uteretur: a qua versione hic si Aquila aut alii recessissent, christiani interpretes, in his varietatibus referendis diligentissimi, non id prætermissuri fuisse viderentur. Hinc ergo firmatur, LXX. versionem habitam fuisse pro germanissima : unde etiam Petrus, Act. II, 27, 29, 31. et Paulus, Act. XIII, 35, 36. in sermone populari hanc vocem, *corruptio*, maxime urgent, ut quæ populi animum vel maxime afficeret. Hunc ergo figunt sensum veluti certum ac proprium et toti contextui maxime cohærentem. Cui id erat proximum, ut David statim subderet : *notas mihi fecisti vias vitæ*, non quam retinerem, sed ad quam rediturus essem, tuaque in æternum gloria potiturus, quemadmodum dicit : *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, etc. Vide autem dictorum seriem : corpus quiescet in spe; non relinquetur in sepulcro; corruptionem nesciet; reviviscet: quæ gradatim, ac per ἄυξησιν dicta, mirum in modum veram ex mortuis resurrectionem inculcant.

Hæc ergo qui perpenderit, liquido selectas esse a Davide voces, quæ non hominem vivum e periculo mortis eximerent, sed quæ mortuum et jacentem ex ipso sepulcro excitarent; neque ullum e Scriptura exemplum afferunt, quo illud, non *derelinques in sepulcro*, aliaque ejusdem virtutis a Davide prolata, ab eo quem præferunt sensu, abstrahantur. Unde etiam Apostoli hoc loco et his verbis confidentissime utuntur ad confundendos Judæos; quibus verbis, si affinxeris Grotii et aliorum glossas tanquam ex Davidis nomine : *præservabor a morte* : *non introibo sepulcrum; ostendes mihi viam qua liberer a mortis periculis* non modo frigebit oratio, verum etiam solvetur Scriptura, Apostolorum corruet disputatio, atque efficietur illud, ut Judæi Petri et Pauli prædicatione victi : inani argumento cessisse videantur. Confirmatur ex illo Petri in eodem sermone : cum adhibito Davidis loco, *Sede a dextris meis*, sic urgeret *non enim David ascendit in cœlum, dixit autem ipse. Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, etc. Act. II. 34, 35. Ad quem locum ipse Grotius : David in sepulcrum descendit; non autem evectus in cœlum ut Elias; quare verba Psalmi CX. (secundum Hebræos, in Vulgata CIX, in ipsum congruere non possunt. Qua forma Petrus Paulusque probant Psalmi XV. locum in ipsum Davidem cadere non posse; cujus quippe Psalmi verba mutuo se juvant ad designandum resurgentem Christum; ut si etiam singula in alium sensum per vim contorqueri possent, tamen simul juncta ab æquo lectore extorqueant ut Christum resurgentem agnoscat, ipsaque vox *Schachat* ad corruptionis sensum, et innata virtute sua, et totius contextus vi determinari debeat. Huc accedit persona Davidis, cui, ut Christi parenti, imprimis congruebat, ut Christi sibi promissi nomine loqueretur; quod etiam Petrus vehementer inculcat : Act. II. 29, 20, 31. ut profecto qui Petri et Pauli argumentationem diluere aggressi sunt, ac vim litteræ infringunt, non modo in tantorum Apostolorum auctoritatem, verum etiam ipsius textus veritatem pugnent.

Cæterum et illud confidentissime addiderim, ambiguas has et lubricas interpretationes nemini ex antiquis notas, unumque omnino extitisse Theodorum Mopsuestenum qui hunc Prophetæ locum de Christo ex eventu acceptum esse docuerit; cum per se ad alium quoque sensum pertineret, quem in morem cætera vaticinia deformabat : quod in Synodo V. collat. IV. omnes Con-

cilii Patres non modo condemnarunt, verum etiam horruerunt. Huic autem opponimus Patres universos, imprimis vero Athanasium a quo hic locus egregie pertractatus; cont. Arian. Orat. 3. nunc Orat. 1. *n.* 61, et Orat. 2. *n.* 9.

IN PTALMUM XLIV. 7.

Sedes *tua, Deus, in seculum seculi.* Et hic locus ex eis est, in quibus David apertissime a persona creata, puta Salomonis, hic ad ipsum Christum, eumque Deum, evehitur. Sic autem habet Hebræus : 7. *Thronus tuus, Deus* (Elohim), *in seculum seculi : sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.* 8. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus* (Elohim Eloheca), *oleo lætitiæ, præ consortibus* sive participibus *tuis* : præ illis, scilicet, qui Christi gerunt nomen. Consonat Hieronymus in interpretatione Psalm. et Epist. CXL. ad Principiam virginem, de hoc Psalmo, quo etiam loco notat ad versum 8. *Unxit te Deus*, vertendum vocandi casu atque ita vertisse Aquilam ; unxit te, o Deus, Deus tuus, quod est apud eumdem Aquilam, θεὲ Dee, si latina lingua reciperet : ita etiam vertit Eusebius *lib.* 5. Demonstrat. Evang. ad Ps. XLIV. libro vero IV. non modo ex Hebræo sic exponendum docet : sedes tua, o Deus, ὦ θεέ : et unxit te, o Deus : similiter, ὦ θεέ : verum Aquilam, *accuratissimum*, inquit, *interpretem*, ita etiam vertisse : unde infert hanc veram et nativam esse vim phraseos hebraicæ : quin etiam illud, ὦ θεὲ subintelligendum esse hic : *Dilexisti justitiam* : ita ut Deus unctus alia persona sit ab ungente, et utraque Dei nomine æque appelletur; unde etiam eliditur commentum illud recentium Judæorum, tam contortum, tam alienum ab hoc loco; sedes tua est Dei, sive ipsa Dei sedes, contra quod plerique omnes, et ipse Aquila, nativo sensu verterit. Quod autem LXX. interpretati sunt; ὁ θεὸς, non inusitatum Græcis, Septuaginta autem interpretibus familiarissimum pro vocativo poni : Ps. CXXXVIII. v. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus* : LXX. ὁ θεὸς : Canticorum VI. 12. *Revertere Sunamitis* : ἐπίστρεφε ἡ συναμῖτις; et alibi passim; unde Apoc. XVIII. 4. *Exite de Babylone, populus meus* : ὁ λαός μου : quin etiam Matth. I. 20. *Joseph, fili David* : in Gr. υἱὸς, filius. Plura requirere superfluæ curiositatis esset. Jam ita constituta vera interpretatione textus, perspicuum est eum, ad quem David. sermonem dirigit, eum scilicet qui unctus est, tam esse et vocari Deum, atque eum a quo unctus est; procul dubio igitur verum et perfectum Deum.

Quod autem quidam cum Crellio ad Heb. I. 8. aliisque ejusdem notæ, sic interpretantur, ut illud, *Elohim*, o Deus, quod significare etiam potest principem ac potentem, ea intelligentia ad regem ipsum Salomonem referatur et in Eccleia inauditum et per se absurdum ; cum David non aliter Deum ipsum appellaverit, quam eum ad quem sermo dirigitur ; nec ratio textus sinat statim variare intelligentiam; neque aliquod afferatur, aut afferri possit hujus, in vocum significatione, tam repentinæ mutationis exemplum.

Jam illud certum est, vocem *Elohim*, cum significat judices, construi cum plurali : *Ego dixi, Dii estis;* atque ad verbum; *vos Dii*, Elohim : Ps. LXXXI. 6. Unde etiam sequitur : *filii Excelsi omnes*, et, *sicut homines moriemini* : v. 7. Quod pari modo fit, ubi de falsis diis agitur : *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt*, etc. Exod. XXXII. 4. et alibi passim. Valet etiam regula de angelis, si de eis interpretari placet illud, Psal. XCVI. 7. *Adorate eum, omnes angeli ejus* : Heb. incurvate vos ei omnes dii : *Elohim.* Cum autem vox illa, Elohim, pro vero ac summo Deo

ponitur, cum singulari construitur: ut in ipso Genesis initio, quo nihil est Deo magis proprium: *In principio creavit*, (*bara*, in singulari) Deus, *Elohim*: Gen I. 1. atque ita ubique reperias: in nostro autem versu illud, *o Deus*, Elohim, construitur cum singulari: *thronus tuus, o Deus*: est igitur ille ad quem sermo dirigitur, ex ipsa consuetudine sermonis hebraici, verus et summus Deus.

Hinc illud ab omnibus interpretibus græcis latinisque observatum, ut quoties vox illa, *Elohim*, verum ac summum Deum significat, singulari numero efferatur, vertaturque absolute non Dii, sed Deus; de angelis vero aut de principibus, aut de falsis diis, aliter. Unde etiam apud Patres illa quæ veteres æque ac recentiores hæreticos confodiat antiquissima regula ab omnium vetustissimo Irenæo memorata; ubi *Deus definitive*, proprie, singulariter, ac singulari numero, *et absolute*, dicitur, non alium nominari, quam verum ac summum Deum, quod Apostoli ubique observaverint: *lib.* III. cont. hær. 6, 7, 16. neque ullum usquam diversæ locutionis exemplum. Quam etiam regulam adhibere visus est adversus Arianos Athanasius in Ep. de Dec. Nic. Syn. et alibi sæpissime.

Qui autem objiciunt dictum illud ad Moysen: *Ego te constitui Deum Pharaonis* (Elohim) tanquam hic illa vox judicem sonet: Exod. VII. 1. adeo non evertunt regulam, ut potius firment: primum enim non absolute Deus dicitur; sed, *ego te constitui Deum Pharaonis*: deinde et illam vocem, *Elohim*, pro vero Deo poni testantur sequentia; et *Aaron frater tuus erit propheta tuus*; non enim judicibus, sed Deo, prophetæ tribuuntur; eratque consentaneum ut Moyses adversus Pharaonem Dei auctoritatem ac veluti personam indutus, prophetam haberet suum ad clariorem divinæ potestatis in eum repræsentatæ intelligentiam.

Stet ergo illud invictum, *thronus tuus, Deus*, de vero Deo dici; neque Salomoni quantumvis excelso principi, aptari potuisse. Nec ipse Grotius eo trahere ausus, repugnante Scripturarum stylo: *Hoc nomen*, inquit, *Elohim, pluribus sive angelis, sive judicibus dari solet; at cum uni tribuitur, Deo soli convenit*, ad Heb. I. 8. Rectissime: sed tamen sic eludit; *sensus est; Deus ipse est sedes tua perpetua, id est, si Salomonem respicimus, Deus te semper in regno sustentabit, si vero Christum, Deus ipse te sustentabit in regno nunquam defecturo*: ibid. Quem sensum cum et nullo exemplo fulciat, et adversus Apostolum nullo argumento fingat, non est cur studiosius refellamus: unum illud constiterit, non de alio, quam de vero Deo dici potuisse; *sedes tua, Deus*: de Christo autem dictum et ipsa res clamat, et Apostolus docet; est ergo Christus verus ille Deus a Davide invocatus. Consentiunt Patres una voce omnes; neque quisquam illorum hunc locum aliter adhibuit, quam ut in eo Christus, isque verus Deus, neque alius, et adversus Judæos et adversus hæreticos probaretur, neque ullus superesset Judaicis effugiis locus.

Memorandum illud Origenis, *lib.* I. contra Celsum: « *Considera*, inquit, *quod Deum alloquens Propheta, cujus sedes est in seculum seculi, et virga directionis, virga regni ejus, hunc Deum, ait unctum a Deo qui sit ipsius Deus....* et continuo: *Hoc loco memini me vehementer urgere Judæum qui sapiens habebatur apud suos; a quo cum se explicare non posset, respondit sicut decebat Judæum; aiebat ad universitatis Deum dictum esse illud:* Sedes tua, Deus, in seculum seculi; virga directionis, virga regni tui; *ad Christum vero illud:* Dilexisti justitiam, etc. » Ex quibus constat nec ipsos Judæos in illo, *sedes tua, Deus*, quidquam suspicatos, præter ipsum Deum; quo etiam cogebantur statim variare personam manifesto ludibrio, ne

Christum Deum facerent; quo sane argumento victos esse eos ostendit Origenes : at nunc Christiani solutiones subministrant, et eruditiores se videri putant, si Judæos juvent.

Sane jam vidimus Theodorum Mopsuestenum de vaticiniis ludere solitum; sed tamen hunc locum quo Christus diceretur absolute Deus, ineluctabilem, nec homini ullo modo tribuendum agnoscens, Christo reservavit, referente Facundo, *lib.* IX. *c.* I. E recentioribus, Cornelium Jansenium Gandavensem appellamus, qui vaticinia de Christo oblique et indirecte, nec satis proprie, ut ipse loquitur, in Salomonem ac Davidem trahere amans, ultro tamen fateatur pleraque hujus Psalmi Salomoni congruere non posse, ut quod is de quo fit mentio, dicatur Deus : in arg. hujus Psalmi. Genebrardus vero ipso statim initio : Impii ut Genevenses, de Salomone hunc Psalmum exponunt; cum profecto Genevenses in Christum quoque congruere non negent; quanto magis impios diceret, qui locum insignem de divinitate Christi cum Salomone communicatum vellent?

IN PSALMUM L. 7.

Ecce enim in iniquitatibus : Heb. Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea. Sic Hieronymus. Alii : fovit : calefecit : sive, ut alii : de me fota, calefacta, ad me progenerandum incaluit : eodem ubique sensu : LXX. ἐκίσσησε : concepit : pro quo Theodotio apud Theodoretum, ἐκύησε, quod vertunt, utero gestavit. Versio qua usus est S. Augustinus : in utero aluit me mater mea. Mira ubique verborum simplicitas atque ingenuitas ad litteræ proprietatem adigens : atque adeo, ut veram conceptionem, ita verum peccatum inducens. Unde Origenes alioquin ad arcana et remota, atque omnino ad tropologias verti solitus, quoties hunc locum adhibet, adhibet autem sæpissime, semper hæret litteræ. *Audi*, inquit, *David dicentem :* in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea : *ostendens quod quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur.* Quod firmat, ex eo quod, *cum baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam, etiam parvulis detur; cum utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.* Hom. VIII. in Levit. n. 3. et in Matth. tract. IX. memorat nativitatis nostræ carnalis mysterium secundum quod ait David, in persona omnium nascentium ex carne et sanguine, *quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea.* Non ipse Augustinus luculentius dixit, jam excitata Ecclesia adversus Pelagianos; ejus enim verba sunt in hunc versum : *Suscepit personam generis humani David,.... et originem iniquitatis advertit :* quod Origenes dixerat : addit ejus exemplo de baptismo parvulorum in peccatorum remissionem : quorum nihil Origenes prætermisit.

Ac ne quis putaverit hanc labem animarum secundum Origenis sententiam imputari vitæ quam antea alio in corpore gesserint; idem Origenes perspicue ad Adami prævaricationem refert id quod de se ait David, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum* : ad vitam præcedentem, nusquam. Vide Epist. ad Rom. cap. VI. liber V. Quo etiam loco confutat eos qui recurrunt ad migrationem animarum et ad ea *quæ in alio corpore posita anima deliquerit :* p. 344, 352, 353. His consona docet contra Celsum IV et VII. Atque illud generis humani commune maledictum ab Adamo repetit, nec ad anteactam vitam referri sinit. Stat ergo Origenis interpretatio ex veris Ecclesiæ dogmatibus : quidquid alibi ex suo, licet non eam in rem, addiderit.

Hinc sequitur de nostro versiculo auctore Augustino catena Patrum, quam

perrumpere nefas. Nec pigebit referre notissimos locos, quibus in hoc versu a Patrum coriphæis agnitum esse constet originale peccatum. Hilarius in illud Psal. CXVIII. *Vivet anima mea et laudabit te.* « Vivere se, inquit, in hac vita non reputat, quippe qui dixerit : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* Scit sub peccati origine et sub peccati lege se esse natum. » Gregorius Nazianzenus, eodem Augustino referente : *Per hunc (Christum) primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, et in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Quod et aliis locis congruit ab eodem Augustino laudatis contra Jul. *lib.* I. cap. 5. *n.* 15. Ambrosius hic. Apol. *c.* II, n. 56. David. *Adjunxit confessionem iniquitatis suæ, et in perpetua secula toto canendam orbe, transmisit.* Ecce, *inquit*, in iniquitatibus, etc. *antequam nascimur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam; in iniquitate concipimur.* Et iterum : *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habet lectum, dicente David :* Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Ambr. in Psalm. L. nunc de Pœnit. *lib.* I, cap. 3, *n.* 13. Nec ab aliis deficit Chrysostomus in hunc versum : *Antiquitus*, inquit, *ab initio naturæ peccatum invaluit ; siquidem divini mandati transgressio Evæ conceptionem antecessit.... Hoc igitur dicere vult : peccatum quod generis nostri principes superavit, viam quamdam et semitam per sobolem sibi fecit.* Quo ex capite deducit effecta peccati, et peccatorum fontem concupiscentiam. Accedit Hieronymus ex hoc loco firmans neminem immunem esse peccati : adv. Ctesiph. Hos excipit Augustinus, quem chorus sequitur interpretum. Ac fidenter dixerim neminem Patrum, neminem Theologorum illustrium ab ea intelligentia recessisse.

Ex antiquioribus Clementem Alexandrinum proferunt, qui dixerit : *Si David in iniquitate conceptus est, non tamen ipse in peccato :* Strom. *lib.* III. En unum quem opponant omnibus : nec interim advertunt, quo sensu dixerit infantem non peccare : hoc enim, vel ipso Clemente interprete *libro* IV. didicissent : ubi postquam illud edixit : *nihil peccasse infantem :* ne in pravum sensum traherent, continuo subdit : *nihil peccasse actualiter : nihil peccasse in semetipso.* Sic dicti solutionem inveneris, et plenam Patrum omnium, nemine discrepante, consonantiam.

His adde fidei analogiam, quæ vera est regula intelligendæ Scripturæ. Si enim nullum est originale peccatum, sane David nihil de eo dixerit ; sin autem certa fide creditur, quæ audacia est nolle malum a Davide agnitum convenientissimo loco, cum nihil magis congruat peccata lugenti, quam ut ad peccandi recurrat originem? His igitur fit ut ad sensum litteralem adigamur, primum verborum simplicitate ; tum magistrorum Ecclesiæ consensu ; denique, quod est maximum, fidei analogia : ut his adversari, nihil aliud sit, quam aperte contemnere regulam ecclesiasticam, ac detrahere fidei peccati originalis.

Neque est quod respondeant satis superesse locorum Scripturæ, quibus demonstretur. Primum enim certum est in vetere Testamento hunc unum esse vel validissimum, quo etiam Judæi convincantur ; deinde, qui hunc locum tam clarum, tam a Patribus ac Theologis inculcatum, eludi posse dixerit pari jure invadet in reliquos. Revera enim videmus non deesse qui eludant illud apostolicum, *in quo omnes peccaverunt*, pariter responsuri alios esse locos quibus antiqua muniatur fides : qua perversissima methodo nihil aliud agitur, nisi ut omnia fidei firmamenta singillatim expugnata, concidant.

Quos tam gravia momenta non movent, videamus quam frivolis nitantur. Prodeat sane Grotius : *In iniquitatibus conceptus sum :* sensus est, non nunc tantum, sed a pueritia mea sæpius peccavi. Est enim loquendi genus ὑπερβο-

λαλὸν (superjectivum) ut ostendit collatio locorum : Job. XXXI. 18. quo scribitur : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum :* Ps. XXI. 10, 11. LVII. 4. LXX. 5, 6. Esa. XLVIII. 8. quibus in locis legitur : peccatores *errasse ab utero :* esse *ab utero* transgressores : pios quoque *ex utero* Deo protectore uti. Quæ omnia hyperbolice dicta esse contendit. Socinianis auctoribus, insecutis quibusdam novitiis tractatoribus, qui viri sententiis delectentur.

Ejusmodi hyperbolas antiqui Pelagiani jactabant in his verbis quibus Philisthæi *semen ab initio maledictum, quorum naturalis esset malitia*, vocabantur; atque his eludebant originale peccatum, ut nunc faciunt.

Sed qui his vinci se sinunt, advertere debuissent perpetuam ac perversissimam novatorum methodum. Tropis abundat Scriptura : ergo tropicum est illud, *Hoc est corpus meum.* Dii aliquando dicuntur improprie : ergo nec illud est proprium : *Deus erat Verbum.* Mors, peccatum, alia quæ personæ non sunt, personam in Scripturis induunt : ruit ergo totum illud, quod de persona Spiritus sancti ubique reperitur. Sic isti : hyperbolicum est illud : *Peccatores erraverunt ab utero* : ergo et istud, tam studiose inculcatum, tam propriis verbis : *Ecce ego in iniquitate conceptus sum.* Quæ ratio si valet, neque est perscrutandum quid cuique loco conveniat ; nempe id superest, ut nihil sincerum ac verum ex Scriptura eliquari possit : quo etiam collimant harum interpretationum auctores.

Ergo id præstruimus : non ejusdem virtutis esse illud : *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa* : Ps. LVII. 4. atque istud : *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato concepit me mater :* ubi inculcata omnia selectaque, quæ ad proprietatem inducant; peccatum, iniquitas, conceptio, matris operatio, omnia denique quæ ad ingenerandum peccatum vel maxime faciant. Jam persona Davidis non erat ex impiorum genere propagata, non denique innutrita vitiis, prava inter exempla et instituta; sed ex gente sancta, atque a parentibus Dei timorem doctis, pueroque instillantibus : nec necesse habuit connumerare se iis qui ab infantia pessime educati, ab ipso velut utero erraverint. Denique conferamus locos : *Et enim in corde iniquitatem operamini : in terra injustitias manus vestræ concinnant : alienati sunt peccatores a vulva : erraverunt ab utero : locuti sunt falsa : furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas :* aliaque in hunc morem, quæ ad invehendi vehementiam, atque ad amplificatorium genus manifeste pertineant : illa vero Davidis pœnitentis, quam simplicia! *Miserere mei, Deus : dele iniquitatem meam : amplius lava me ab iniquitate : munda me a peccato : quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* En ubique iniquitas, ubique peccatum, innato ac vero sensu : quibus statim ad illud devenit ejusdem simplicitatis : *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea* : ubi nihil aliud agit, quam ut agnito peccato, agnita iniquitate, ex antecedentibus ; hic jam ad peccati et iniquitatis redeat originem : quæ quam simplicia, quam vera sint, quam ab hyperbolico genere abhorreant, qui non per se sapit, eum ego nihil sapere affirmaverim.

Sunt tamen clariora quæ respondeam, nempe illud : commemoratos locos, nihil ad hyperbolen pertinere. Sumamus enim primum quæ in bonam partem dicta sint : *In te confirmatus sum ex utero :* (a te sustentatus : tibi creditus.) *De venter matris meæ tu es protector meus :* Ps. LXX. Non hæc hyperbole, sed mera est veritas, cujus generis est etiam illud : *Tu es qui extraxisti me de ventre ; spes mea ab uberibus matris meæ ; in*

te projectus sum ex utero ; de ventre matris meæ Deus meus es tu : Ps. XXI. 10, 11. Quorum sensus est, Deum unum esse, qui cum homines quosvis educat in lucem, tum dilectis suis singulari studio invigilet : quo quid est verius et ab omni hyperbole remotius ? ut profecto mirum sit viros doctos, nec ista vidisse quæ ultro se ingerant, et tam levibus de causis in antiquam firmissimam fidem, quasi manu facta conjurasse. An forte urgebunt istud : *Spes mea ab uberibus matris meæ ;* tanquam necesse sit vere ac proprie sperasse Davidem ? non autem ipse expresserit ab ubere matris, Deum esse spem suam, præsidium suum, ac sperandi causam, a quo etiam creaturæ inanimes conserventur, quem expectent, in quem suo modo sperent : quo sensu etiam Paulus commendat expectationem, ac spem universæ creaturæ suspirantis in Deum et parturientis electos : Rom. VIII. Nec alio sensu Moses promissam Israeli terram eam esse dicit, *quæ de cœlo expectet pluvias, quam Dominus Deus semper invisat :* Deut. XI. 11, 12. denique ipse David : *Omnia a te expectant* : Ps. CIII. 27. nempe ut intelligamus animata et inanima æque indigere altore et parente Deo, idque ab ipso utero, ab ipsis initiis : quo nihil est ad litteram certius et evidentius.

Jam illud sancti Job : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris egressa est mecum :* quam sit verum, neque ad exaggerationem dictum, sanctus Augustinus, si legere dignarentur, docuisset his verbis : *Ubi autem sanctus Job affectum misericordiæ de utero matris secum,* sicut commemoras, *egressum confirmat ; et cum putas, ut eumdem affectum multum commendaret, hoc dixisse, non quod ita esset ; cur non, quæso te, annuimus esse quosdam natura misericordes, si natura quosdam non negamus excordes* (stolidos, fatuos.)? *Sunt enim,* inquit, *nonnulla congenita, quæ in ætate qua usus incipit esse rationis, sicut ipsa ratio incipiunt apparere.* Op. imp. cont. Jul. lib. IV. cap. 129. En nostrorum ratiunculæ a Juliano Pelagiano pridem allatæ, et a sancto Augustino confutatæ.

De illo autem semine, quod est ab initio maledictum, ejusque naturali malitia, idem Augustinus ostendit : illud, *Ab initio,* inde primitus deducendum, ex quo per unum hominem peccatum intravit in mundum : *atque hinc commemoratur,* inquit, *Chananeæ gentis malitia naturalis, cui præter generis humani commune contagium, accesserat aliquid amplius ex maledictione prophetica.* Cujus rei radicem explicat per insita seminibus *naturalia jura propaginis ;* ex quibus id fiat, ut peccatum originale sit quibusdam *magis noxium,* per diversa semina scilicet *aggravatum ;* atque hinc sit quarumdam gentium, puta Chananeæ singulare maledictum, ac *major malitia naturalis ;* eo quod cum primo illo Adami maledicto semine, aliorum quoque ex eo decurrentium venena confluant. Quæ nos quidem, ut oportuit, in pauca contrahimus ; sed ipse Augustinus luculenter evolvit, ejusdem Op. imperfec. *lib.* III. 11. IV. 126, 128, 133. VI. 22. Unde concludit, quod non propter exaggerationem, neque propter imitationem, sed propter generationem dicta est eorum malitia naturalis, et ipsi semen maledictum ab initio : *lib.* IV. 130.

Quod si ex Scriptura constat, quasdam esse gentes præter commune maledictum, singulari titulo maledictas ; quid vetat quominus sint et aliquæ familiæ, aliqui denique homines singulares, quorum cum major sit illa ab Adam insita, sed aliis causis aggravata malitia naturalis, ideo peculiari titulo *alienati ab utero* judicentur ; ut nec illa locutio ad exaggerationem pertineat, sed veram illam quam Augustinus asseruit, ad peccatum originale explicet accessionem.

Satis ergo constat pridem ab Augustino solutos adversariorum nodos. Qui autem his omissis quæ catholicæ fidei repugnent, referunt verba Davidis ad insitam peccandi proclivitatem, si cum eodem Augustino aliisque antiquioribus, confiteri velint proclivitatem eam, hoc est concupiscentiam, illud ipsum esse cui peccati *reatus* hæreat; illi, quod optamus, veritate victi, errorem exuent. Vide Augustinum Oper. perf. contr. Jul. passim: Operis vero imperfecti, *lib.* I, et II, cap. 71.

IN PSALMUM CIX. 1.

Dixit *Dominus* (Jehova) *Domino meo* (Ladoni) vulgari vocabulo, tanquam hero, tanquam regi: sed rerum consecutio facit, ut sublimiore sensu intelligi oporteat, atque omnino de eo qui et ipse sit Deus: cum præsertim v. 5. hujus ipsius Psalmi, Deus ipse hac voce appelletur: *Dominus a dextris tuis:* Heb. Adonai: unde Christus: *David ergo Dominum illum vocat; et quomodo filius ejus est?* Luc. XX. 44. Præclare Chrysostomus adversus Judæos v. *Non dicit hoc Esaias, non Jeremias, nec quisquam alius privatæ conditionis, sed ipse rex:* (addiderim ipse David parens) *ut intelligeres eum, qui loquitur, ejus esse dignitatis, qui non hominem, dominum suum appellare possit, sed Deum solum. Sede a dextris meis:* præcipuo honoris loco, ad ipsum Dei solium, in cœlis ipsis scilicet: quod ille apud Isaiam XIV. 13, 14. perverse imitatus dicebat: *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Quod ergo ille sibi per jactantiam, id Deus Christo vere tribuit. Unde Petrus: *Non enim David ascendit in cœlum, dixit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, Act. II. 34. Non sibi constat Grotius qui victus hoc loco, in acta sic habet, ut supra retulimus: David non est evectus in cœlum: quare verba Psalmi CIX. in ipsum congruere non possunt. At in Psalmum ipsum alio flexit, *Sede a dextris meis:* securus esto fiducia mei auxilii; qui sensus nihil habet humana conditione altius: cum tamen nullum proferat hujus locutionis exemplum; imo Scripturæ, cum aliquem tutum præstare volunt, non eum in dextris Dei, sed Deum a dextris ejus collocent: hic v. 5. *Dominus a dextris tuis*, Ps. XV. 8. *a dextris est mihi, ne commovear.* Neque ullus interpretum etiam Judæorum, illud, *Sede*, et illud, *a dextris*, ad aliud quam ad honorificentiam retulit.

3. *Tecum principium:* tecum est principatus, sive imperium: tibi innatum est ac proprium, ut regnes, quemadmodum ad hunc locum diximus in Psalmorum notis. Neque refugimus illud ex hebræo ab Hieronymo quoque agnitum: populi tui spontanei, seu prompte obsequentes. *In die virtutis*, sive fortitudinis (exerendæ in hostes) ut vertit Hieronymus: sive etiam *exercitus* (expediti ad prælium.) Vide etiam notas nostras, ut et in illud quoque: *in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.* Hunc locum Patres omnes, et catholici omnes melioris notæ ad æternum ac divinum Christi ortum referunt. Justinus imprimis adversus Tryph. *n.* 32. ex hoc loco infert cecinisse Davidem Christum, ante solem et lunam ex utero gigni oportere: eamque vim esse hujus dicti, ut idem sit primogenitus creaturarum omnium, hoc est, ex eodem Justino, vere et ab æterno Deus: et simul ex virgine genitus, *pag.* 302, 310, 311, 353. Athanasius cont. Arian. or. V. *p.* 538. nunc or. IV. *n.* 24, hunc locum confert cum illo, *ego hodie genui te:* Ps. II. 7. et cum illo, *ante omnes colles genuit me:* Prov. VIII. 25. quibus probat Christi ortum ante secula; atque illud *ex utero* ita interpretatur, ex me ipso genui te, antequam in carne appareres, *pag.* 542.

Hæc passim inculcat, et post illum summi theologi, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, supra jam laudati, (ad Ps. II.) denique Patres omnes infinitis locis, totaque Ecclesia; nec pigebit exscribere præclara verba ejus Commentarii, quem, Hieronymi nomine, Augustinus commendavit. « *Hic vero de utero generavit, de utero hoc est, de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia .. de medullis divinitatis suæ*, ex paterno semine, non decisa substantia, sed tota. » Quæ verba tam præclara, tam digna Hieronymo, tam ejus seculi, tanto doctori adimi ratio non sinit.

Sane non desunt qui illud, *ex utero*, etiam intelligant de virginali utero, ex quo Christus singulari quadam ratione est editus; nempe ex solo utero, sine viro: idque *ante luciferum*, noctis tempore; quia Christus ex virgine per noctem natus est: quem sensum etiam Augustinus affert; sed secundo loco, posteaquam Verbi ante omnem creaturam nativitatem exposuit, qui sensus genuinus primitivusque sit. S. etiam Justinus, illud *ex utero* ita interpretatur; ex humano utero, virginali scilicet illo de quo scriptum est: *Ecce virgo in utero concipiet*, adv. Tryph. sic tamen, ut ille sensus alteri conjungatur, quo Christus ante solem et lunam, et ante omnem creaturam primogenitus agnoscitur. Sanctus vero Athanasius luculenter probat, nec sufficere illud de Christi inter homines nativitate per noctem, et ante luciferum, quia id tam multis congruat, neque in eximio ac singulari ortu, qualem hic David describit, satis memoratu dignum esse videatur: ibid. *p.* 540, 541.

Quod ergo Patres omnes, nullo penitus excepto, de Christo ejusque divino atque immortali ortu prædicant, et ad convincendos non modo Judæos, verum etiam hæreticos afferunt, id novitii interpretes sic exponunt, sic vertunt, et latine et vernacule, ut non modo in expositione, verum etiam in versione ipsa, nec Christus appareat, nec quidquam Christo congruum. Quod autem Hebræum sic statuunt, tanquam a Christiana interpretatione diversum, falsum id quidem est. Primum enim illud *ex utero*, ex vulva, *ante luciferum*, sive ab aurora (condita) habent non modo LXX. sed etiam Aquila, Symmachus, alii apud Epiphanium, Hær. 65. *n.* 4, et cæteros, certaque est interpretatio: tum in Hebræo, *tal*, id est, ros, ipso fatente Grotio, eleganti translatione, *semen* significat: ea similitudine qua etiam per aquam designatur: Prov. V. 16. *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide*. Quo etiam spectat illud Is. XXVI. 19. *ros lucis* (sive vitæ) *ros tuus*: Heb. ros olerum, ros tuus: tam fœcundum semen tuum, atque olerum rore infuso succrescentium esse solet: qua phrasi Propheta significat incrementa antea extenuatæ gentis, tunc autem uberrime succrescentis ac velut reviviscentis, ut ipse contextus docet. Ros ergo facile ad fœcunditatem refertur seminis; præsertim cum accedunt eodem trahentes, ac velut cognatæ voces, ut in nostro versiculo, illud, *ex utero*, ac postea, ros nativitatis tuæ. Nam illud, *jaldutecha*, quod tam varie vertunt, cum optimis interpretibus nativo sensu vertas, *nativitatis tuæ*: ducta origine ab *jalad*, quod est genuit: unde *jullad*, natus est: Is. IX. 6. loco notissimo, *parvulus natus est nobis*, et alibi passim. Ex qua versione is sensus existat, *ex utero*, (ab intimis) *ante luciferum*, (ante secula, ante creaturam omnem) seu mavis, a (creato) lucifero, (a condita aurora,) tibi ros nativitatis tuæ: hoc est tibi (progenerando) ortum est, effusum est semen ex quo es natus. Quod cum esset obscurius, ut solent prophetica, LXX in id ierunt, ut vulgata ac nota voce gignendi uterentur, Deumque ipsum toto Psalmo loquentem ad Christum, hic quoque dicentem inducerent, *ante luciferum ego te genui*, quo significaretur, Christum non esse recens aliquid, aut noviter ortum, vel genitum: sed

quemadmodum Michæas quoque prodidit, egressum ejus esse *ab initio*, *a diebus æternitatis:* Mich. v. 2.

Nec ab ea interpretatione vocis *jaldutecha*, nativitatis tuæ, abhorret, illud Hieronymi sic vertentis; (ros) adolescentiæ tuæ: id est, ros sive semen prolificum, ex quo adultus cretusque es. Quin etiam illud, *jaldutecha*, nativitatis tuæ, iisdem retentis litteris legi potuit, *jelidtecha*, *genui te*, sublato uno *jod*, cujus rei exempla non desunt. Sanctus quoque Epiphanius, Hær. 65. ex verbis hebraicis eumdem elicit sensum, et adversus Samosatensem efficit, Christum ante Mariam, et ab ipso mundi ortu jam fuisse genitum. Cum ergo et Patres consentiant, et Hebræus, si verborum vim, ac spiritum penitus assequare, cum Vulgata in eumdem sensum tam facile coalescat; mirum est christianos nunc omnia malle involvere, quam eo ire quo verba ipsa ferrent, et quo LXX. interpretes longe ante Christum natum, non contentionis studio, cujus causæ procul aberant, sed nativo sensu deducti sint.

Id autem eo magis fieri debuisse dixerim, quod aliæ interpretationes, vel in nostram incidant, vel nihil habeant sani sensus. Certe quod Hieronymus ex Hebræo vertit, quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ, jam diximus eo redigi, ut ros adolescentiæ sit idem cum rore nativitatis, ex quo adultus natusve sit filius; ex paterno semine, non decisa substantia, sed tota, ut modo retulimus: quare ipse Hieronymus, haud minus quam cæteri Patres, ex hoc loco infert æternam ex paterna substantia Filii generationem. Neque multum ab Hieronymi interpretatione deflectit Aquila, cum teste Epiphanio, Hær. 65. vertit: *a vulva*, *ex aurora*, *tibi ros pueritiæ tuæ*, nullo sensu, nisi eo quo in pueritia indicari solet ipse ortus, ipsa nativitas veluti recens editæ sobolis, cujus significationis exempla passim invenias: tanquam diceret: ab ipsa aurora condita, o puer a Deo nate, ab interioribus semine ortus es; quo vera generatio facile designatur. Quod vero alii vertunt: *tibi ros adolescentia tua*, seu *juventus tua*, hoc est, adolescentes, seu juvenes tui, qui tibi militent: Græci quidem, Latinique, ac nostri sic dixerint; sed ejus rei ex Hebræo nullum exemplum proferunt. Non autem ex suo cerebro comminisci licet phrases hebraicas, nisi perturbata omnia, et quidvis in quovis ad arbitrium reperiri velis. Quare quo magis variæ intricatæque sunt, imo absque ullo vero sensu aliæ interpretationes, eo magis, uti diximus, ad illam LXX. tam limpidam, tam ab omni contentionis studio abhorrentem, decursum oportuit.

Huc accedit quod eam interpretationem omnes Patres, universaque amplexa est christiana Ecclesia, penes quam ut veræ fidei de Christo, ita verarum interpretationum, atque expositionum de vaticiniis Christum spectantibus, repositum est promptuarium, nec fas ab eo sensu aberrare quemquam, qui sacrum illud depositum custoditum velit.

Confirmantur hæc ex ipsa analogia Scripturarum, atque ex observata Patribus convenientia horum textuum: *filius meus es tu*, *ego hodie genui te*, et, *ante colles genui*, et, *ante luciferum*, illius denique: *Dominus possedit me*, id est, genuit: quemadmodum ex Hebræo et ex Aquila interpretati sunt, non modo Eusebius a nobis relatus, Prov. VIII. 25. verum etiam Hieronymus, Epiphanius, Hær. 70. n. 25. 26. Ancor. n. 43. ipse Athanasius orat. 3. cont. Arian. nunc orat. IV, n. 24. ut profecto mirum non sit, in illud, *genuit*, convenisse omnes, quo tot Scripturæ loci ducerent.

Nec displicet Genebrardi nostri interpretatio: qua *ros* metaphorice, ut docet R. Salomo, (imo vero ipsa Scriptura locis notissimis) designat suavitatem, hilaritatem, dulcedinem, florem ipsum ætatis: tanquam diceret: tu jam eras in flore juventutis, vel in suavitate et dulcedine adoles-

centiæ : tu jam eras natus magna mea voluptate, quando stellæ procreatæ sunt : subditque has propositiones perspicue æquipollentes esse; *ex utero*; ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ : et : *ex utero ante luciferum genui te* : ad illud Micheæ representandum : *egressus ejus a diebus æternitatis* ; ac miror, inquit, nostros gnosticos (pravam ac falsi nominis professos scientiam) a Rabbinis toto hoc Psalmo cæcutientibus fascinatos, hæc non vidisse, ut proinde interpretationum vana portenta huc conveherent, quod nunc nostri faciunt, ut locum egregium non explanare, sed omnino obscurare voluisse videantur.

4. *Tu es sacerdos in æternum.* Ab æterna generatione, de qua præcedente versu, facilis transitus ad illud sacerdotium sempiternum : attestante Paulo, illud etiam Psalmi II. 7. *Ego hodie genui te*, respicere Christi vocationem ad sacerdotium : Heb. v. 5. quo loco Theophylactus : a Deo natum esse præparatio est, ut a Deo etiam sit ordinatus : non modo quod primogeniti designari solerent sacerdotes, sed eo vel maxime quod novus sacerdos Christus, Melchisedechi ritu, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, sit ille filius Dei, cui ipse Melchisedech assimilatus est. *Secundum ordinem Melchisedech :* quidam sane, sed Judæi, ut Apostoli argumentum eludant, repugnante textu fœda cavillatione vertunt : secundum meam constitutionem, o rex mi juste; quam Judaicam næniam, qui relatu dignam existimarunt, saltem addere debuissent, omnes veteres interpretes, etiam judaizantes, non aliter vertisse quam nos : neque ex eis relatum quidquam, quod a LXX. interpretum auctoritate discreparet. Summa Psalmi : Christum utpote verum Dei filium, ac Davidis ipsius dominum, præcipuo loco ad ipsum paternum solium residere, debellaturum hostes, eumdemque invicti atque obsequentissimi exercitus ducem, quippe qui ab æterno progenitus, non humana tantum, sed etiam divina virtute polleat, æternoque gaudeat sacerdotio; judex gentium factus, ac per labores, et pugnas ad summam gloriam evectus.

IN VARIOS PSALMORUM LOCOS.

PSALM. XXI. 17. *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

PSALM. LXVIII. 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

PSALM. CVIII. *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.*

Theodorus Mopsuestenus non est veritus hos versus ita interpretari, ut ad Davidem proprie, ad Christum vero et Christi res ex eventu translatitie et accommodatitie pertinerent. Primum ergo illud, *Foderunt manus meas*, sic exponebat : omnia perscrutabantur, et quæ agebam, et quæ conabar : ex translatione eorum, qui per effossionem scrutari, quæ in profundo sunt, tentant. Illud vero : *dinumeraverunt omnia ossa mea* : sic : totius meæ fortitudinis ac substantiæ detentores facti, omnia mea numero subjiciebant : (tanquam in censum referebant) : unde illud : *diviserunt sibi vestimenta mea* : ita interpretabatur : quoniam Absalom jure belli metropolim ingressus, omnes res regias obtinuit, patris etiam inquinato cubili, expilatis ac vastatis rebus atque etiam vestibus, sorte divisionem faciens. Jam illud : *dederunt in escam meam fel*, quod eidem Davidi amara et insuavia omnia intulissent, quo etiam more detorquebat quæ de Psalm. CVIII. in Judam Petrus verterat, Act. I. 20. et Psalmi XV. præclarum vaticinium de resur-

rectione Christi, ut ad eum locum diximus. Hæc igitur cum audisset quinta synodus collatione IV. et proscripsit et horruit : Vigilius quoque Papa in suo constituto anathemate damnavit qui ista prædicarent, imprimis qui illud : *Diviserunt sibi vestimenta mea :* de Christi membris (adde etiam typis) non autem specialiter de ipso capite Christo prædicta, et in ipso non credit esse completa. Ex Theodori capitulis XXI, XXII. et seq.

Nunc prudenti lectori æstimandum relinquo, an non partem maximam hujus spiritus duxerit, qui istud, *Diviserunt sibi vestimenta mea*, docet in Davide intelligendum metaphorice, id est, fortunas meas ut confiscatas, inter se partiti sunt : Grotius in hunc locum; quæ interpretatio profecta est ab illa, quam secutus Theodorus a catholicis Patribus refutatus est.

Neque ea specie se excuset quod hæc Christo proprie, Davidi metaphorice ac per translationem aptet : si enim ejusmodi est illa translatio, quales sunt aliæ a pravis interpretibus per vim in orationem intrusæ, ne memoratu quidem digna : sin autem vere loco congruat, quo ritu tot ac tantæ in orationem incurrunt, profecto vacat illa specialis prædictio de Christo, quam Vigilius Papa, aliique asserebant, nullaque certa probatione nititur.

Neque ibi res consistet : vide enim quam accurate hæc Joannes distinxerit ; *milites....* e vestimentis fecisse *quatuor partes*, *unicuique militi partem ;* de tunica vero inconsutili consulto dixisse : *Non scindamus eam :* Joan. XIX. 23, 24. Id ergo partiendi, ac sortiendi discrimen, si in Davide inveniunt, promant : si fingunt ad libidinem ; eo certe exemplo, ac semel admissa translationis, quantumvis vanæ et ad arbitrium, licentia, nec illud erit intactum, quod nec ipse Grotius violare est ausus : *Foderunt manus meas et pedes meos.* Si enim violentior videtur Theodori Mopsuesteni expositio, non deerunt commodiores figuræ sermonis ; qualis illa fuerit : me viribus destitutum reliquerunt, quasi suffossis pedibus ac manibus ; aliæque ejusmodi quascumque comminisci ingeniorum periculosa prurigo ausa fuerit. Fateantur ergo nihil a se inventum in Davidis rebus, quod hujus loci expleat veram nativamque sententiam, quantumvis obtorto collo ad eum traxerint ; atque omnino Davidem ita, ex Christi persona, hæc omnia cecinisse, ut in nullum alium vere convenire possint.

Quod ad illud : *In siti mea potaverunt me aceto :* peccavit gravissime Theodorus, qui hæc ex eventu Christo accommodata esse dixerit : cum legeret in Evangelio Christum ipsum exhaustis viribus jam jam expiraturum, et hæc animo providisse, et ut implerentur consulto dixisse, *Sitio;* et porrectum acetum leviter delibasse, ut vaticinio non siti satisfecisse videretur ; et inclamasse postea illud, *Consummatum est :* quo hoc totum dedita opera factum esse claruit, attestante Joanne factum *ut consummaretur Scriptura :* Joann. XIX. 28, 29, 30. Ergo Theodorus palam in Christum reus. Sed an nostri innocentes, qui Christum quidem ipsum viderint dedita opera in executionem vaticinii composuisse actus, eosque selegisse, qui verbis Davidicis, non aliis aptarentur ; vatem vero ipsum, seu potius Spiritum sanctum non etiam selegisse et composuisse verba quæ in Christi actus ita convenirent, ut nemo sanus alio detorquere posset ?

Nec sum nescius probatos interpretes, etiam Muisium nostrum in hunc Davidis locum ad allegoriam confugisse, ex similibus locis in quibus Deus populum suum felle et absynthio potasse referatur, Jerem. VIII. 14. IX. 15. XXIII. 15. Thren. III. 15, 19. Reperio tamen eumdem Muisium, pensitatis circumstantiis victum, scripsisse : *Corrigo id quod dixi, allegoricam esse locutionem in hoc versu ;* eo quod revera et ad litteram conveniret Christo :

nec immerito sese ipse reprehendit; non enim si Jeremias locis allegatis, metaphorice, seu potius proverbialiter dixerit : *Potum dabo eis aquam fellis :* aut : *Cibabo eos absynthio, et potabo eos felle :* aut denique : *Recordare paupertatis meæ, absynthii et fellis*, etc., ideo omnia ejus generis in metaphoras, aut etiam in proverbia solvi oportebit : imo vero contra, habent illæ metaphoræ proverbiales, statas ac veluti consecratas voces suas : nec in allegatis locis *acetum* legimus, sed fel, sed absynthium : nec in ejusmodi proverbialibus, aceto absynthium commutare, aut acetum felli jungere liceat, nullo ejus rei exemplo.

Jam si nos adigas ad metaphoras, non illæ confingendæ erant ad arbitrium, ut jam monuimus : sed scrutandum ex contextu quid translatitie, quid proprie sonet. Nec tu, si vel maxime volueris, id ab animo tuo extorquebis unquam, ut credas reipsa collectam absynthii et fellis tantam vim, quanta universo populo pascendo suffecerit. Ergo hic e re nata ac necessario metaphora admittenda est : homini vero singulari ex inimicorum odio vere ingestum acetum in os, adeo non est impossibile ut Christo contigerit. Tum in hoc Davidis loco omnia ad proprietatem spectant : *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : improperium expectavit cor meum et miseriam : sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni :* Ps. LXVIII. 21. ut tantæ crudelitati nihil esset propius, quam ut acetum quoque sitienti propinarent ad contumeliam, v. 22. nec, si res eventura erat, aliis vocabulis David uteretur. Omnino enim quantumcumque metaphoras comminisci velis, fel aliquando fel erit, et acetum, acetum. Favent circumstantiæ, et vim proprietatis intendunt : primum illud, *in siti mea*, quod loci ex Jeremia citati non habent ; et ad metaphoram nihil, ad personæ statum designandum facit plurimum ; tum ipsum acetum, non ab aliis propheticis locutionibus mutuatum est, sed hic studiose positum ; denique observanda est ejusdem aceti cum felle conjunctio, quam non consuetudo sermonis induxerit, ut vidimus, sed ipsa historiæ veritas. Etsi enim Christus non simul aceto ac felle potus, cum tamen ageretur in crucem, *vinum dederunt ei bibere cum felle mistum :* Matth. XXVII. 34. Quæ licet separatim gesta, vatem tamen simul vidisse, et in unum collegisse nihil prohibet, ut oculis subjiceret injuriæ cumulum, et sine more modoque exacerbata odia. Nec si escam fellis non potum Propheta memoravit, ideo litteram abjicere cogimur : recte enim notant interpretes, Genebrardus imprimis, fel, quia crassius, comestibilibus potius assignatum : neque ad has verborum minutias vaticinia exigere deceat ; cum de summa ipsa constet, felque et acetum in os Christi oggesta, et Propheta cecinerit, et Evangelistæ retulerint.

Jam ultimum locum : *Episcopatum ejus accipiat alter ;* Psal. CVIII. qui ad Doeg Idumæum, ad Achitophelem, ad alios quosvis referunt non satis assequuntur quid vates, quid Petrus egerit vaticinium commemorans : Act. I. 20. Non enim id agebat Petrus, ut Judam proditorem a Davide prænuntiatum approbaret : id factum Matth. XXVI. 23, Joan. XIII. 18. dicente Christo : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet ;* quo indicio designare voluit proditorem, adhibito etiam loco Psal. XL. 10. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum* : hæc de traditore Christus. Petrus autem in eo erat, non ut ejus proditionem commemoraret, sed ut ex Propheta doceret, alterum in ejus locum eligi oportere : Act. I. 16. quam ad rem institutum erat illud : *Episcopatum ejus accipiat alter*. Psal. CVIII. 8. Unde etiam infert Petrus : *Oportet ergo ex his viris testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis*. Act. I. 21, 22. Non ergo ad exponendum Davidis locum requirendus erat aut Doeg Idumæus, aut Achitophel, aut

alius quivis vita spoliatus, aut loco motus, de cujus successore Scriptura non curet ; sed omnino erat ostendendus aliquis in mortui, aut amoti loçum substitutus, adeo memoratu dignus, ut de illo a Davide singulare vaticinium ederetur : quod Petrus quidem fecit ; nostri nihil aliud quam adversus Petrum litigant.

Neque tamen refugiemus si præfacte velint, quin illud ad Davidis res utcumque trahi possit. Quod autem illud singulari numero, *Episcopatum* seu *præfecturam ejus*, in præfecturas vertunt plurali numero, adversus litteræ fidem ; id eo spectare pertendimus, ut vaticinii sensus a Petro prolatus, et ab apostolico cœtu comprobatus, in ipsa interpretatione non modo obliteretur, verum etiam penitus excludatur.

Hæc igitur sunt quibus tuenda suscepimus Davidica vaticinia de præcipuis Christi mysteriis, nempe quod sit vere Christus, et Dei filius ; quod Deus ; quod passus his et his circumstantiis in Evangelio memoratis ; quod resurrexerit et in cœlum ascenderit : quæ si ambiguis et in geminos sensus inflectendis vocibus prænuntiata sunt, hæreamus necesse est velut in bivio. Frustra jactaveris in vaticiniis Spiritus sancti mentem in Christum intentam : si in eam intentationem idonea verba destituant, vacillabit sermo propheticus, quem ipsa visione transfigurati Christi, et e cœlo delapsa voce, firmiorem Petrus asseruit. II. Pet. I. 17. 18, 19. Quibus verbis constat prophetica oracula, quoad probandi vim, ipsis etiam miraculis iisque maximis, esse anteposita. Nec immerito : quæ enim ex miraculis existit probatio, ea sensum sæpe fallacium, ac testium irreprehensibilium quidem, sed tamen hominum relatione nititur : quæ autem ex prædictionibus, una Dei præscientia, quo nullum est evidentius et ineluctabilius divinitatis argumentum. Hinc Petrus prophetias lucernæ latenti in caliginoso loco comparat, ibid. At nostri, si Deo placet, hujus lucis evidentiam in conjecturas vertunt, ac per lubricos sensus eludunt de præcipuis etiam Christi rebus luculentissima testimonia Prophetarum ; ut vix quidquam in iis sit, quod diserte ac proprie Christum sonet. Nos autem quantum in nobis est, ista non patimur : ne Judæis utique ad Ecclesiam aliquando redituris viam obstruamus ; christianis vero auferamus singulare fidei firmamentum, quo se cum prophetis idem credere, fidemque suam in antiquis Scripturis non modo adumbratam, verum etiam certissime approbatam esse profitentur. Itaque quod bonos omnes probaturos speramus, pro nostra facultate castigare conamur ingeniorum lasciviam : quam etiam ipse Grotius sentiebat cum diceret : Scripturas interpretandi libertas, quæ nunquam tanta fuit, quanta in hoc seculo, repagulis quibusdam coercenda est : Append. epist. 622. et his quidem repagulis, quam ipse indiguerit, credo fateretur, si viveret. Nunc vero post eum, eoque maxime auctore, gliscit licentia id quidem ideo quod Patres, quod antiquos Interpretes fere negligant ; quod alienos ab Ecclesia magis audiant ; quod ex catholicis tractatoribus pessima quæque corradant ; his se tutos putent : cum in his quæ fidei fulcimenta spectant, ad Patres potius recurrendum sit ; neque omnia reponenda in recentiorum arbitriis, quorum pars melioribus sua sequius dicta rependerit, pars a reprehensione, pace eorum dixerim, sua se ignobilitate tueatur.

PRÆFATIO

IN PROVERBIA SALOMONIS.

I. Proverbiorum sive sententiarum origo, ratio, institutum : cur dicantur Parabolæ, sive similitudines. — II. Proverbiorum sive sententiarum tradendarum methodus, juvandæ memoriæ apta. — III. Sententiæ urgent sicut stimuli, atque ideo versibus comprehensæ. — IV. Proverbiorum ac Parabolarum, sive sententiarum auctores, earumque collectiones variæ. — V. Universa morum disciplina his tradita Proverbiis : œconomica, politica, monastica, sive quæ ad privatam vitam pertinent. — VI. Docendi ratio per similitudines, per opposita; sententiarum brevitas, elegantia, vis. — VII. Quo Salomon cæteris sententiarum auctoribus præstet. — VIII. De promissis ac minis temporalia spectantibus. — IX. De versione quæ LXX. interpretum dicitur; deque vetere Vulgata latina; ac nova per S. Hieronymum. — X. Notarum nostrarum excusatur in plerisque brevitas; in quibusdam prolixitas. — XI. Vulgatæ nostræ glossemata : hebraismi in libris Salomonis atque aliis : nota necessaria de comparationibus.

I. Prisci homines solebant moralem disciplinam tradere brevibus absolutisque sententiis, quæ animis infixæ, ac per omnium ora vulgatæ, Proverbia vocarentur. Quæ cum passim ac nullo auctore ferrentur, non defuere postea qui, dedita opera, talia dictata conscriberent : hinc illæ apud Græcos γνῶμαι, sive sententiæ, prodierunt; quo in genere apud illos princeps Phocylides; apud nostros Syrus, atque alii claruere. Sed profecto, verum istud est, optima quæque instituta ab antiqua et pia Hebræorum gente manasse, omnibusque sententiarum scriptoribus præisse Salomonem; cujus sententiæ, cum maxime comparationibus constent, ideo hebraice, « misle, » sive parabolæ ac similitudines appellantur.

II. Cur autem illis sententiarum auctoribus, ipsique Salomoni utilius visum sit, brevia quæ diximus decreta figere, quam de morum disciplina, ordine quodam, ac longa oratione disserere, ea statim causa occurrit, quod memoriam adjuvare vellent. Quo sane adjumento maxime indigebat puerilis ætas imbecilli judicio, firma promptaque memoria. Quæ cum sententias ore prius quam mente recoleret, accedente rationis luce, patrum sapientia atque experientia fruebatur, tenerisque pectoribus incoctam inolitamque vivendi regulam alte retinebat. Quo etiam factum est, ut Sententiæ seu Proverbia Salomonis sæpe dirigerentur ad pueros, ac matris etiam nomine commendarentur, ut pia sanctaque et blanda auctoritate ab ipsis etiam incunabulis repetita tenacius inhærerent.

Nec minus erat utilis maturiori ætati, illa sententiarum nullo fere nexu concisa et absoluta brevitas. Neque enim necesse erat, multa perlegendo longo se labore conficere, quod infirmis animis sæpe sit oneri ac tædio, sæpe etiam incommodo, aliis laboribus pro hujus vitæ conditione nimis urgentibus. Sententias autem brevi versiculo comprehensas, quovis dato spatio facile arripias, unamque aut alteram, velut aliquot decerptos ex ornatissimo horto flosculos, seligas. Licebit uno ictu oculi in unaquaque sententia explendescentem haurire veritatis lucem, et quocumque perrexeris, parabilem circumferre sapientiam, hac alere mentem, hunc viæ ducem, hoc ingentibus curis habere solatium.

III. Neque tam congruum videbatur definiundo, dividundo, argumentando jejunam et exsuccam philosophiam tradere, vivendique regulam ad certam

quamdam methodum revocare, quam adhibere stimulos, brevibusque et aculeatis sententiis, crebris velut ictibus, incitare; quod etiam Apostoli frequentarunt, uti videre est; XII, 1. *Thess.* V. et alibi passim. Sic enim præcepta morum instimulandis animis varia congeruntur. Utile Salomoni visum ipsa varietate oblectari lectorem, diversisque imaginibus decreta sapientiæ iterari inculcarique, ne ad usum facilem comparata, ratiocinationum ac verborum circuitu frigescerent; quo etiam spectabat ipse Salomon, dicens: (Eccles. XII. 11.) « Verba sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi: » quibus verbis doceremur, et quam acriter impellerent, et quam alte hærerent, nec se avelli sinerent.

Hujus rei gratia, quod non modo Hebræorum magistri, verum etiam S. Hieronymus Præfatione ad Isaiam docuit, versibus alligatæ Salomonis sententiæ prodierunt: quod etiam extranei sententiarum auctores imitati sunt; eo quod in genus scriptionis, et acriores stimulos adhibere, et memoriæ firmius infigi soleat.

IV. Tanta autem pio Regi sententiarum cura inerat, ut « locutus » sit « parabolas » ad usque tria millia; III. *Reg.* IV. 32. quarum selectissimas in hunc librum ipse composuit; alias per vulgi ora dispersas, sub pio rege Ezechia, « viri » ejus, hoc est; viri eruditi ab ipso præpositi, collegerunt: *Prov.* XXV. 1. Capite vero XXX. memorantur alii sententiarum auctores, quas quidem, ut ab ipso Salomone mutuatas, certe eodem spiritu scriptas Salomonicis addiderunt. Aliæ denique ipsius Salomonis, sub Samuelis nomine, ad calcem libri appositæ, quas inter, egregia illa mulieris fortis commendatio reperitur: totaque ista collectio, ut par erat, Salomonis titulo celebratur.

Multas autem sententiarum collectiones factas indicare videntur multa iisdem verbis repetita, variantesque interdum ejusdem sententiæ lectiones, quæ lectori obvia admonere tantum, non etiam singillatim commemorare oportet. Quo etiam pertinere videtur illa Parabolarum in Hebræo et LXX. haud uno loco discrepans series, quod dissolutæ sententiæ, neque uno tempore aut auctore collectæ, non eodem semper ordine ferebantur.

V. Has ergo sententias a tanto auctore, Spiritu sancto dictante, conscriptas, tantoque studio a viris eruditissimis conquisitas, si perdidicerimus, nihil erit quod ad moralem philosophiam desideremus. Et œconomica quidem multa reperiemus, quale illud: « Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum; ut postea ædifices domum tuam: *Prov.* XXIV. 27. tum illud: Ne usuris pecunias coacerves; sed labore, parcimonia, agroque colendo et alendis gregibus, XXVII. 25. *et seq.* XXVIII. 8, 19. Quem ad locum pertinet tota illa mulieris fortis institutio, multaque in hunc modum de bona piaque uxore conquirenda, de liberis, de servis in officio continendis, de non fidejubendo temere, de diligentia regendæ familiæ, servandisque et colendis paternis possessionibus adhibenda, ipsaque re amplificanda per beneficentiam amoto sordido quæstu, aliisque seduli patrisfamilias muniis. Politica vero, hoc est, ea quibus regum, regnorumque robur, dignitas, felicitas, publicorumque consiliorum ratio commendatur, tanta sunt, tam illustria, ut regem maximum atque optimum, eumdemque sapientissimum, et regnandi artium peritissimum sapiant. Caput illud: « Misericordia et veritas custodiunt regem, » XX. 28. grande et nobile satellitium, tum illud: « Firmabitur justitia thronus ejus, » XXV. 5. en stabile fundamentum: et illud, « In multitudine populi dignitas regis, XIV, 28. » et illud: « Justitia elevat gentem; » ibid. 34. et: « Rex justus erigit terram; » illud denique, quo tota pene tenendi gubernaculi cautio continentur: « Princeps qui libenter audit

verba mendacii, omnes ministros habet impios, » iniquos, infidos, reipublicæ hostes, XXIX. 4, 12. Hæc ad experimentum sufficiant. Quæ autem ad privatam vitam, quam vocant monasticen, pertinent, eorum copiam, varietatem, plenamque et ad intima virtutum, vitiorumque arcana penetranda, sapientiam verbis assequi non possumus. Ponamus exempli loco desidiam. En ejus indoles : « Vult et non vult piger, » XIII. 4. jacentem, somnolentum, neque quidquam sedulo cogitantem vides. Vis hujus vitii incommoda ? « Desideria occidunt pigrum : » neque enim huic unquam firma et certa voluntas, sed vani conatus, velut in somniis : « tota die concupiscit et desiderat ; » unde infirmus ac torpens animus, pravis cupiditatibus in mortem ipsam rapitur, XXI. 25, 26. Vis vana suffugia omnia metuentis, atque ideo ad facillima quæque cunctantis? « Dicit piger : Leo est foris : » in plateis sicarii. XXII. 13. Vis denique incitamenta et remedia veterni? » Ad formicam, piger..... usquequo, piger, dormies ? quando consurges e sommo ? » en egestus ad fores : VI. 6, 9, 10. et illud : « Consurgit diluculo qui quærit bona, » XI. 27. aliaque in hunc morem, quibus hæc animæ pestis elidi tur. Quid aliud vitium æque totam vitam inficiens, morumque emendationi inimicissimum, sibi placere ? En ipsa res : « Non recipit stultus verba prudentiæ, » neque quidquam, « nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus, XVIII. 2, » tum hujus rei turpitudo ex virtute opposita : « Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia, XII. 15. » hinc admonitio tam gravis quam brevis : « Ne sis sapiens apud temetipsum, » III. 7, etc. Tum ubique inculcata correptionis atque increpationis utilitas : ab adulatione vero laquei, pestis, hinc ficta oscula, illinc salubre et expetendum vulnus, XXVII. 5, 6. XXIX. 5. excitique amici, ut præsente offensa, veram sibi in futurum gratiam parent : « Qui corripit hominem, » inquit, « gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. » XXVIII. 23. Quid deinde supererat ; nisi ut ille sibi placens, atque adulatoribus deditus moneretur ne malo suo doctus, sero saperet, frustraque inclamaret illud : « Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum ? » v. 12, quo nihil est efficacius, ut sui amore perditus a pessimo mentis errore revocetur.

VI. Docendi autem ratio ea est, ut ad vivum pingat, et coram oculis ponat rerum imagines En piger iterum, complicitis brachiis, manu sub ascella, quam vel ori admovere pigeat, ut cibos e cœlo velut expectare videatur, XIX. 24. XXVI. 15. Aliæ ejusmodi imagines, uno verbo ; aliæ paulo fusiores : qualis inverecunda mulier cum suis sagittis, retibus, venenatisque blanditiis, passim : ubi etiam videre est cæcum juvenem, bovis aut agni lascivientis instar, ductum ad victimam, ad vincula, nescientem ; VII. 21, 22, 23. En vini in vitro splendentis colorem vividum, ingredientis blanditias, ingressi diffusa venena, excitas libidines, mentem ab arce dejectam, dimissum clavum a manibus, edormitaque crapula rursus ad compotores et vina properatum, XXIII. 31. Illud egregium, contrariorum imagines plerumque ex adverso oppositas, ut in conspectu mutuo clarius innotescant ; qualis est sapiens composito vultu : « In facie prudentis lucet sapientia ; » ac statim : « Oculi stultorum in finibus terræ, » vagi, instabiles, in diversa distracti. XVII 24. Præclarum etiam illud : « Totum spiritum suum profert stultus : » fanda infandaque effutit : « Sapiens differt et reservat in posterum, » neque ejus pectus facile exhaurias, XXIX. 11. Neque illud conticescam : « Sapientia callidi, » sive prudentis, « est intelligere viam suam : et imprudentia stultorum errans, « XIV. 8. unde illud consequitur, ibid. 16. « Sapiens timet, et declinat a malo : stultus transilit et confidit. » Mitto brevitatem, quam nulla in-

terpretatio repræsentare possit; mitto similitudines, easque concitas, queis totus liber scatet. Huc accedit elegantia summa cum gravitate conjuncta, ut in illo: « Lingua mollis confringit duritiam: » id est, responsa mitia quamvis exasperatos animos: xxv. 15. Affectus præsto sunt. En sapientiam omnes invitantem, omnibus obviam, et ab ipso paterno sinu ad nos descendentem: cui oblectamentum et lusus, orbis terrarum ornatus; deliciæ, genus humanum; unicum, ut ita dicam, studium, bonis omnibus cumulare amatores, VIII. Tu quoque responde amanti: « Dic sapientiæ: soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam, » VII. 4. Nec deest vehementia: « Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio, » seu rubor « oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? XXIII. 29. Sed illud copiosius: istud uno verbo quam vehemens! « Statue cultrum in gutture tuo: » XXIII. 2. et istud: « Ne attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas; propinquus enim illorum fortis est, » Deus scilicet; XXIII. 10, 11. Denique multæ sententiæ sua se simplicitate, suo veluti candore commendant, ut ipsa per se veritas valeat.

VII. His igitur evincimus, ut noster Salomon non modo divina auctoritate verum etiam acumine, copia, gravitate, cæteris in seculo sententiarum auctoribus, facile antecellat. Cum præsertim etiam illud accedat, quod est omnium optimum, ut veram sapientiam, cultum scilicet, ac timorem Dei, veramque pietatem, et fundamenti loco ponat, et ubique commendet, quam alii sapientes nec fando noverint, aut primoribus tantum, ut aiunt, labiis degustaverint. Summa autem pietatis est, Dei mandata noctu diuque meditari: quod ipse legislator Moses inculcat his verbis: « Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis: et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormjens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque et movebuntur inter oculos tuos: scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ: » Deut. VI. 9. quo spectabat Salomon noster, cum diceret: « Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo: cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te: et evigilans loquere eum eis: » quo quid utilius aut suavius! additque: « quia mandatum lucerna est, et lex lux; et via vitæ, increpatio disciplinæ, Prov. VI. 21, 22 et seq. » Quo ex loco, aliisque similibus ad Moysen perspicue alludentibus, ab eoque deductis, grave existit argumentum adversus eos qui per summam imperitiam aut inverecundiam, Mosaicorum voluminum antiquitati detrahunt; quorum audacibus scriptis duos antiquissimos et maximos Israelitarum reges ex adverso opponimus, Davidem, de lege ac Moyse memorantem, quæ universa plebs caneret; Salomonem etiam scribentem sententias quæ omnium manibus tererentur; nihil ut Mose, ejusque scriptis, notius ac celebratius esse potuerit.

Hæc igitur nostri Salomonis vera sapientia est, ut Dei lege præceptisque nitatur; quo fit etiam illud, ut a Deo parente optimo non modo doceri, verum etiam castigari æquo animo feras: « Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi, « III. 12. cujus rei fons est, quod omnia bona, malave, hoc est, res prosperæ et adversæ, Deo auctore proveniunt, dicente Salomone: « Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, » XVI. 33. ut profecto res humanæ, quantocumque obscuritate versentur: misceantur, in finem a Domino præstitutum exeant: verumque illud sit: « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus, » ibid. 9. « Quin etiam cor » ipsum « in manu Domini, » XXI. 1. unaque est ratio expediendæ salutis, si Deo nos nostraque

omnia permittamus. Quæ et alia id genus, sapientissimus Salomon tanta auctoritate, veritate, profunditate exequitur, ut in illius parabolis facile agnoscas illius Spiritus magisterium, qui « omnia scrutatur etiam profunda Dei, » I. Cor. II. 10.

VIII. Interim meminisse nos oportet, pro veteris Testamenti ratione, hic ubique adhiberi promissiones, minasque temporales; cæterum spiritualis homo hoc est, christianus, a terrenis divitiis ad cœlestis regni opes se eriget, cum et ipse Salomon divitiarum vanitatem vel hoc uno verbulo tam perspicue retegat : « Quid » enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? » XVII. 16. cui suppar illud : « Melius est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives insipiens; » XIX. 1 et illud : « Est quasi dives, cum nihil habet; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit; » XIII. 7.

IX. Superest ut dicamus aliquid de antiquis versionibus. Antiquissima autem est quæ LXX. dicitur. Ea, quam longe ab Hebræo deflectat, omnes eruditi norunt, cujus rei causas singulas inquirere immensi esset operis, et a nostro instituto penitus alieni. Sufficiat nobis ex LXX. proferre quæ veræ interpretationi constituendæ lucem afferant. Causas autem generales easdem afferimus, quas in Psalmorum Præfatione fusius memoratas, in lectoris gratiam contrahere hic libet; prima est, antiquissimæ linguæ et pridem obsoletæ ingenium, atque indoles brevitatis amans, atque, ut ita dicam, alieni cujusvis sermonis præsertim laxioris ac fusioris impatiens, qualem linguæ nostræ postulant; tum ejusdem linguæ non satis perspecta concinnitas, verbo proprietas, atque rumque et phraseon ac particularum virtus; quo mirum in modum interpretes variant; postea variantes jam inde ab antiquo, atque ab ipso, ut ita dicam, initio lectiones, librariorum nonunquam dormitantium errore aut incuria; sæpe etiam mutatione levissimorum apicum in simillimis litteris; postremo quod LXX. interpretes obscura, ambigua, suspensa supplent, in his quidem libris maxime, sæpe etiam commentatoris magis quam interpretis funguntur officio; quod interdum, sed parcius et temperatius Vulgatæ nostræ contigit, ut suis locis indicamus. Quidni autem suspicemur, siquidem id verum est quod doctiores putant, LXX. illos eruditos senes ad Ptolemæum missos, solius Pentateuchi versionem edidisse; alios interpretes, non omnes æque eruditos, interdum ab hebraici sermonis virtute deficere potuisse? utcumque est, certum illud, nihil occurrere noxiæ diversitatis. Imo vero in Proverbiis harum varietatum hunc fructum capimus, quod multas, easque egregias, atque analogiæ fidei congruentes habeamus sententias, quibus Scripturæ ubertas maxime commendetur, nullo ipsius summæ damno, ut alibi monuimus. » Diss. in Ps. cap. IV. et V.

Septuaginta versionem ipsa primum commendat antiquitas, quod diutissime, ante Christum natum, per omnes fere synagogas obtinuit; quod ab Apostolis frequentata, plerisque etiam Proverbiorum locis inde mutuatis, ut suo loco notabimus; quod ab Ecclesia orientali perpetuo usu retenta; a latina quoque tamdiu, donec tot licet fulta præsidiis, egregia S. Hieronymi opera hebraicæ veritati cessit. Et quidem veterem illam latinam versionem ex LXX. deductam rivulis, innumerabiles Patrum latinorum loci repræsentant, maxime S. Ambrosii, ac præsertim in Officiorum libris, apud quem etiam ejusdem versionis integra capita, libro de Salomone, reperimus. A sancto Hieronymo aliam ex Hebræo institutam versionem, vel ille, quem huic libro præfiximus, prologus doceat : ex qua versione Vulgatam nostram fere constare non est dubium. Hanc autem versionem non modo subsecutæ Ecclesiæ ac Synodi Tridentinæ, verum etiam jam inde ab initio, sancti

Augustini inde specula sua compingentis, commendat auctoritas. Cur autem Hieronymus nonnunquam ab Hebræo differat, in Ecclesiaste commodior erit dicendi locus : resque omnis patebit clarius, edito, quem eruditi piique Benedictini apparant, Hieronymi canone.

X. De notarum nostrarum ratione dicere superfluum videretur, nisi quidam amicorum nonnihil ab earum brevitate metuerent tardioribus ingeniis, ne dicam indiligentioribus, si tales futuræ essent, quales in Psalmos fuerunt. Nos autem, quantum assequi datum est, concisa perspicuitate contenti, ita lectorem adjuvandum suscipimus in obscurioribus sive profundioribus locis, ut ipse ex aliis per sese aliquid extundat, et quæ notis desint, attentione suppleat ac diligentia; neque curiosa aut longe accersita sectamur, sed necessaria. Studiosis certe clavim in manus damus; quam non ipsam magni fieri, sed quæ ea reserarentur, Scripturam nempe ipsam pulchram ac splendidam videri volumus : neque opprimere aggredimur commentariorum mole vividos Scripturæ sensus. Sua certe grandioribus scriptis constet utilitas; nos vero non id agimus, neque cibos ad satietatem oggerimus, sed acuere nitimur meditandi quærendique cupiditatem, ipsa Scripturæ copia ac veritate satiandam. Ne quid tamen negligamus, quod ad excitanda et juvanda pro nostra facultate Scripturarum studia pertineat, eu paulum amplificamus notas, et quasi liberiore campo currimus : exempla memoramus; Salomonis, eumque secuti Ecclesiastici, et libri Sapientiæ sententias usui accommodamus; scripturas scripturis copiosius illustramus; interim lectorem optamus tam diligentem fieri, ut notis quam minimum indigeat.

Rursus autem non deerunt qui prolixitatem reprehendant, universim quidem in Canticum Canticorum, speciatim vero in quosdam Ecclesiastæ atque Ecclesiastici locos. Ac de Cantico quidem, æqui judices facile concedent ut dicatur copiosius, cum ubique geminus afferendus sit sensus; historicus alter sive proximus de Salomonis ac sponsæ Egyptiacæ, alter allegoricus et mysticus de Christi et Ecclesiæ sanctarumque animarum beato conjugio castisque deliciis; uterque reconditissimus, allegoricus vero quam maxime, quem in hoc libro non modo dignitate ac veritate potiorem verum etiam a Spiritu sancto præcipue spectatum uno ore consentiunt. In hac autem allegoria prosequenda, non nostri, sed Patrum sensus exponendi erant, ne in tam gravi argumento, nostris arbitriis, sine fine modoque ludere videremur; quod genus interpretandi copiosum esse oportet, cum tot ac tanta occurrant in eam rem dicta a Patribus et interpretibus, ut et in ipso delectu laboret animus, et ipsam segetem amplam esse necesse sit, tametsi optima quæque ac selectissima colligamus.

De cæteris vero notis prolixioribus alia ratio est. Aut enim historica, aut dogmatica quædam persequenda fuerunt : atque historica quidem in Ecclesiasico : (XXXVI. L. LI.) quæ si paucis ageremus, nullam rebus lucem, nullam lectori studioso opem allaturi eramus. Dogmatica vero nonnuad in Ecclesiastæ atque Ecclesiastici uno vel altero loco, paulo copiosius triactari oportuit, (Eccl. XII. Eccli. LI. 14.) » ubi necessario castiplgan veniebant qui in interpretandis illis a fidei regula aut Patrum sensibus abhrorerent. Quæ quidem ut parce fieri, ita ubi res postulabat, non prorsus rælternitti debere duximus.

XI Non pigebit autem hic ad calcem apponere quædam Vulgatæ nostræ glossemata, eosque hebraismos, qui passim occurrant cum in Salomonicis, tum etiam, ut semel hunc absolvamus locum, in Sapientia et Ecclesiastico. Atque animam quidem hebraica phrasi pro persona positam

omnes norunt : cor pro intellectu sumitur : callidus, versutus, astutus, in bonam fere partem, pro cauto, prudente, sapiente, derisor, illusor, contemptor, prævaricator, pestilens, impius, malum et nequam sonant; quo genere nequitiæ, res subjecta determinat : disciplina, doctrinam; indisciplinatus indoctum denotat; requies sæpissime pro cessatione ponitur; requievit pro cessavit, nonnunquam active pro cessare fecit; infernus pro sepulcro, ut in tota Scriptura passim; hæreditare pro sortiri, interdum active pro sortiri facere; ut est illud Eccli. xvii. 9. Legem vitæ hæreditavit illos, » id est, hæreditare, sive sorti habere fecit : panis pro alimentis, atque aliis vitæ sustentaculis : confessio pro laude : minoratio pro damno, sive diminutione, atque hæc quidem pervulgata : obscuriora ista in Ecclesiastico, obductio, obductus, pro impetu hostili, immissisque sive illatis calamitatibus : alicujus rei continens, pro compote : datus pro datione ac dato sive dono : istud vero obscurissimum, natio pro nativitate, pro sobole, pro agrorum sive arborum fructu ac proventu : quo etiam sensu, generatio, generationes; ut in illo : « a generationibus meis implemini : » Eccli. xxiv. 26. hoc est, sapientiæ, tanquam agri feracissimi aut arboris præcellentissimæ, fructibus ac frugibus. Quo etiam loco notanda venit præpositio « a, » ut aliæ « de, ex, cum, » sæpe omissæ, sæpe superfluæ, unde in sermone, ex defectu sive redundantia obscuritas. Jam ex græca quoque phrasi illud frequentissimum; infinitivus pro gerundio, ut illud : « posuit oculum suum... ostendere illis, Eccli. xvii. 7. » id est, ad ostendendum, sive ut ostenderet : tum illud, Dei nomen sæpe supplendum, quale est illud : « Deprecatio pauperis ex ore usque ad ejus aures perveniet » nempe Dei : Eccli. xxi. 6. quod est familiare Hebræis : eo quod Deus semper debeat esse menti præsentissimus, ac facile subintelligendus : unde etiam illud : ibidem xxvii. 1. « Qui quærit locupletari, avertit oculum suum, » supple a Deo, seu quod idem est, a lege. Denique illud; in comparationibus ac similitudinibus multa supplenda, quorum exempla invenias, Proverb. xxv. imprimis, comparandi et comparationes reddendi particulæ, id est, « quemadmodum, sic, » et cæteræ, quarum loco Hebræi passim substituunt conjunctivam, « et, » ut in illo : « Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem, » xxv. 23. Interdum hanc etiam supprimunt : « Nubes et ventus et pluviæ non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens, ibid. 14. » quod sæpe non levem difficultatem parit, ut in illo : « Amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo, » sive afflicto, ibid. 20. Quæ perspicua fiunt, si particulas comparandi suppleveris, ut ad eum locum, et alibi fecimus. Sæpe etiam aliquid supplendum in rebus ad quas fit comparatio ut in eodem versu : item : ibid. 19. « Dens putridus et pes lassus, qui sperat super infideli : » sic supplendum, qualis est qui dente putrido ac pede lasso utitur, talis is qui sperat super infideli : et ibid. 19, 17. « Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te : » tanquam diceret : Sicut qui mel nimium comedit, ad satietatem ac vomitum adducitur, ita te proximus ejiciet et evomet, si plus æquo te ingesseris. Omissum etiam interdum alterum comparationis membrum, puta ipsa redditio sive applicatio, ut in illo : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, » Prov. xxvii. 23. omissa applicatio ad eos qui hominum sive rationalis gregis curam gerant : et apud Ecclesiasten, x. 8. « Qui fodit foveam... et qui dissipat sepem, etc. » omissa redditio, quam ad eum versum suppletam videre erit. Sic in illo « Ecclesiastici xxvi. 15. « Sicut viator sitiens, etc. » supplenda ap-

plicatio propter eam causam quam ad eum locum diximus. Universim apud Hebræos aliosque Orientales supplenda multa : valetque id quod monemus Præfatione in Psalmos, cap. IV. 24. VII. 38. tenuia hæc et obvia; sed parvulos quoque adjuvare oportet, ut sine offendiculo præclaras percurrant sententias.

S. HIERONYMI PRESBYTERI

PRÆFATIO IN LIBROS SALOMONI,

AD CHROMATIUM ET HELIODORUM EPISCOPOS.

Jungat Epistola, quos jungit sacerdotium, immo charta non dividat quos Christi, nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum; notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium; quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aliis laborare : aut in ratione dati et accepti, cuiquam præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum : « Masloth, » quas Hebræi « Parabolas : » vulgata autem editio « Proverbia » vocat : « Coeleth, » quem græce « Ecclesiasten, » latine « Concionatorem » possumus dicere : « Sir assirim, » quod in nostra lingua vertitur « Canticum Canticorum. » Fertur et panaretos Jesu filii Sirach liber, et alius pseudepigraphus, qui « Sapientia Salomonis » inscribitur. Quorum priorem, hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas prænotatum; cui juncti erant Ecclesiastes et Canticum Canticorum; ut similitudinem Salomonis, non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est; quia et ipse stylus græcam eloquentiam redolet; et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, et Tobi, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit; sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane septuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim nova sic cudimus, ut vetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit, sciat magis nostra scripta intelligi, quæ non in tertium vas transfusa coacuerint, sed statim de prælo purissimæ commendata testæ, suum saporem servaverint.

SANCTI ISIDORI PELUSIOTÆ,

LIB. IV. EPISTOLA XL.

DE TRIBUS SALOMONIS LIBRIS.

Quoniam ordinem trium Salomonis librorum discere cupis, scito unum illorum docere virtutem moralem; alterum ostendere quam sit vanus labor eorum, qui rebus hujus vitæ nimis attendunt, tertium denique, amorem quo erga res divinas prædita sit illa anima, quæ superiora jam didicit. Atque hæc ratio est ordinis; quære illud quidem primo loco, istud autem secundo, hoc denique tertio collocatum sit opus. Qui autem in ethicis, probe se gessit, dum Proverbiorum scriptoris discipulus fuit, de eo metuendum non est, ne ad Canticum Canticorum delatus, in carnalem et vulgarem amorem incidat; quin potius futurum est, ut ad purum ac divinum illum sponsum, quasi quibusdam alis, efferatur, qui beatos pronuntiat eos, qui tali sunt amore vulnerati. Moneo itaque adolescentes, ne prius tertium attingant opus, quam in prioribus duobus præclare se gesserint. Absurdum enim, vel potius nimis temerarium, et audax est negotium, et a mysticis legibus abhorrens, ut in adyta insiliant, seseque penetrent, qui ne vestibulis quidem sint adhuc digni. Quemadmodum enim in templo, ea quidem quæ foris erant, omnibus adire licebat: quæ vero intus erant sacra, quæ velo comprehendebantur obtecta, quamvis, alioquin adiri poterant, tamen a vulgo non consecrato et profano adiri non poterant; quæ denique intima erant Sancta sanctorum, et sacratissima sacra, ad ea nec illis quidem patebat aditus, qui vitam agerent inculpatam; sed soli fas erat ingredi summo sacerdoti, qui nimirum seipsum consecrarat, et omnem mortalem rugam deposuerat. Sic etiam erga hosce Salomonis libros affecti esse debent adolescentes; et primum quidem omnium splendere morum virtute; deinde vero, rerum ad hanc vitam pertinentium nullitatem atque inanitatem condemnare; et sic demum ea attingere, quæ vulgus hominum assequi nequit. Nam qui extra septa esse debeant, si temerario ausu, in sacra divina, non initiati, irruere præsumpserint, pœnas dabunt extremas.

LIBER PROVERBIORUM.

CAPUT PRIMUM. Parabolarum utilitas : fundamentum sapientiæ, Dei timor et cultus : majorum doctrina : impiorum illecebræ, casus : sapientia blanda hominum invitatrix : ad extremum contemptores terret.

1. Parabolæ Salomonis filii David, regis Israel.
2. Ad sciendam sapientiam et disciplinam :
3. Ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, et judicium, et æquitatem :
4. Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, et intellectus.
5. Audiens sapiens, sapientior erit; et intelligens, gubernacula possidebit.
6. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum.
7. Timor Domini, principium sapientiæ : sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.
8. Audi, fili mi, disciplinam pa-

1 « Parabolæ Salomonis. » Titulus antiquorum more cum ipso textu conjunctus.

2 « Ad intelligenda verba prudentiæ » intelligentiæ. Heb. Binah. Et suscipiendam eruditionem doctrinæ : » disciplinam : Heb. « Mousar. » ut supra ℣ 2. Monet eos quos imbuit, ut non solum sapientiam, quam ipsi perceperint, amplecti... sed etiam verbis prudentiam auscultare, et hæc intelligere curent. Beda. « Justitiam, et judicium, et æquitatem : » rectitudines : Heb. In justitia, actio recta secundum regulam veritatis; in judicio, discretio boni et mali, dum agimus cum proximo; in æquitate, rectitudo mentis; cum sincera intentione Deo placere contendimus. Idem.

4 « Ut detur parvulis : » non tantum provectioribus et rerum experientia doctis; verum etiam parvulis : juxta illud : « Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. » Psalm. XVIII. 8. Parvulos dicit sensu simplices, et qui nuper sapientiæ aures accommodare cœperunt : Beda. « Astutia : » cautela diligens, quæ rudibus et incipientibus necessaria. « Adolescenti scientia : » puero : Heb. qui jam aliquantum in eruditione profecerit. Beda. » Et intellectus : » cogitatio, solertia : Heb. ut improvida ætas his instructa consiliis, senum æquet prudentiam, juxta illud : « Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. » Ps. CXVIII. 100.

5 « Audiens sapiens, sapientior erit » Hactenus rudimenta; nunc incrementa ponit : ut non modo imperitis, puta pueris, verum etiam doctis, sapientiæ studium necessarium esse videatur. Significat autem neminem usque adeo esse sapientem, ut non ei sapientia doctrinaque addi possit : sicut ait Paulus : « crescentes in scientia Dei. » Col. I. 10. « Gubernacula possidebit. Tachboulot : » consilia : Heb. gubernandi rationem, artem qua, velut arepto clavo, navem dirigat.

6 « Animadvertet parabolam : » ut intelligat : Heb. « Et interpretationem. » Alioquin fiet illud quod ait Propheta : « Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis : » Is. VI. 9. referente Matthæo, XIII. 14. unde discipuli ad Dominum : « Edissere nobis parabolam. » Ibid. 36. Pro interpretatione, alii vertunt facundiam : LXX. vero obscurum seu tenebrosum sermonem, quem scrutari oporteat, altius latente sensu : atque his libri aperit scopum. « Ænigmata eorum. » Parabola, comparatio, ut jam diximus : ænigma vero quæstio obscurior quæsitis verborum involucris tecta. Exemplum parabolæ Judic. IX. 8. de arboribus regem electuris : ænigma autem, ibid. XIV. 14. est Samsonis illud : « De comedente..... cibus, et de forti... dulcedo. » Antiquos sapientes parabolis problematisque atque ænigmatis ludere solitos, habes etiam apud Græcos scriptores, præsertim, ni fallor, in Plutarchi Convivio.

7 « Timor Domini. Proposito egregii operis instituto, nunc rem ipsam aggreditur. Ac primum adhortatur ad sapientiam usque ad caput X. Hic autem statim ponit veræ sapientiæ fundamentum, qui est timor Domini, seu verus Dei cultus : sicut est apud Jonam, I. 9. « Hebræus ego sum, ac Dominum Deum cœli ego timeo : » repetitum infra, Prov. IX. 10. et alibi sæpe. Recte etiam illud, passim apud Augustinum : quod a timore pœnæ inducamur ad amorem justitiæ, quæ perfecta sapientia est.

8 « Audi, fili mi. » Caput veri cultus, retinere traditam a majoribus doctrinam : sicut dice-

tris tui, et ne dimittas legem matris tuæ :

9. Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.

10. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

11. Si dixerint : Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra :

12. Deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum.

13. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.

14. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.

15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.

16. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.

17. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.

18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas.

19. Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt.

20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.

21. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens :

22. Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam?

23. Convertimini ad correptionem meam : en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

24. Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.

bat Moses. « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi. » Deut. XXXII. 7. et infra : « Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. » Proverb. XXII. 28.

9 « Ut addatur gratia, » decor seu corona, « capiti tuo, et torques collo tuo : » justitia tibi gloriæ et ornamento erit. Vide infra, III. 3. VI. 21.

10 « Si te lactaverint peccatores : » id est, pellexerint. Propositis quærendæ sapientiæ causis, nunc amovet obstacula : orditur autem ab avaritia, quæ malorum omnium radix, teste Paulo, I. Tim. VI. 10.

11 « Abscondamus tendiculas contra insontem frustra : » gratis : LXX. *adicôs :* alii, impune. Vide infra, ỳ. 17.

12 « Sicut infernus : » sepulcrum, ut in Scripturis passim.

14 « Sortem mitte nobiscum : » velut ad partiendam prædam. « Marsupium unum sit : » alia quidem sortiamur : communicemus vero pecuniam. Specie amicitiæ ac fidei ducunt, communia enim amicorum omnia.

17 « Frustra..... jacitur rete : » impune : LXX. non injuste : reprehensione nulla : homines tanquam aves capiamus, nullo utrorumque discrimine.

18 « Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur. » Dum alios capere moliuntur, ipsi se in laqueos inducunt : canente Psalmista : « Incidit in foveam quam fecit : » Psal. VII. 16. et iterum : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. » Psal. X. 6.

19 « Sic semitæ omnis avari. » Sic avari suis in semitis, sive astutiis, pravisque molitionibus comprehensi, ab ipsa quam possidere videntur pecunia, possidentur, rapiunturque ad interitum.

20 « Sapientia foris prædicat. » Aliud argumentum conquirendæ sapientiæ, ipsa facilitas : quod obvia omnibus ac patens ultro occurrat quærentibus.

21 « In capite turbarum : » in triviis, in locis frequentissimis. « In foribus portarum ; » arcium : alii murorum, et ita LXX. quod in portis fieret consessus publicus.

22 « Usquequo, parvuli, diligitis infantiam : » quemadmodum infra, IX. 6. « Relinquite infantiam, et vivite. Stulti ea quæ sibi sunt noxia. Recte : omnis enim malus, stultus : stultus autem sibi noxius. At Heb. simplicius : usquequo, imperiti, diligitis imperitiam, stulti stultitiam, seu derisores derisionem? qua voce non tantum stultitia, sed etiam impietas designatur. Derisores autem, quos vita nil, nisi lusus. Sap. XV. 12.

23 « Proferam vobis spiritum meum : » sensum, vocem : sicut infra, XXIX. 11. « Totum spiritum suum profert stultus. »

24 « Vocavi, et renuistis. » Locus a comminatione. « In interitu vestro ridebo : » piis etiam ultro insultantibus, ac dicentibus : « Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum : » Psal. LI. 8. Deo quoque irridente et increpante : » Ecce Adam, quasi unus ex nobis. » Gen. III. 22.

25. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.
26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis, id quod timebatis, advenerit.
27. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio et angustia:
28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me:
29. Eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint;
30. Nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ.
31. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.
32. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.
33. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

CAP. II. Sapientia bona confert, arcet mala: lucem affert: abstrahit a voluptatibus et muliebribus illecebris.

1. Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te,
2. Ut audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.
3. Si enim sapientiam invocaveris, et inclina veris cor tuum prudentiæ:
4. Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam.
5. Tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies:
6. Quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia.
7. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter:
8. Servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens.
9. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam.
10. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit.
11. Consilium custodiet te, et prudentia servabit te,
12. Ut eruaris a via mala, et ab homine qui perversa loquitur:
13. Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas:
14. Qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis:
15. Quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum.
16. Ut eruaris a muliere aliena,

32 « Aversio parvulorum interficiet eos. » Peribunt, quod puerorum atque imperitorum exemplo, a sapientiæ consilio auditum averterint. « Et prosperitas stultorum perdet illos. » tranquillitas: impunitas. Ita enim putant bene sibi omnia per nequitiam eventura.

1 « Si... mandata..... absconderis penes te: » quasi rem pretiosissimam: quo sensu: « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. » Psal. CXVIII. 11.

4 « Si quæsieris eam quasi pecuniam: » pari studio, pari labore, unde sequitur: « et sicut thesauros effoderis illam: » ut alte reconditam. Sic David: « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis: » et iterum: « Dilexi mandata tua super aurum » purissimum: denique: « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. » Psal. CXVIII. 14, 127, 162. Vide infra, III. 14, 15.

7 « Custodiet rectorum salutem... gradientes simpliciter. » En illa duo quæ passim Scriptura conjungit: rectitudo cordis ad normam compositi: et morum simplicitas, sine fraude, sine fuco: quemadmodum sanctus Job. I. 1, « Vir simplex et rectus, ac timens Deum: » cum e contra malorum hominum viæ, distortæ sive abnormes, perversæque sint: ut habes infra, 12, 13, 14, 15. et toto libro passim.

9 « Tunc intelliges justitiam, » etc. de quibus supra, 1, 3.

13 « Vias tenebrosas: » luce veritatis ac justitiæ destituta: unde passim in Scripturis, filii lucis, filii tenebrarum; dicente Domino: « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan. VIII. 12. Vide infra, IV. 19.

15 « Quorum viæ perversæ sunt: » obliquæ, distortæ, tortuosæ; rejecta quippe norma. « Et infames gressus eorum: » turpes: Heb. recedentes, devii.

16 « Ut eruaris a muliere aliena. » Aliud obstaculum a lenociniis voluptatum, atque impudicis amoribus. Idem locus pertractatur cap. V. VI. VII. IX. XXIII. 27, 28.

et ab extranea quæ mollit sermones suos,

17. Et relinquit ducem pubertatis suæ,

18. Et pacti Dei sui oblita est: inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius.

19. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.

20. Ut ambules in via bona, et calles justorum custodias.

21. Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea.

22. Impii vero de terra perdentur, et qui inique agunt, auferentur ex ea.

CAP. III. Vita: rerum copia, veræque divitiæ, ac perfecta securitas, per sapientiam: beneficentia commendatur, 27, 28. malos perdit Deus: bonis benefacit.

1. Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat:

2. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi.

3. Misericordia et veritas te non deserant: circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui:

4. Et invenies gratiam et disciplinam bonam, coram Deo et hominibus.

5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo; et ne innitaris prudentiæ tuæ.

6. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.

7. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede a malo:

8. Sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.

9. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei:

10. Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.

11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corriperis:

17 « Ducem pubertatis suæ. » Virum cui virgo nupsit: quo sensu apud Homerum: *couridien alochon*. Sic etiam animæ instabiles, seductæ ab hæreticis, excidunt a simplicitate quæ est in Christo, cui ut casta virgo, erant traditæ. II. Cor. XI. 2, 3.

18 « Et pacti Dei sui oblita est: » legis, adulteria prohibentis. « Inclinata est: » depressa, declivis. Ch. in fovea lubrica.

19 « Non revertentur: » ut qui in ferarum speluncam inciderint; neque unquam ad se redibunt, pravis inescati libidinibus, et voluptatibus mersi.

20 « Ut ambules in via bona. » Redi ad ℣ 11. « Prudentia servabit te: 12. ut eruaris a via mala: 16. a muliere aliena; » et: « ut ambules in via bona: » hæc enim omnia consequeris, si prudentia te regat.

2 « Longitudinem dierum. » Aliud argumentum conquirendæ sapientiæ, a divinis pollicitationibus, ac mercede promissa: qualis illa est: « Honora patrem et matrem... ut longo vivas tempore. » Deut. V. 16. quod et ad cætera præcepta protenditur: « ut bene sit tibi, et longo vivas tempore. » Ibid. XXII. 7. Et iterum: « Pondus habebis justum et verum.... ut multo vivas tempore. » Ibid. XXV. 15. et alibi passim. « Et pacem: » alia merces. « Non » enim « est pax impiis: » et: « impii quasi mare fervens: » inquieti, ac velut turbinibus acti: et: « væ impio. » Is. III. 11. LVII. 22. XLVIII. 20, 21. Quod etiam Salomon copiosius exequetur hic: 23.

5 « Ne innitaris prudentiæ tuæ: » quod est ℣ 7. « Ne sis sapiens apud temetipsum. » Paulus: « Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. » Rom. XII. 16. « Perdam » enim « sapientiam sapientium. » I. Cor. I. 19. ex Is. XXIX. 14. Unde Christus « factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut, quemadmodum scriptum est qui gloriatur, in Domino glorietur. » Ibid. 30, 31.

8 « Umbilico tuo. » Per umbilicum et ossa, interiores quæque et infirmiores partes designantur, quibus maxime valetudo continetur. « Et irrigatio ossium tuorum: » pinguedo, medulla.

10 « Implebuntur horrea tua. » Alia merces, rerum omnium copia passim apud Mosen, ac præsertim Levit. XXVI. 4, 10. altiore sensu: « tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. II. Cor. VI. 10. Quem sensum habes postea, ℣ 14, 15, et seq.

12. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.

13. Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.

14. Melior est aquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi, fructus ejus :

15. Pretiosior est cunctis opibus : et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

16. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria.

17. Viæ ejus, viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.

18. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.

19. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia.

20. Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt.

21. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis : custodi legem atque consilium :

22. Et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis.

23. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget :

24. Si dormieris, non timebis, quiesces, et suavis erit somnus tuus.

25. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum.

26. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.

27. Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac :

28. Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere; cras dabo tibi : cum statim possis dare.

29. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

30. Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.

31. Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus :

32. Quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus.

33. Egestas a Domino in domo impii : habitacula autem justorum benedicentur.

34. Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.

35. Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio, ignominia.

14 « Melior est acquisitio : » Heb. negotiatio, « ejus negotiatione argenti : » eodem ubique vocabulo : « et auri primi : » et præ auro « fructus ejus : » proventus, sapientiæ scilicet.

15 « Pretiosior.... cunctis opibus : » gemmis, margaritis : Heb.

18 « Lignum vitæ : » longa vita, ut ỹ 2, 16. Allusum ad illud lignum vitæ in Paradiso. « Gen. » II. 9. III. 22. ut et infra, XIII. 12. XV. 4.

19 « Dominus sapientia fundavit terram. » Alia commendatio sapientiæ ab operibus : quod copiosius explicat infra, VIII. 22.

20 « Eruperunt abyssi : » fontes et flumina per terræ venas meant et emanant. « Nubes rore concrescunt : » aer stillat roribus : Heb. aquæ supremæ et infimæ æque deducuntur Dei sapientia.

21 « Custodi legem : » quod alii vertunt, essentiam : eodem apud Hebræos sensu.

23 « Aliud argumentum : vera securitas per sapientiam, de qua securitate : 24, 25, 26, et antea 2, 17. Summa : securæ conscientiæ, secura omnia sub Deo custode.

25 « Ne paveas repentino terrore : » unde illud : « Dominum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. « Psal. XIII. 5. Contra de piis : « Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno. » Psal. XC. 5.

28 « Cras dabo : » Recte hic commemorant Antiochum illum, cui cognomen : *o dósòn* : quod semper daturus, nunquam dans, vanis pollicitationibus ludificaret amicos.

30 « Ne contendas adversus hominem frustra : » de rebus nihili : sive immerito : gratis « Si quis » enim « videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. » I. Cor. XI. 16.

32 « Quia abominatio Domini est omnibus illusor : » perversus : *paranomos*, LXX.

33 « Egestas a Domino in domo impii : » maledictio, *catara*, 70.

34 « Deludet illusores : » quæ ipsa est sententia memorata a Jacobo et Petro, juxta 70. his verbis : « Deus superbis resistit : humilibus autem dat gratiam. » Jac. IV. 6. I. Pet. V. 5.

35 « Stultorum exaltatio, ignominia. » Stulti exaltant ignominiam. Hebr. 70. « insipientia enim eorum, » tanquam alto loco posita, « manifesta erit omnibus. » II. Tim. III. 9.

CAP. IV. Salomon ab ipsa pueritia sapientiam doctus, ejus bona commendat : malorum inquietudo ac perversitas : vir bonus cor custodiat : prava arceat colloquia : agenda prospiciat : 25, 26, 27.

1. Audite, filii, disciplinam patris, et attendite, ut sciatis prudentiam.
2. Donum bonum tribuam vobis; legem meam ne derelinquatis.
3. Nam et ego filius fui patris mei, tenellus, et unigenitus coram matre mea :
4. Et docebat me, atque dicebat : Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, et vives.
5. Posside sapientiam, posside prudentiam : ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei.
6. Ne dimittas eam, et custodiet te : dilige eam, et conservabit te.
7. Principium sapientiæ, posside sapientiam; et in omni possessione tua acquire prudentiam :
8. Arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.
9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.
10. Audi, filii mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.
11. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis :
12. Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.
13. Tene disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est vita tua.
14. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.
15. Fuge ab ea, nec transeas per illam : declina, et desere eam.
16. Non enim dormiunt, nisi malefecerint; et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.
17. Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt.
18. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.
19. Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.
20. Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam.
21. Ne recedant ab oculis tuis; custodi ea in medio cordis tui :
22. Vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas.
23. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.
24. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.
25. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

3 « Filius fui patris mei : » cæteris majoribus licet antepositus, et ad spem regni eductus : « tenellus et unigenitus : » tam carus matri, atque unigenitus : nam et matri Bethsabee filiæ Ammiel, præter Salomonem, dantur alii tres ex Davide filii. « I. Par. » III. 5. Sed Salomon dilectissimus : unde illud Canticum, « pro dilecto : » in titulo Psal. XLIV. Vide autem pietatem Salomonis hic et ubique passim studiosissime commendantis matrem optimam, et una cum Davide a peccato ad summa provectam.

7 « Principium sapientiæ, posside sapientiam : » prima tibi sit sapientiæ cura.

16 « Nisi supplantaverint : » malefecerint, deceperint.

17 « Panem impietatis, vinum iniquitatis : » male partum, seu rapina, seu dolo.

18 « Justorum semita, quasi lux. Erumpet, quasi mane, lumen tuum. » Is. LVIII. 8. « Procedit et crescit usque ad perfectam diem : » quæ lux decrementa nescit : « a claritate in claritatem. » II. Cor. II. 18.

19 « Via impiorum tenebrosa : » plena offendiculis quæ non vident : unde : « nesciunt ubi corruant : juxta illud Davidicum : « Fiat via illorum tenebræ et lubricum. » Psal. XXXIV. 6.

25 « Oculi tui recta videant : » primum enim explorare ac videre oportet quæ recta sunt, ut fiat illud Pauli. « omnia probate, quod bonum est tenete. » I. Thess. V. 20. « Palpebræ tuæ, » oculi, præcedant gressus tuos : quidquid agas, prospice quem in finem eventurum sit; præcipitis enim animi est ire antequam videas, eoque ingredi, unde pedem referre non possis. Recte Beda : « Iter justitiæ quod ingredi debeas, diligenter edisce : bonum opus quod acturus es, sedula cogitatione præveni. » Vide Eccl. II. 14.

26. Dirige semitam pedibus tuis: et omnes viæ tuæ stabilientur.

27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum a malo. Vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

CAP. V. Custodienda mens et lingua, ne a voluptatibus abstrahamur: impudicæ mulieris artes, falsa dulcedo, instabilitas, fallacia: hinc pestis rei, famæ, valetudini: sera pœnitentia: casti conjugii laus.

1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam,

2. Ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris.

3. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus:

4. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps.

5. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.

6. Per semitam vitæ non ambulant: vagi sunt gressus ejus, et investigabiles.

7. Nunc ergo fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei.

8. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus.

9. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli:

10. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena;

11. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas:

12. Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum,

13. Nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam?

14. Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ et synagogæ.

15. Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui:

26 « Dirige semitam pedibus tuis: » quod est illud ex 70. deductum, et a Patribus toties memoratum; rectos cursus fac pedibus tuis et vias tuas dirige.

27 « Ne declines ad dexteram: » quod est ire recta, aberrare nusquam: proverbialis locutio. I. Reg. VI. 12. II. Reg. II. 19. Unde illa sapiens Thecuitis: « Nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his quæ locutus es: » recte conjectatus es, nec a vero aberrasti. II. Reg. XIV. 19. « Vias quæ a dextris sunt novit Dominus: » id est, probat; sicut scriptum est: « Novit Dominus viam justorum: » Psal. I. 6. et ad Moysen: « Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me: » Exod. XXXIII. 12. unde ad reprobos dicitur: « Nunquam novi vos: » Matt. VII. 23. ut Augustinus passim, et diserte ad hunc locum Epist. poster. ad Valentin. præfixa libro de Grat. et Lib. arbit. n. 7. quo loco et istud recte; ita bonas esse vias, « quæ a dextris sunt, ut in dexteram tamen declinare non sit bonum. » Declinat ad sinistram qui mala opera facit; ad « dexteram vero, qui bona ipsa opera, quæ ad vias dexteras pertinent, sibi vult assignare, non Deo. » Simili modo, ex Beda hic: declinat ad sinistram, qui desipit, ad dexteram vero, qui plus sapit quam oportet sapere. Declinat ad sinistram, qui vim præceptorum relaxat in malum, ad dexteram vero, qui alligat et imponit in humeros hominum onera importabilia, ut habetur, Matt. XXIII. 4. Porro ab illis verbis: « vias quæ a dextris sunt, novit Dominus: » totum illud in Hebræo deest, et a 70. sumptum.

2 « Ut custodias: » contineas ac regas « cogitationes: » non tantum opera vel verba. « Ne attendas fallaciæ mulieris: » deest Hebr. habent. 70.

3 « Et nitidius oleo guttur ejus: » lene præ oleo guttur. Sic Psal. LIV. 22. « Molliti sunt sermones ejus super oleum. »

6 « Vagi sunt gressus ejus, et investigabiles: » non vestigabiles, indeprensi, ignoti: Hebr. tot se fallaciis technisque involvit.

9 « Ne des alienis honorem tuum: » ne sis eis ludibrio, spoliatus et egens: unde:

10 « Ne expleantur extranei viribus tuis: » ne opes tot laboribus partæ, alienam in familiam transferantur: enectoque per libidines corpore, frustra « gemas. » ℣ 11.

12 « Cur detestatus sum disciplinam? » Sera pœnitentia, ad quam etiam istud pertinet.

14 « Pene fui in omni malo: » propemodum omnia mala sum expertus: « In medio ecclesiæ et synagogæ: » libidinibus æque, ac miseriis vulgo notus: bona, valetudo, fama pariter perierunt.

15 « Bibe aquam de cisterna tua: » uxore legitima esto contentus.

16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.
17. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.
18. Sit vena tua benedicta; et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.
19. Cerva carissima, et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.
20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius?
21. Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat.
22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.
23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

CAP. VI. De non temere fidejubendo : ad formicam piger : apostatæ, sive vafri turbulentique homines : septem Deo exosa : perpetua attentio ad legem : hinc tutela adversus muliebres illecebras.

1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam,
2. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus.
3. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera : quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum :
4. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.
5. Eruere, quasi damula, de manu, et quasi avis, de manu aucupis.
6. Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam.
7. Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem,
8. Parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.

16 « Deriventur fontes tui : » multiplicabuntur liberi tui, et posteritas tua late patebit.

17 « Habeto eas solus : » aquas; liberos tuos : castum custodi matrimonium, ut tuo quoque exemplo servet uxor pudicitiam, nec liberi tui incerto patre nati habeantur.

18 « Sit vena tua : » fons tuus : « benedicta : » fœcunda : læto proventu felix. « Cum muliere adolescentiæ tuæ : » quam duxisti adolescens : ut supra, II, 17.

19 « Cerva carissima : » amorum vocabula, quibus conjugem prosequeris. « In amore ejus delectare : non in meretricius amoribus : et tamen meminerис id quoque esse vanum. « Eccl. II. 1. et seq. » tibique, christiane, dictum : « Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint : « neque carni, sed spiritui serviant, seque transire cogitent, non manere. « I. Cor. » VII, 29, 30, 31.

1 « Si spoponderis. » OEconomicum de non fidejubendo, sæpe repetitum : XI. 15. XVII. 18. 16. XXII. 26. XXVII. 13. non quod spondere vetet, qui et largiri præcipit, III. 27, 28. et alibi sæpe; sed interim hæc vitanda monet : primum ne falso pudore, ac nimia facilitate te obliges; alterum ut obligatus, quamprimum exsolvi te cures, ne diligens licet paterfamilias, aliena indiligentia, atque incuria pereas, unde subdit :

3 « Discurre, festina, suscita amicum tuum : » pro quo spopondisti, ne velut ex soluto nexu securus, reique suæ negligens, tibi persolvendum æs alienum relinquat. Spirituali sensu vetat ne quis facile curam animarum suscipiat, ne susceptam negligenter gerat; is enim vere pro aliis animam oppigneravit suam : quare, quod superest, strenue nec somnolenter rem agat, ut habetur ℣ 4. assiduisque adhortationibus amicos suscitet ℣ 3. adigatque ad exsolvendum debitum, Deoque et proximo præstandum quod lex imperat. Sic enim pastor vigilans animam liberabit, et ovium, et suam : v. 1. « defixisti extraneo manum tuam. » Alludit ad cavendi formulam complosis utrinque manibus : quod et infra memoratur, XVII. 18. XXII. 26.

6 « Vade ad formicam, o piger. » Formica dicitur strenuus quisque et providus operarius, qui in præsenti vita, velut in æstate, fructus justitiæ quos in æternum recipiat, sibi recondat. Beda. « Disce sapientiam : » non bestiolæ, sed Dei, in tenui licet animaculo, ingentium virtutum specimen adumbrantis.

7 « Quæ cum non habeat ducem. » Si tantillum animal principe carens et rationis expers, natura duce sibi providet in posterum; multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, doctorum magisterio adjutus, ipsum conditorem habens ducem; debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum vivas. Hic autem dies judicii hiemi comparatur, quia tunc nulla facultas pro vita laborandi : sed tantum quisque cogitur de horreo pristinæ actionis proferre quod recondidit. Beda.

9. Usquequo, piger, dormies? quando consurges e somno tuo?
10. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias:
11. Et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te.
12. Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso.
13. Annuit oculis, terit pede, digito loquitur,
14. Pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat.
15. Huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.
16. Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus:
17. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,
18. Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum,
19. Proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.
20. Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.
21. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo.
22. Cum ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, custodiant te: et evigilans loquere cum eis.
23. Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ:
24. Ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ.
25. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius:
26. Pretium enim scorti vix est unius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.
27. Numquid potest homo abscon-

9 « Usquequo, piger, dormies? Surge qui dormis » (in vitiis peccatisque scilicet,) « et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Ephes. v. 14.

10 « Paululum : » ad breve tempus : « conseres, » complicabis « manus; » teque compones ad somnum : at egestas te dormire non sinet : unde sequitur :

11 « Veniet tibi, quasi viator, egestas : » improvisa, inexpectata : « et pauperies, quasi vir armatus : » acer, indomitus, nec nisi vi et industria domo expellendus : ne tantum viatorem ultro abiturum cogites. Hic autem egestatis nomine, animæ, suo vitio, virtute et gratia destitutæ, indigentia intelligatur. « Si vero impiger fueris, veniet ut fons » limpidus, inexhaustus, « messis tua, et egestas longe fugiet a te : » quæ desunt in Hebr. habent 70.

12 « Homo apostata : » discedens a Deo veraque simplicitate : homo Belihal : Hebr. *aphrôn kai paranomos :* insipiens et legis contemptor, 70. « Vir inutilis : » iniquus : Hebr. « Ore perverso : » mendace, fallace.

13 « Annuit oculis : » verbis parcit, nutibus loquitur, ut arcana tacendaque retecturus : quales ardeliones illi turbulenti homines, fraudum ac nequitiarum artifices, qui negotiis quibusque se immiscent, ut rerum omnium quæ aguntur gnari; huic annuunt oculis, terunt alteri pedem : nil sinceri, nil candidi : unde rixæ et jurgia, ut in seq. habetur

15 « Huic extemplo veniet perditio sua : » retectis nebulonis fraudibus, atque omnibus quos decepit in ejus perniciem æque conspirantibus.

21 « Liga ea in corde suo jugiter; » allusum ad Deut. vi. 8. quasi diceret : illic juberis in manu ligare præcepta : at ego præcipio, id quoque, ut in corde liges. Vide vii. 3.

22 « Cum ambulaveris, gradiantur tecum. Meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. » Deut. vi, 7. « Evigilans loquere cum eis : » quasi cum amicis, fidisque consiliariis. « Consilium » enim « meum justificationes tuæ : » sive ut habet Hebr. quasi viri amicissimi mei. « Psal. » cxviii, 24.

23 « Via vitæ increpatio disciplinæ : » sive « increpatio » quæ est ex disciplina : non ex odio, aut invidia, aut denique superbia animique levitate.

25 « Nutibus illius : » palpebris : Hebr. nutu oculorum, quibus vel maxime stultum amatorem inescant, quasi plura largituræ, quam verbis explicare audeant.

26 « Pretium enim scorti vix est unius panis : » quia propter mulierem meretricem, usque ad tortam panis : Hebr. supple, devenitur. Omnia exhaurit villis meretricula. « Mulier autem viri pretiosam animam capit : » neque tantum bona corrumpit, sed etiam ipsam animam ℣ 32.

27—28. « Numquid potest homo. » Hæc cogitent qui se media in pericula conjiciunt, fortesque futuros se putant : recte autem Ambrosius : « Nemo adversus seipsum diu fortis est. » Vide similem sententiam Eccli. xiii. 1.

dere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?
28. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?
29. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.
30. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam:
31. Deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet.
32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:
33. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.
34. Quia zelus et furor viri non parcet in diæ vindictæ,
35. Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

CAP. VII. Iterum attentio ad legem: sapientia, soror, amica; quæ a mulierum avertat illecebris: earum fallaciæ, fictus amor, procacitas: esca libidinum, luxus, mollitias, odoramenta: hinc vincula, laquei, sagittæ, vulnus immedicabile, mors denique.

1. Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili,
2. Serva mandata mea, et vives: et legem meam quasi pupillam oculi tui:
3. Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.
4. Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca amicam tuam,
5. Ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.
6. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi:
7. Et video parvulos, considero vecordem juvenem,
8. Qui transit per plateam juxta angulum, et prope viam domus illius graditur
9. In obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine.
10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas; garrula et vaga,
11. Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,

29 « Non erit mundus cum tetigerit eam: » innoxius, impunis.

30 « Non grandis est culpa: » furtum, præ adulterio scilicet. At Hebr. non spernent furem, non probro afficient, non flagris cædent, sed pecunia mulctabunt; adulterum vero nece.

31 « Reddet septuplum: » phrasis Hebr. Septenarius numerus incertus pro certo, eoque magno: nam in lege pro furto non septuplum, sed duplum iudicitur, vel quadrupulum, vel ad summum quintuplum. « Exod. » XXII. 1, 4, 7, 9. « Omnem substantiam domus suæ tradet. » Quia etiam si reddere non possit rem ipsem cum augmento, ipse venumdabitur. « Exod. » XXII. 3.

32 « Adulter... propter cordis inopiam: » propter stultitiam: « perdet animam suam: » morte damnabitur. Levit. XX. 10. et alibi sæpe. Perdet etiam animam in æternum, peccato, cupiditatibus, pœnæ addictus.

3 « Liga eam: » supra, VI. 21.

7 « Et video parvulos: » imperitos, adolescentulos capere et capi quærentes: ut supra, cap. VI. 25, 26.

8—9 « Qui transit... juxta angulum, et prope viam domus illius: » meretricis: malæ rei sibi conscius, non adit recta domum infamem impudicitiis, sed transeuntis specie, prope et circa angulum obambulat; tum nocte occulit flagitium. Unde sequitur: « in obscuro: in noctis tenebris. »

10 « Et ecce occurrit illi: » cunctabundo et verecundo, « mulier præparata: » Hebr. custodita corde, astuta, instructa dolis; « ad capiendas animas: » 70. quæ facit juvenum avolare corda: deest in Hebr. sed suppletum ad hujus loci mentem, ut patebit ℣ 22, 23 et seq. « Garrula: » quod alii, tumultuosam: Aquila otiosam vertit; Hieronymus ipse clamosam infra, IX. 13. Huic simillimæ illæ a Paulo memoratæ « adolescentiores » viduæ, « quæ primam fidem irritam fecerunt; simul autem et otiosæ discunt circuire domos; non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. » I. Tim. V. 11, 12 et seqq. « Et vaga: » declinans: Hebr. quod vagam et inquietam sonat: 70. volatica.

11 « Quietis impatiens? » deest Hebr. Videtur autem esse expositio præcedentis vocis, « vaga: » et congruit seqentibus: « nec valens in domo consistere: » quod otiosa, quod curiosa, quod garrula, ut Paulus dicebat,

12. Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.

13. Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens :

14. Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea.

15. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre; et reperi.

16. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto :

17. Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo.

18. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.

19. Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima.

20. Sacculum pecuniæ secum tulit : in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.

21. Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum.

22. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur,

23. Donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum : et nescit quod de periculo animæ illius agitur.

24. Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verbis oris mei.

25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua : neque decipiaris semitis ejus.

26. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

27. Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

12 « Nunc foris : » in vico : Hebr. « nunc in plateis; nunc in angulo : » juxta omnem angulum : Hebr. in omni angiportu. Et hæc vagandi causa, quod ubique venetur animas, novosque amatores conciliare studeat.

13 « Et procaci vultu blanditur : » obfirmata facie dicit : Hebr.

14 « Victimas pro salute vovi : » victimas pacificas, festas ac lætas, e quibus solis licebat sacrum instituere epulum.

15 « Idcirco egressa sum in occursum tuum : » ut participem te lætitiæ et convivii facerem.

16 « Intexui funibus : » stragulis emollivi : tesselatis stravi linteis, sive peristromatis : opere Ægyptio longe optimo ac pretiosissimo.

17 « Aspersi cubile... myrrha. » Vide autem non modo blanditias et amplexus, verum etiam suffimenta, odores, opipara convivia, exquisitosque et exoticos ornatus omnino ad amatoria pertinere. « Quam fœda sunt, » ait Tertullianus, « sine quibus non potuit meretrix et prostituta describi ! » (De cultu fœmin. lib. II. n. 12.)

18 « Inebriemur uberibus : » sic fere antiqui interpretes : alia lectio, amoribus : quam nunc Hebræus habet, levissimi apicis mutatione. « Inebriemur » autem ebrietate pessima, sicut ait Propheta : « Ebria non a vino. » Is. LI. 21. Vino enim ebrii, postquam tantillum hesternam crapulam edormiverint, sani sunt : at ebrii amoribus ac voluptatibus, nec jam sui compotes, nullo more modoque furunt.

19 « Non est... vir in domo : » ad tutas diuturnasque provocat libidines.

20 « Sacculum pecuniæ secum tulit : » grande viaticum : « in die plenæ lunæ : » alii in novilunio, ut Psal. LXXX. ℣ 4. stato die vel condicto; solemniori forte, cujus religione solebant reduci domum : ne subitum atque inopinum reditum metuas.

21 « Irretivit eum : »

22 « Statim... sequitur : »

23 « Donec transfigat sagitta. » Vide autem qua verborum et comparationum non modo elegantia, sed etiam vi ac pondere, omnia voluptatum avocamenta congerat : ea vincula, ea mortes : ad hæc cæcitatem atque amentiam ultro irruentis in ictus et immedicabiliter vulneratur : quo quid tetrius?

26 « Multos enim... dejecit : » ad extremum deterret exemplis. « Fortissimi quique : » sic Samson, sic David, sic alii innumerabiles : nec ipse Salomon sapientissimus mortalium, ac tam diligens monitor, declinavit ictus.

27 « Penetrantes in interiora mortis : » descendentes ad penetralia mortis, ne te speres facile ex hoc barathro emersurum. Penetralia autem mortis, servire cupiditatibus, et a peccato vinci, trahi, possideri, extincto mentis lumine, et conscientiæ sensu; ut jugum excutere, nec, si velis, possis; neque supersit aliud, quam illud Davidicum : « de necessitatibus meis erue me, » Psal. XXIV. 17. Vide etiam infra, VIII 35, 36.

CAP. VIII. Sapientiæ invitantis clamor : auctoritas : divitiæ : opera : eadem ex Deo genita, eique assistens et cooperans.

1. Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam?
2. In summis, excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans,
3. Juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens :
4. O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.
5. Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes animadvertite.
6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum : et aperientur labia mea, ut recta prædicent.
7. Veritatem meditabitur guttur meum : et labia mea detestabuntur impium.
8. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.
9. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam.
10. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam : doctrinam magis, quam aurum eligite.
11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis : et omne desiderabile ei non potest comparari.
12. Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.
13. Timor Domini odit malum : arrogantiam et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor.
14. Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.
15. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.
16. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.
17. Ego diligentes me diligo ; et qui mane vigilant ad me, invenient me.
18. Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia.

1 « Numquid non sapientia clamitat : » inculcat, pro more, jam dicta, I. 20, 21.

2 « Supra viam, in mediis semitis : » in viis, in inviis.

3 « Juxta portas civitatis : » ubique obvia et parabilis. Sic Christus vera sapientia, et in monte os suum aperuit, et in desertis non modo corpora, sed etiam animas pavit, et obvios quosque sanavit, terrasque et aquas benefaciendo pertransiit, et in portis Naim mortuum suscitavit, et ad maris littora e navicula docuit, et in domibus, in conviviis, in synagogis, in vicis, in urbe, in oppidis et in castellis, in templo et extra templum prædicavit ; neque quidquam intentatum reliquit, quo se omnibus obvium faceret.

4 « O viri, ad vos clamito : » jam ipsa sapientia se commendat ; primum a benevolentia, quod ultro invitet homines, nec modo vocibus, sed etiam clamoribus ; alterum a gravitate rerum, quod magna locutura sit, ℣ 5. tertium quod recta, quod vera, ℣ 6, 7. quod irreprehensibilia, ℣ 8.

10 « Accipite disciplinam .. et non pecuniam : » quartum ab utilitate, quod sapientiæ dona, opes omnes facile exsuperent : quod fuse exequitur, ℣ 11, 18, 19.

12 « Ego sapientia habito in consilio : » quintum, ab eorum claritudine quorum consortio gaudet, ac primum sapientum. « Habito in consilio ; » non in temerariis vulgi concursationibus ; sed in cœtibus ratione et consilio constitutis.

13 « Arrogantiam et superbiam : » sextum, a sanctitate, quod vitia omnia arceat. « Os bilingue : » fallax, varium, instabile : de quo sæpe in his libris.

14 « Meum est consilium : » pars altera sanctitatis, quod virtutes omnes conciliet, et complectatur.

15—16 « Per me reges regnant : » septimum, ab auctoritate, atque utilitate publica, quod leges, quod judicia, quod imperia, quod regna constituat ac stabiliat, res optimas et bono publico natas.

17 « Ego diligentes me diligo : » iterum a benignitate, ac benevolentia, quod cum tanta sit, repellat a se neminem. « Qui mane vigilant : » ea diligentiam interrumpentis somnos, et ad Deum inclamantis : « Ad te de luce vigilo. » Psal. LXII. 1. Unde « omnis populus manicabat (summo mane pergebat) ad Christum « in templo audire eum. » Luc. XXI. 38. Odit enim sapientia torporem ac somnolentiam.

18 « Mecum sunt divitiæ, et gloria : » multi enim divites, sed indecores, inglorii ; non ita sapientiæ alumni. « Opes superbæ, et justitia : » quæ plerumque inter se dissident, partis quacumque divitiis, unde » opes superbæ ; » in Heb. duraturæ, stabiles : quod justitia præstat.

19. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo.

20. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii,

21. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.

23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret.

24. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant;

25. Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar;

26. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ.

27. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos:

28. Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum:

29. Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ:

30. Cum eo eram, cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

31. Ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

32. Nunc ergo, filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas.

33. Audite disciplinam, et estote

19 « Genimina mea; » proventus mei.

22 « Dominus possedit me: » ultimus ac præcipuus locus: ab ipsa origine sapientiæ. Jam enim ab effectis ejus ac fructibus ad ipsum fontem assurgit, quod est sapientia ipsa, et « Verbum Dei in excelsis. » Eccli. I. 5. Qui locus etiam pertractatur. Sap. VII. VIII. « Possedit me: » acquisivit, genuit. « Ab initio viarum: vel ut habet Heb. principium viæ suæ: per quam omnia ordiretur. Quem locum Joannes respicit. Apoc. III. 14. ubi Verbum appellat « principium creaturæ Dei: in quo creandi principium est. Sic, « possedi hominem per Deum: » Genes. IV. 1. LXX. *ectisé*, creavit, condidit, sive, ut alii reddunt, constituit, ordinavit. Athan. orat. III. adv. Arian. et seq. nunc orat. II. n. 80. et seq. Euseb. lib. III. de Eccles. Theol. Melius cum eodem Eusebio ibidem, atque aliis vetustis auctoribus, reponendum esset secundum Hebræum, atque ex ipsius Aquilæ litteratissimi interpretis versione *ectésato*, possedit, genuit. « Antequam quidquam faceret a principio. » Sapientia enim genita et concepta est, partuque edita: ut etiam habes, ℣ 24, 25. Unde Joan. I. 1. de Verbo dicitur: « In principio erat: » tum, ℣ 3. « omnia per ipsum facta sunt; » ut hæc quidem facta sint in tempore: ipse vero Sermo ab æterno genitus, atque adeo unigenitus. Joan. I. 14, 18.

23 « Ab æterno ordinata sum: constituta sum, uncta sum, principatum habui: Heb. fundata sum: LXX. Dominus fundavit me: *étémélioué*.

24 « Necdum fontes aquarum eruperant: » fontes, moles seu congeries aquarum: Heb. sive abundantes aquis.

25 « Necdum montes gravi mole constiterant: » ante montes defixos, constitutos: Heb. « gravi mole, » ex ℣ superiore translatum. « Ante colles parturiebar. » *ôdunéthén*, Aquila. *genna me*, gignit me, LXX. Chal. genita eram.

26 « Et flumina: » ita Chald. *chôras kai aoiketous*, LXX. habitatam et desertam: quod alii vertunt, terram et plateas. « Et cardines: » queis terra ipsa constat, nec ut pulvis dispergitur: unde Hebræus ad verbum: caput pulverum orbis.

27 « Quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: » quando mare circumducebat in sphæræ formam: quasi circino desuper ducto: id enim Hebr. sonat.

28 « Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: » nubes in excelso suspensas: ita LXX. et Chal. nempe aquas illas quæ supra firmamentum, id est, supra cœlum, feruntur: jam pergit ad alias aquas, marinas scilicet, ab illis sublimioribus medio aere intersectas.

29 « Quando circumdabat mari... quando appendebat fundamenta terræ: » statuebat: collocabat: quasi utrimque librabat, ut firma consisterent.

30 « Cum eo eram: » apud eum: « Hoc erat: in principio apud Deum: » Joan. I, 2. « Cuncta componens: » quod alii vertunt, alens, nutriens: sive fovens, regens instar pædagogi. LXX. aptans. « Delectabar: » videbat enim « Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Gen. I. 31. Per singulos dies, » neque enim tantum summa ipsa operis delectatus; sed per singulos dies videbat quod fecerat, quod esset bonum, « Gen. » I. 4, 10, etc.

31 « Ludens in orbe terrarum: » facilitatem, varietatem, jucunditatem designat operis. « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Sic Baruch. III, 38. « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

sapientes, et nolite abjicere eam.
34. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.
35. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino :
36. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

CAP. IX. Sapientiæ domus : convivium : documenta : adversus meretricios amores.

1. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.
2. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.
3. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis :
4. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est :
5. Venite : comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.
6. Relinquite infantiam, et vivite, ambulate per vias prudentiæ.
7. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat.
8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te.
9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere.
10. Principium sapientiæ, timor Domini : et scientia sanctorum, prudentia.
11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ.
12. Si sapiens fueris, tibimet ipsi eris : si autem illusor, solus portabis malum.
13. Mulier stulta, et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens,
14. Sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco,
15. Ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo :
16. Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est :

35 « Qui me invenerit... et hauriet salutem a Domino : » Pro quo LXX. habent celebratissimum illud : et paratur voluntas a Domino.

1 « Sapientia ædificavit sibi domum : » videtur sanctam ac vere magnificam sapientiæ invitantis domum, meretricis opponere sumptuosis ac luxuriosis ædibus : convivium, convivio : victimas, victimis. Supra, VII. 14 et seq. « Excidit columnas septem. » In illa meretricia domo odores, mollitiemque inveneris : nil firmi, nil solidi : at hic statim columnas septem. Domus illa Ecclesia est : homo ipse est sapientiæ sedes.

2 « Miscuit vinum, et proposuit mensam suam : » in qua eloquia pro cibis opponuntur ; ubi etiam eucharistiæ adumbrat mysterium.

4 « Si quis est parvulus, veniat ad me. Sinite parvulos... ad me venire : » Matt. XIX. 14. ut ad veram sapientiam adolescant : et « quisquis non receperit regnum Dei, velut parvulus, non intrabit in illud. » Marc. X. 15.

6 « Relinquite infantiam : » ne parvuli sitis sensibus. I. Cor. XIV. 20. « Et vivite : » vera enim vita, sapientia.

7 « Qui erudit derisorem : » quia insipientes invitaverat, existimare poterant omnes homines esse idoneos ad capessenda præcepta sapientiæ : quod contra est, cum derisores arceat : derisores autem vocat impios, quibus ipsa doctrina ludibrio est.

9 « Da sapienti occasionem : » deest Hebr. habent LXX. « Festinabit accipere ; » addet doctrinam : Hebr.

10 « Scientia sanctorum, » vera « prudentia » est, quippe quæ verum ad scopum tendat : » imprudentia stultorum errans : » infra, XIV. 8. nullo certo vitæ fine constituto.

13 « Mulier stulta, et clamosa : » quod supra vertit garrulam, VII. 10. « Plena illecebris : » insipiens : Hebr. Tertio et quarto mulierem blandientem opponit sapientiæ : adeo voluptas inimica virtuti est. Plerique e Patribus per amores meretricios intelligunt hæreticorum fallaces illecebras, furtiva colloquia et laqueos, quibus animæ capiuntur et pereunt.

14 « Sedit in foribus : » otiosa, inutilis ; sic otium perducit ad libidinem.

15 « Ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo : » incautos et aliud agentes.

16 « Qui est parvulus, » juvenculus et ætatis flore ebrius, « veniat ad me : » Sapientia invocabat parvulos, ut doceret : supra, 4. hæc : ut perdat, allicit.

17. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.

18. Et ignoravit quod ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus.

CAP. X. PARABOLÆ SALOMONIS *. Piger, 4, 5, 26. mendax : contumeliosus : malis omnia metuenda : nil ab ipsis, 24. verbosus, 25. parce et sapienter loquens, 10, 11 et seq. 19, 20, 21, scelus per risum, 23. simplicitas, justitia, veritas, benevolentia, 32.

1. Filius sapiens lætificat patrem : filius vero stultus mœstitia est matris suæ.

2. Nil proderunt thesauri impietatis : justitia vero liberabit a morte.

3. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet.

4. Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos : idem autem ipse sequitur aves volantes.

5. Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate, filius confusionis.

6. Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas.

7. Memoria justi cum laudibus; et nomen impiorum putrescet.

8. Sapiens corde præcepta suscipit : stultus cæditur labiis.

9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit.

10. Qui annuit oculo, dabit dolorem : et stultus labiis verberabitur.

11. Vena vitæ, os justi : et os impiorum operit iniquitatem.

12. Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas.

13. In labiis sapientis invenitur sapientia : et virga in dorso ejus qui indiget corde.

14. Sapientes abscondunt scientiam : os autem stulti confusioni proximum est.

15. Substantia divitis, urbs forti-

17 « Aquæ furtivæ dulciores sunt. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me : » Rom. VII. 11. et quanto minus licet, tanto magis libet, Aug. ad Simplic. 2.

18 « Et ignoravit quod ibi sint gigantes : » ibi mortui : manes : sive mors, sepulcrum : ut supra, 11, 18, VII. 27. eamdem vocem supra, II. 13. Vulg. mortem interpretatur. Hactenus sermo adhortatorius.

* « Parabolæ Salomonis : » novus titulus, nova quoque scribendi ratio : sermonibus adhortatoriis, ac præparatoriis continuis qui antecesserunt, succedunt breves variis de rebus absolutæque sententiæ : illic *parainesis*, sive commonitio et hortatio : hic *gnômai*, sive sententiæ.

1 Filius sapiens lætificat patrem. » Hic et in toto libro passim teneræ animæ, et ad rationum pondera ferenda imbecilles, ipsa erga parentes innata pietate, deducuntur paulatim ad sapientiam.

2 « Nil proderunt thesauri impietatis : » impietate parti.

3 « Et insidias impiorum subvertet : » pravitatem : Hebr. substantiam : Chal. vitam : LXX.

4 « Egestatem operata est manus remissa : » pigra : alii, dolosa. Infra, cap. XII. ℣ 27. « Qui nititur mendaciis : » deest Hebr. LXX. aliud reponunt.

6 « Os impiorum operit iniquitas : » turpitudo et pœna. Beda legit iniquitatem : ut et Hier. vertit infra, 11. Operit autem, dum fictis verbis excusat.

8 « Stultus cæditur labiis : » dicteriis proscinditur : ut infra, 10.

9 « Depravat vias suas : » dissimulator, versipellis. « Manifestus erit : » quod maxime timet, ipsis fraudibus deprehensus.

10 « Qui annuit oculo : » deceptor, de quo supra, VI. 12, 13. « Dabit dolorem : » et sibi, et aliis, ibid. 14, 15.

12 « Odium suscitat rixas : » et tibi et aliis noxias. « Universa delicta operit caritas : » aliorum quidem condonando et excusando : nostra quoque, veniam ea benignitate facile impetrando; quo Petrus spectasse videtur, I. IV. 8.

13 « Qui indiget corde : » intellectu, sapientia. « Audi, populo stulte, qui non habes cor. » Jer. V. 21.

14 « Sapientes abscondunt scientiam : » quorum quippe gravitas ab omni jactantia abhorreat. « Os autem stulti confusioni proximum est : » præ multiloquio.

15 « Substantia divitis, urbs fortitudinis : » instar munitæ arcis. Aliæ postea sententia divitum retundent superbiam : vide interim infra, 22.

tudinis ejus : pavor pauperum egestas eorum.

16. Opus justi ad vitam : fructus autem impii ad peccatum.

17. Via vitæ, custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat.

18. Abscondunt odium labia mendacia : qui profert contumeliam, insipiens est.

19. In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua : prudentissimus est.

20. Argentum electum, lingua justi : cor autem impiorum pro nihilo.

21. Labia justi erudiunt plurimos : qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

22. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.

23. Quasi per risum stultus operatur scelus : sapientia autem est viro prudentia.

24. Quod timet impius, veniet super eum : desiderium suum justis dabitur.

25. Quasi tempestas transiens, non erit impius : justus autem quasi fundamentum sempiternum.

26. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis; sic piger his qui miserunt eum.

27. Timor Domini apponet dies : et anni impiorum breviabuntur.

28. Expectatio justorum lætitia : spes autem impiorum peribit.

29. Fortitudo simplicis via Domini : et pavor his qui operantur malum.

30. Justus in æternum non commovebitur : impii autem non habitabunt super terram.

31. Os justi parturiet sapientiam : lingua pravorum peribit.

32. Labia justi considerant placita : et os impiorum, perversa.

CAP. XI. Æqua mensura : justitia divitiis melior : amicus infidus, sapiens magistratus, 14. verus decor, 32. beneficentia, rem auget, 24 et seq. vigilantia in bono, justitiæ et sapientiæ fructus 28 et seq.

1. Statera dolosa, abominatio est apud Dominum, et pondus æquum, voluntas ejus.

2. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi est sapientia.

17 « Custodienti disciplinam : » castigationem amanti. « Qui increpationes relinquit, errat. » Neminem enim habet, qui reducat errantem.

18 « Abscondunt odium : » odium neque celandum per dissimulantiam, neque per insipientiam proferendum : ergo non habendum.

21 « In cordis egestate morientur : » vecordia, insipientia, et ita passim.

23 « Quasi per risum... » Stultus gaudet sceleribus, improvidus, ac finis nescius : prudens autem, qui et providens, futura providet cogitatque illud : « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat : » infra, XIV. 13. vel, per simulationem fingit se ludere, cum sævit : infra, XXVI. 18, 19.

25 « Quasi tempestas transiens, non erit impius : » ita persecutores, ita reges iniqui, ac violenti quique homines. Ergo dum minantur, dum furunt, secede tantisper velut a pluvia, ipsa se tempestas impetu dissolvet suo ; neque interim evertet justos, quos fides efficit « fundamentum sempiternum. »

26 « Sicut acetum dentibus, » quo obstupescunt; « et fumus oculis, » quo caligant : ita piger, a viris quantumvis fortibus ac perspicacibus adhibitus ad negotia eorum rectis virilibusque consiliis vim detrahit, offundit tenebras. Fortis, mitte fortes, non desides; ne optima quæque negotia per legati socordiam pereant.

32 « Labia justi considerant placita : » placentia : cupit enim amare, laudare. « Os impiorum, perversa : prava, noxia : cum nocendi et maledicendi studio teneatur.

1 « Statera dolosa : » quod ad omnem injustitiæ speciem Beda transfert, eo quod omnis injustitia iniqua sive inæquali mensura constet. Hinc varias recensent injustitiæ species, qualis est contumelia, ℣ 2. pravitas 3. divitiæ male partæ 4. fides prodita in amicos, 9, 12, 13. Causa autem omnis injustitiæ, civitas magistratibus rectisque consiliis destituta, 14. Hæc habet usque ad illum versum ; quanquam et alia interserit. « Voluntas ejus : » amor, placitum.

2 « Ubi humilitas ... Revelasti » enim « ea parvulis. » Matth. XI. 25.

3. Simplicitas justorum diriget eos : et supplantatio perversorum vastabit illos.

4. Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte.

5. Justitia simplicis diriget viam ejus : et in impietate sua corruet impius.

6. Justitia rectorum liberabit eos : et in insidiis suis capientur iniqui.

7. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes : et expectatio sollicitorum peribit.

8. Justus de angustia liberatus est : et tradetur impius pro eo.

9. Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia.

10. In bonis justorum exultabit civitas : et in perditione impiorum erit laudatio.

11. Benedictione justorum exaltabitur civitas, et ore impiorum subvertetur.

12. Qui despicit amicum suum, indigens corde est : vir autem prudens tacebit.

13. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.

14. Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem, ubi multa consilia.

15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo : qui autem cavet laqueos, securus erit.

16. Mulier gratiosa inveniet gloriam : et robusti habebunt divitias.

17. Benefacit animæ suæ vir misericors : qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

18. Impius facit opus instabile : seminanti autem justitiam merces fidelis.

19. Clementia præparat vitam : et sectatio malorum mortem.

20. Abominabile Domino cor pravum : et voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.

21. Manus in manu, non erit innocens malus : semen autem justorum salvabitur.

22. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.

23. Desiderium justorum omne bonum est; præstolatio impiorum furor.

3 « Supplantatio, » seu nequitia, pravitas : Hebr. « perversorum vastabit illos. »

4 « Non proderunt divitiæ : » ad justitiam pertinet contemnere divitias, quarum fere gratia injusta molimur.

7 « Expectatio sollicitorum peribit : » roborum : Hebr. potentium, divitum, qui et ipsi semper solliciti : contra justus securus, at supra, III. 12, 24, 25. antiqua translatio ex Beda : justi non perit spes; gloria impiorum peribit.

8 « Tradetur impius pro eo. » Vide XXI. 18.

9 « Justi autem liberabuntur scientia, » fraude non indigebunt, recto firmoque judicio fulti.

11 « Benedictione justorum exaltabitur civitas : » faustis precationibus : « ore impiorum, » blasphemis vocibus « subvertetur. »

12 « Vir autem prudens tacebit : » amici vitia : ut ŷ seq.

15 « Qui autem cavet laqueos : » qui odit stipulantes : Hebr. hoc est, fidejussiones, sponsiones : qua de re, VI. 1.

16 « Mulier gratiosa... et robusti... » Quam certum est mulierem, formæ gratia, commendari, tam certum est strenuos atque industrios viros parare divitias. De forma, infra, 21.

17 « Qui autem crudelis est,.... propinquos abjicit : » ne illos quidem novit : at Hebr. perturbans carnem suam, crudelis : hoc est, sibi nocet qui crudelis est : quod priori parti congruit. Vel, ne sis immisericors in proximum : » et carnem tuam ne despexeris. Is. LVIII. 7.

18 « Impius facit opus instabile : » ei similis, qui ædificat super arenam. Matt. VII. 26. « Seminanti autem justitiam merces fidelis : » stabilis, certa.

19 « Clementia præparat vitam : » justitia : Hebr. LXX. « Et sectatio malorum mortem : » sectator.

21 « Manus in manu : » etiam cessans, mala cogitat : nunquam a pravis machinationibus otiatur. Infra, XVI. 5. Alii : « Jungens dextras decipit : » data etiam fide.

22 « Circulus aureus in naribus suis : » porci. Forma insipientem tam dedecet, quam inanes suem : nota ornamenta ex fronte pendentia in nasum. « Ezech, XVI. 12. et Hier. ibidem.

23 « Præstolatio impiorum furor, » Dei scilicet.

24. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.
25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.
26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium.
27. Bene consurgit diluculo, qui quærit bona; qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.
28. Qui confidit in divitiis suis, corruet; justi autem quasi virens folium germinabunt.
29. Qui conturbat domum suam, possidebit ventos : et qui stultus est, serviet sapienti.
30. Fructus justi lignum vitæ : et qui suscipit animas, sapiens est.
31. Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator.

CAP. XII. Utile corripi : prodest pietas : impiis celer interitus, 7. bona mulier : ex sermonibus quisque cognoscitur : pauper : operans : iners, 9, 11, 34. immitis : sibi placens; ira tegenda : temeraria promissa : 16, 17, testis verax : mendaces : amicus verus.

1. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam : qui autem odit increpationes, insipiens est.
2. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino : qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit.
3. Non roborabitur homo ex impietate : et radix justorum non commovebitur.
4. Mulier diligens, corona est viro suo : et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.
5. Cogitationes justorum judicia : et consilia impiorum fraudulenta.
6. Verba impiorum insidiantur sanguini : os justorum liberabit eos.
7. Verte impios, et non erunt : domus autem justorum permanebit.
8. Doctrina sua noscetur vir : qui autem vanus et excors est, et patebit contemptui.
9. Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane.

24 « Alii dividunt propria : » Hebr. est dispergens, et additur ei amplius : est parcens (rei) plus æquo, etiam ad egestatem : quod ultimum potest etiam verti : est subtrahens non recte : quod Vulg. vertit : « est rapiens non sua : » recte LXX. Sunt qui propria seminantes, plura faciunt : sunt et qui congregantes minuuntur : ducta similitudine a seminatis granis. Præclara sententia : qui enim dare scit in loco et tempore, ei res ex ipsa etiam liberalitate crescit : præsertim per eleemosynas, Deo benedicente : qui autem non ratione regitur, sed impetu, is simul raptor, largitor, suaque et aliena corrumpet. Vide seq. et infra, XIII, 7.

25 « Et qui inebriat : » irrigat, potat egenos : « Inebriabitur : » rebus omnibus abundabit.

27 « Qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. » Simplicius Hebr. quærenti malum, occurret ei.

29 « Qui conturbat domum suam : » decoctor seu rei suæ negligens. « Et qui stultus est : » nempe ille decoctor.

30 « Fructus justi lignum vitæ : » vita vivet; alludit ad Gen. II. 9. « et qui suscipit animas : » egenos, hospites, « sapiens est : » providus qui aliis benefaciendo, ipse sibi consulit.

31 « Si justus in terra recipit : si Abel, si Job, si Daniel, si Tobias, aliique justi tanta patiuntur; quid impii, quid Antiochus, quid cæteri pessimi homines? At LXX. « Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? » refert Petrus I. IV. 18.

1 « Qui diligit disciplinam : » emendationem, correctionem : Heb. et ita passim.

2 « Qui autem confidit in cogitationibus suis : » recte reddit Hebræum : virum cogitationum damnabit, Deus scilicet : quod tamen alii supplent, virum cogitationum, malarum scilicet.

4 « Mulier diligens : » fortis : virtute prædita. « Quæ confusione res dignas gerit : » probrosas et indecoras.

5 « Cogitationes justorum judicia. » Nil nisi æqua et justa cogitant.

7 « Verte impios : » fac vertantur vel leviter; ut averterint oculos : « et non erunt : » ictu oculi : momento concident : sic David : « Vidi impium exaltatum... transivi, et ecce non erat. » Ps. XXXVI. 35. LXX. quocumque se vertet impius, concidet.

9 « Melior est pauper et sufficiens sibi : » servus sibi : Heb. sibi ipsi serviens, sive consulens.

10. Novit justus jumentorum suorum animas : viscera autem impiorum crudelia.

11. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.

12. Desiderium impii munimentum est pessimorum : radix autem justorum proficiet.

13. Propter peccata labiorum, ruina proximat malo : effugiet autem justus de angustia.

14. De fructu oris suis unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

15. Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia.

16. Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est : qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

18. Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ : lingua autem sapientium sanitas est.

19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum : qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.

20. Dolus in corde cogitantium mala : qui autem pacis ineunt consilia sequitur eos gaudium.

21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo.

22. Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei.

23. Homo versutus celat scientiam : et cor insipientium provocat stultitiam.

24. Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet.

25. Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur.

26. Qui negligit damnum propter amicum, justus est : iter autem impiorum decipiet eos.

10 « Novit justus jumentorum suorum animas : » etiam pecora sua curat; quasi diceret : injustus autem, nec homines : unde subdit : « Viscera impiorum crudelia. » Audiant pastores et principes.

11 « Qui suavis est in vini demorationibus : » in assiduis compotationibus. « In munitionibus suis : » utcumque se muniat, patebit contumeliæ. Deest Heb. habent LXX.

12 « Desiderium impii munimentum est pessimorum. » Votum impii est protegere malos « Radix justorum proficiet : » ultro, non malis artibus. Hebr. Dabit supple fructum, quod idem est.

13 « Propter peccata labiorum : » verbis pravis malus capitur; at justus his se expedit : innocentia sua tutus.

16 « Fatuus statim indicat : » insipientis est non posse vel premere iram, ac verbis parcere. « Qui dissimulat injuriam, callidus est : » cautus est; invenit damni sarciendi locum.

17 « Qui quod novit loquitur : » testem veracem a falso secernit : quod explicat infra, 19. et clarius XIV. 5.

18 « Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ : » dum promissorum immemor, a conscientia reprehenditur : vel, est qui levitate animi indecora et incongrua pollicetur : ac postea pœnitentia ductus, dicta revocare vellet, ut Herodes in illa psaltria. « Matth. » XIV. At Hebr. est qui effutit quasi punctiones gladii : est cujus verba sunt instar gladii, detractoi scilicet : at justi verba mitia, sanant vulnera, nedum inferant.

19 « Labium veritatis firmum.... » testis verax sibi constat. « Qui testis est repentinus : » improvidus, improvisus, nec rei gnarus. At Hebr. ad momentum lingua mendacii : statim inscitiam aut nequitiam prodit.

20 « Dolus, » res tristis, « in corde cogitantium mala : » pacis consiliarios « sequitur gaudium : » ex animi sinceritate et conscientiæ integritate proveniens.

21 « Non contristabit : » non accidet justo quidquam adversum, (aut iniquum) Hebr.

23 « Homo versutus : » prudens, callidus, « celat scientiam : » non omnia quæ novit, statim expromit. « Et cor insipientium provocat stultitiam ; » clamat, prædicat, id est, suam prodit stultitiam. Sensus Vulg. insipiens stulte ipse loquendo, stultos sermones elicit.

24 « Manus fortium : » sollicitorum, vigilantium : Hebr. supra, X. 4. « Manus remissa : » alii, dolosa, fraudulenta, ut infra, ℣ 27.

25 « Mœror in corde viri : » mœstum erige dictis bonis.

26 « Qui negligit damnum : » alii, abundat proximo suo justus : in eum est liberalis : alii, præ proximo suo · justi viri domus, cæteris locupletior.

27. Non inveniet fraudulentus lucrum : et substantia hominis erit auri pretium.

28. In semita justitiæ, vita : iter autem devium ducit ad mortem.

CAP. XIII. Bona educatio : tacere, optimum : loquax : piger, 4. mendax : inter superbos jurgia : divitiæ festinatæ : ex amicis quisque dignoscitur, 20. educatio, 24. justi domus stabilis : vir bonus, suo contentus.

1. Filius sapiens, doctrina patris; qui autem illusor est, non audit, cum arguitur.

2. De fructu oris sui homo satiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua.

3. Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

4. Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur.

5. Verbum mendax justus detestabitur; impius autem confundit et confundetur.

6. Justitia custodit innocentis viam; impietas autem peccatorem supplantat.

7. Est quasi dives, cum nihil habeat; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.

8. Redemptio animæ viri, divitiæ suæ; qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

9. Lux justorum lætificat; lucerna autem impiorum extinguetur.

10. Inter superbos semper jurgia sunt; qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

11. Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

12. Spes, quæ differtur, affligit animam; lignum vitæ desiderium veniens.

27 « Non inveniet fraudulentus lucrum : » vel ignavus, supra, ℣ 24. « Et substantia hominis erit auri pretium ; » quemque suæ sustentant opes. Quidam ex Hebræo vertunt, « substantia hominis pretiosa seduli, » hoc est, substantia seduli diligentisque pretiosa est : vel nihil diligentia pretiosius.

28 « Iter... devium : » sive ut ex Hebr. verti potest : non iter, « ducit ad mortem : » alii totum, ut ex Hebr. sic vertunt : in semita justitiæ, vita : et via semitæ ejus, non mors : eadem sententia bis repetita.

1 « Filius sapiens, doctrina patris : » paternæ doctrinæ argumentum et fructus.

2 « De fructu oris : » ex Hebræo sic vertas : de fructu oris (verbis sanis) vir (bonus) comedet (colliget) bona : anima prævaricatorum (insipientium) injuriam (damna) supple, comedit, colligit.

3 « Qui autem inconsideratus est ad loquendum : » Hebr. Aperiens labia, ac recte suppletum, temere, inconsiderate.

4 « Vult et non vult piger : » infra XXI. 25, 26. « Desideria occidunt pigrum ; » nihil vere vult : multa optat : vana spe se oblectat : nil agit : sic qui converti differt : de quo Eccli. V 8.

5 « Impius autem, » qui non a mendacio abhorret, « confundit et confundetur : » pudefacit et pudefit : probro suis, sibique ; et fœtere faciet (se) et pudore afficiet (alios), eodem sensu : Hebr.

7 « Est quasi dives, cum nihil habeat : » parvo contentus, et pro rei suæ tenuitate liberalis. « Et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit : » prodigus, dissipator, sui alienique largitor. Spiritali sensu : dives ille, « Luc. » XVI. 19. vere pauper, qui bona jam recepit sua : at egens ille Lazarus, vere dives, quem Dei regnum manebat. Alii sic intelligunt : Est pauper divitiarum ostentator : est et dives modestus rei amplitudinem celans, ne invidiæ aut prædæ sit.

8 « Redemptio animæ viri, divitiæ : » dives a pravis machinationibus se expedit, pauper accusatus opprimitur : vel « increpationem, » verba asperiora « non sustinet : » quemadmodum apud Comicum :

Propter suam inopiam, semper se credunt negligi.

nec piget Salomonem, pro veteris Testamenti ratione, commendare divitias ad acuendam industriam. Cæterum ex divitiis vera redemptio, cum peccata eleemosynis redimunt. « Dan. » IV. 24.

9 « Lux justorum ; » felicitas : res prosperæ : « lætificat : » omnibus grata est.

11 « Substantia festinata : » ex vanitate : (quasi ex nihilo, sive eo malo) Hebr. « minuetur : » facile dilabetur.

13. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat; qui autem timet præceptum, in pace versabitur.

Animæ dolosæ errant in peccatis; justi autem misericordes sunt, et miserantur.

14. Lex sapientis fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.

15. Doctrina bona dabit gratiam; in itinere contemptorum vorago.

16. Astutus omnia agit cum consilio; qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

17. Nuntius impii cadet in malum; legatus autem fidelis, sanitas.

18. Egestas, et ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

19. Desiderium si compleatur, delectat animam; detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.

20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.

21. Peccatores persequitur malum et justis retribuentur bona.

22. Bonus relinquit hæredes filios, et nepotes; et custoditur justo substantia peccatoris.

23. Multi cibi in novalibus patrum; et aliis congregatur absque judicio.

24. Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.

25. Justus comedit, et replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.

CAP. XIV. Sapiens mulier : vir bonus ab iniquo despicitur : labor assiduus, 4. stultus : sapiens : falsæ pietatis malus exitus : gaudium : luctus : stulta credulitas : agere considerate : verbosus : actuosus, 23. regum regnorumque robur, 28, 34. boni administri regum, 35.

1. Sapiens mulier ædificat domum suam; insipiens extructam quoque manibus destruet.

2. Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.

3. In ore stulti virga superbiæ; labia autem sapientium custodiunt eos.

4. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.

5. Testis fidelis non mentitur; profert autem mendacium dolosus testis.

13 « Qui detrahit... rei : » verbum habet Hebr. quod sæpe pro re sumitur : LXX. sic vertunt, qui rem (qui negotium) contempserit, contemnetur ab ea : negotia non procedent ei, qui negligenter facit. Ex Hebræo sic vertas : qui contemnit verbum (nempe Dei) detrimentum patietur : quod postremæ parti sententiæ magis congruit. « Animæ dolosæ errant in peccatis : » deest Hebr. et LXX. habent aliud.

14 « Lex » (doctrina Hebr.) « sapientis, fons vitæ; ut declinet a ruina » (a laqueo Hebr.) « mortis. »

15 « Dabit gratiam : » grata erit : « in itinere contemptorum vorago. » Via transgressorum dura : Hebr. aspera, difficilis.

17 « Nuntius impii : » nuntius impius : Hebr. LXX. sic vertunt : Rex temerarius cadet in mala; legatus seu nuntius fidelis liberabit eum. Legerunt sine aleph : « Melech. » Quæ rex improvidus pessumdat, ea restituet administer bonus.

20 « Qui cum sapientibus : » tota sententia in Hebr. sic : Ambulans cum sapientibus, sapiens erit : pascenti stultos (convivanti cum eis) male erit. LXX. Ambulans cum insipientibus agnoscetur, hoc est, cujusque ingenium proditur a convictorum ingenio.

22 « Bonus relinquit hæredes filios : » sæpe in lege promissum. « Custoditur justo. » tota sententia : boni, suis; mali, alienis, justisque colligunt.

23 « Multi cibi : » planum : avita hæreditas fructuosa est : in Hebr. Vox « rhashim » quam Hier. Patrum, alii pauperum, alii principum vertunt : varieque interpretantur : principes enim colonis; pauperes industria et labore valere. Nec minus obscura est pars posterior sententiæ : quam sic ex Hebr. vertunt; et est qui consumitur ob non jus; est qui fame pereat, quod leges colendi agri, rusticanique operis rationem non intelligat.

25 « Justus comedit : » justus, et modico contentus est : malus nec superfluo ac nimio saturatur.

2 « Qui infami graditur via : » perversus via sua despicit eum · Hebr.

3 « In ore stulti virga superbiæ; » dicta factaque arrogantia.

4 « Ubi non sunt boves : » labore et industria copia paratur.

6. Quærit derisor sapientiam, et non invenit; doctrina prudentium facilis.

7. Vade contra virum stultum, et nescit labia prudentiæ.

8. Sapientia callidi, est intelligere viam suam; et imprudentia stultorum errans.

9. Stultus illudet peccatum; et inter justos morabitur gratia.

10. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

11. Domus impiorum delebitur; tabernacula vero justorum germinabunt.

12. Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.

13. Risus dolore miscebitur; et extrema gaudii luctus occupat.

14. Viis suis replebitur stultus, et super eum erit vir bonus.

15. Innocens credit omni verbo; astutus considerat gressus suos.

Filio doloso nihil erit boni; servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus.

16. Sapiens timet, et declinat a malo; stultus transilit, et confidit.

17. Impatiens operabitur stultitiam; et vir versutus odiosus est.

18. Possidebunt parvuli stultitiam, et expectabunt astuti scientiam.

19. Jacebunt mali ante bonos, et impii ante portas justorum.

20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit; amici vero divitum multi,

21. Qui despicit proximum suum, peccat; qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

22. Errant qui operantur malum; misericordia et veritas præparant bona.

23. In omni opere erit abundantia; ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

24. Corona sapientium, divitiæ eorum; fatuitas stultorum, imprudentia.

6 « Doctrina prudentium facilis : » neque enim inaccessa et inexplorata, sed regia incedunt via : nec sapientiam putant, nova et aliis ignota, sed sana promere : neque altiora et subtiliora, sed recta sectantur; et quæ tractant sublimia, enucleant, ac velut in lac temperant.

7 « Vade contra.... et nescit labia prudentiæ : » Hebr. nescies : quod utrumque verum est : si viro stulto occurrere satagas, facile deprehendes ejus inscitiam, ac simul prodes tuam. At Chal. vade a conspectu viri stulti : nescit enim verba prudentiæ.

8 « Sapientia callidi, est intelligere viam suam. » Sic enim David moriens monuerat : « Ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te veteris. III. Reg. II. 3. At stulti aguntur, non agunt, impetu rapiuntur. Unde subdit : « et imprudentia stultorum, errans : » dolus : Hebr. quod est, fallax; eodem sensu. Vide infra, 15.

9 « Stultus illudet peccatum : » ludificando excusat, et palliat peccata, et aliena et sua. « Inter justos.... gratia : » benevolentia : Hebr. quod nec aliis imponant, nec sibi.

10 « Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus : » et in gaudio : Hebr. « Non miscebitur extraneus; » alienus. Sunt qui a dolore suo avocent animum, voluptatibusque se obtundant, ne suam « amaritudinem » sentiant : sunt qui alieno arbitrio gaudeant et doleant, rerum suarum ignari : at cuique oportet ex seipso sui dolores, sua gaudia constent.

12 « Est via quæ videtur : » sic falsa pietas, falsus et amarus zelus, falsa pœnitentia pravis illudit animis.

15 « Innocens » (imperitus : Hebr.) « Credit omni verbo : astutus considerat » (ipse) « gressus suos; » nec se ad aliena quæque verba componit. « Filio doloso nihil erit boni : » deest Hebr. LXX.

17 « Impatiens : » facile excandescens, et in agendo præceps : Hebr. « operabitur stultitiam : et vir versutus odiosus est : » Vir cogitationum sive machinationum odio erit : Hebr. tam in agendo præceps, quam in cogitando et deliberando nimius, odio habentur.

18 « Et expectabunt astuti scientiam : » coronabuntur scientia : Hebr. vincent.

20 « Etiam proximo.. . pauper odiosus : » quo magis eum subleves : unde subdit :

21 « Qui despicit proximum : » pauperem licet, « peccat. Qui credit in Domino : » deest Hebr.

22 « Errant » (nonne errant? Hebr.) « qui operantur malum. » Asseverandi formula; quasi diceret : manifeste errant, aut, ut alii, ecce errant.

23 « In omni opere : » actuosi proficiunt, verbosi egent, quo nihil est verius.

24 « Fatuitas stultorum, imprudentia : » fatuitas, Hebr. eodem verbo repetito, quasi diceret: mera fatuitas.

25. Liberat animas testis fidelis; et profert mendacia versipellis.
26. In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes.
27. Timor Domini, fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.
28. In multitudine populi dignitas regis; et in paucitate plebis ignominia principis.
29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.
30. Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, invidia.
31. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis.
32. In malitia sua expelletur impius; sperat autem justus in morte sua.
33. In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.
34. Justitia elevat gentem; miseros autem facit populos peccatum.
35. Acceptus est regi minister intelligens; iracundiam ejus inutilis sustinebit.

CAP. XV. Verba mitia et sapientia : aspera et stulta, 1, 4. corripi bonum, 5, 10, 12, 32. domus justi stabilis : injusti, contra : impiorum victimæ : paupertas suo contenta, 15 et seq. piger sive iners, 19.

1. Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.
2. Lingua sapientium ornat scientiam; os fatuorum ebullit stultitiam.
3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.
4. Lingua placabilis, lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum.
5. Stultus irridet disciplinam patris sui; qui autem custodit increpationes, astutior fiet.
In abundanti justitia virtus maxima est; cogitationes autem impiorum eradicabuntur.
6. Domus justi plurima fortitudo; et in fructibus impii conturbatio.
7. Labia sapientium disseminabunt scientiam; cor stultorum dissimile erit.
8. Victimæ impiorum abominabiles Domino; vota justorum placabilia.
9. Abominatio est Domino via impii; qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.
10. Doctrina mala deserenti viam vitæ; qui increpationes odit, morietur.
11. Infernus, et perditio coram Domino; quanto magis corda filiorum hominum.
12. Non amat pestilens eum, qui se corripit; nec ad sapientes graditur.
13. Cor gaudens exhilarat faciem; im mœrore animi dejicitur spiritus.
14. Cor sapientis quærit doctrinam; et os stultorum pascitur imperitia.
15. Omnes dies pauperis, mali; secura mens quasi juge convivium.
16. Melius est parum cum timore

30 « Vita carnium, sanitas cordis, » sive sanum cor : ab ira et livore purum. « Putredo ossium, invidia : » marcescunt invidi, et mœrore tabescunt : vir bonus ipsa lætitia, et mente et corpore vegetus.

33 « Et indoctos quosque erudiet : » et in medio stultorum cognoscetur : Hebr. prævalente luce, et pervincente fama.

34 « Miseros autem facit populos peccatum : » extenuat : LXX. at Hebr. Ch. Syr. Misericordia in populos, peccatum, id est, sacrificium pro peccato, expiatio.

35 « Iracundiam ejus inutilis sustinebit : » qui confundit : Hebr. cujus administratio regiis consiliis deducus aut invidiam conciliat.

2 « Lingua sapientium : » vide 7.

3 « In omni loco : » junge cum 11.

5 « In abundanti justitia virtus maxima est. » Deest Hebr. habent. LXX.

7 « Disseminabunt scientiam; » nec tantum solide, sed etiam ornate, ex ℣ 2. « Cor stultorum dissimile erit : » non sic : Hebr.

11 « Infernus et perditio : » profunda terræ, loca abdita et invisa; mors ipsa.

15 « Secura mens quasi juge convivium : » læta paupertas, licet misera videatur. Junge sequentes duos versus.

Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.

17. Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio.

18. Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas.

19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo.

20. Filius sapiens lætificat patrem; et stultus homo despicit matrem suam.

21. Stultitia gaudium stulto; et vir prudens dirigit gressus suos.

22. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium; ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur.

23. Lætatur homo in sententia oris sui; et sermo opportunus est optimus.

24. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.

25. Domum superborum demolietur Dominus; et firmos faciet terminos viduæ.

26. Abominatio Domini cogitationes malæ; et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

27. Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam; qui autem odit munera, vivet.

Per misericordiam et fidem purgantur peccata; per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

28. Mens justi meditatur obedientiam; os impiorum redundat malis.

29. Longe est Dominus ab impiis: et orationes justorum exaudiet.

30. Lux oculorum lætificat animam; fama bona impinguat ossa.

31. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur.

32. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

33. Timor Domini, disciplina sapientiæ; et gloriam præcedit humilitas.

CAP XVI. Homo præparat; Deus regit, 1, 9 agenda omnia sub oculis Dei: Deus omnia propter seipsum: arrogans: Deo propitio, omnia bene vertunt: res modica cum justitia: regum prudentia, 10. justitia, 12, 13. ira: clementia, 14, 15. Deus omnia in pondere, 11. egestas acuit industriam; patiens; fortis; nihil fortuitum, 33.

1. Hominis est animam præparare; et Domini gubernare linguam.

2. Omnes viæ hominis patent oculis ejus; spirituum ponderator est Dominus.

19 « Iter pigrorum quasi sepes spinarum : » pigro omnia plena obstaculis; plana omnia sedulo.

22 « Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium : » secretum : Hebr. Plures consulendi, sed clam; neque indiscriminatim, hoc est, omnes de omnibus : sed quisque in ea re quam calleat.

24 « Semita vitæ super eruditum : » eruditus sive intelligens sursum habet viam vitæ. « Ut declinet de inferno novissimo : » infimo, Hebr. ad summa quæque erectus, devitat infima sive etiam, mortem.

26 « Purus sermo : » castus, mundus : per se « pulcherrimus, nec indiget eloquentiæ ornamentis. « Firmabitur ab eo. » Deest Hebr.

27 « Per misericordiam et fidem : » deest Hebr. habent LXX. Cyprianus profert, de Op. et Eleem. « Misericordia et fide delicta purgantur. »

28 « Mens justi meditatur obedientiam : » fidem, LXX. ad respondendum : Hebr. quod magis sequentibus congruit, ut sapientes, nec temere respondentes, a loquacibus secernantur.

30 « Lux oculorum : » ut lux oculis grata; ita fama animo.

1 « Hominis est : » sic infra 9. « Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus. » Homines quidem diligenter sua et dicta et facta apud se componunt : sed cum adest loquendi aut agendi tempus, ipsi excidunt sibi; ac bene cogitata præter spem, in pessimos sermones, aut inepta facta desinunt.

2 « Omnes viæ hominis patent oculis ejus : » mundæ oculis suis : Hebr. ipsius scilicet hominis : sua cuique sensa placent. At « spirituum ponderator est Dominus : » vide XXI. 2. Deus nos non arbitrio nostro, sed ex vero judicat; nec leviter, sed appensis omnibus; ut infra 14.

3. Revela Domino opera tua; et dirigentur cogitationes tuæ.
4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.
5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens.
Initium viæ bonæ, facere justitiam; accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias.
6. Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo.
7. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.
8. Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.
9. Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.
10. Divinatio in labiis regis; in judicio non errabit os ejus.
11. Pondus et statera judicia Domini sunt; et opera ejus omnes lapides sacculi.
12. Abominabiles regi qui agunt impie; quoniam justitia firmatur solium.
13. Voluntas regum labia justa; qui recta loquitur, diligetur;
14. Indignatio regis, nuntii mortis; et vir sapiens placabit eam.
15. In hilaritate vultus regis, vita; et clementia ejus, quasi imber serotinus.
16. Posside sapientiam, quia auro melior est; et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.
17. Semita justorum declinat mala; custos animæ suæ servat viam suam.
18. Contritionem præcedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus.
19. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.
20. Eruditus in verbo reperiet bona; et qui sperat in Domino, beatus est.
21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, et qui dulcis eloquio, majora percipiet.
22. Fons vitæ eruditio possidentis; doctrina stultorum, fatuitas.
23. Cor sapientis erudiet os ejus; et labiis ejus addet gratiam.
24. Favus mellis, composita verba;

4 « Impium quoque ad diem malum : » sic enim ad Pharaonem : « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra : » Exod. IX. 16. Rom. IX. 17. occultissimo quidem, sed tamen justo judicio.

5 « Etiamsi manus ad manum fuerit : » cessans, nihil agens : supra XI. 21. « initium viæ bonæ, facere justitiam : » deest Hebr. LXX. habent.

7 « Cum placuerint Domino. » Sic quia placuerunt Deo viæ Danielis et trium puerorum : « inimicos quoque » eorum, regesque qui eos in ignem, vel bestias miserunt, « convertit ad pacem, » atque amicitiam. Beda. Sic Josepho, sic Jeremiæ, sic aliis contigit.

10 « Divinatio in labiis regis : » decretis parendum ut oraculis : quin etiam vaticinari et arcana cordium scrutari reges videntur : sic illa Thecuitis ad Davidem acutissime conjectantem : « Nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quæ locutus est dominus meus rex.. tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei. » II. Reg. XIV. 19, 20. Sic ipse Salomon inter duas fœminas dijudicans, arcana pectoris elicuit. III. Reg. III. « Non errabit os ejus : » eo quod sit sagax, et rerum experimento doctus : tum quod cor ejus in manu Dei : infra XXI. 1. ne perfidi latere putent occultas molitiones, ac rempublicam pessumdent, aut temere principis judicata contemnant.

11 « Et opera ejus omnes lapides sacculi : » pondera justa : LXX. quod lapidibus in sæculo reconditis ponderare soliti essent. Vide Sap. XI. 21.

15 « In hilaritate vultus regis : » in lumine vultus : Hebr. quæ locutio frequentissima : « vita ; » gratia, favor. « Et clementia ejus quasi imber serotinus : » est enim imber temporaneus, seu veris, alendis seminibus; est et serotinus, æstivus, seu autumnalis, maturandæ messi, vindemiæque aptissimus : Deut. XI. 14. Jac. V. 7. qui et optatissimus æstivis caloribus temperandis.

20 « Eruditus in verbo : » per verbum.

21 « Qui sapiens est corde : » tum quisque est omnibus jucundissimus, cum ad animi prudentiam accedit sermonis gratia. Vide infra 23.

23 « Cor sapientis erudiet os ejus : » non temere loquitur, nec nisi re penitus intellecta. « Et labiis ejus addet gratiam : » doctrinam, disciplinam. Hebr.

24 « Favus mellis, composita, » mitia et moderata « verba ; » eadem sunt « dulcedo » sive

dulcedo animæ, sanitas ossium.

25. Est via quæ videtur homini recta; et novissima ejus ducunt ad mortem.

26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.

27. Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit.

28. Homo perversus suscitat lites; et verbosus separat principes.

29. Vir iniquus lactat amicum suum; et ducit eum per viam non bonam.

30. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

31. Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.

32. Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

CAP. XVII. Frugale convivium : servus sapiens : Dominus corda probat : despiciens pauperem et cadentem : ampla soboles : aliorum celare delicta : ea commemorans : fatuus instar ursæ sævientis : mala pro bonis : lites, 14. divitiæ inutiles : constans amicitia. 17. animi tranquillitas, 22. vultus sapientis et stulti, 24. tacere utile.

1. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.

2. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratrem hæreditatem dividet.

3. Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; ita corda probat Dominus.

4. Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus.

5. Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus; et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.

6. Corona senum, filii filiorum; et gloria filiorum, patres eorum.

7. Non decent stultum verba composita; nec principem labium mentiens.

8. Gemma gratissima, expectatio præstolentis; quocumque se vertit, prudenter intelligit.

9. Qui celat delictum, quærit amicitias; qui altero sermone repetit, separat fœderatos.

quies « animæ, » medela est et « sanitas ossium, » medullarumque, atque intimarum partium, quippe queis et animus et corpus reficiatur.

25 « Est via : » idem sup. XIV. 12.

26 « Anima laborantis » fame : « laborat sibi : quia compulit eum os suum : » alimenti penuria : sensus est : indigentia acui industriam et artes.

27 « Vir impius fodit malum, » sibi et aliis : « In labiis ejus ignis ardescit : » litibus, ira, jurgiis inflammat ac devastat omnia : sicut habes Jac. III. 6.

28 « Et verbosus separat principes : » susurro, de quo sæpe.

30 « Qui attonitis oculis » (supple, est) « cogitat prava : » quæ obfirmatis, fixis : Hebr. LXX. « Mordens labia : » qui mordet labia, « perficit malum. » Indicium est hominis malum alteri machinantis, defixis oculis mordere labia.

31 « Corona dignitatis senectus : » diadema gloriæ canities : Hebr. quæ caput cingit et ornat.

33 « Sortes mittuntur. » Sic in eligendo Saule, Matthia, et aliis; sensusque est : per divinam providentiam ambigua quæque et incerta in certos fines dirigi, neque quidquam fortuitum.

1 « Plena victimis : » epulis, quod in sacrificiis pacificis splendide parare solerent.

4 « Malus obedit » (auscultat) « linguæ iniquæ : et fallax : » sua quemque prava studia perdunt; malus a malo decipitur, fallax fallaciorem invenit.

7 « Non decent stultum verba composita : » labia dignitatis : Hebr. sive decor in verbis : eodem sensu.

8 « Gemma gratissima, expectatio præstolantis : » planum de spei dulcedine : at Hebr. lapillus pretiosus, munus in oculis domini sui. » Quocumque se vertit, » largiter « prudenter intelligit : » sensus est : munus gratiam conciliat danti, et res omnes prospere sapienterque disponit.

9 « Qui celat delictum » alienum « quærit amicitias : » sibi parit amicos : « qui altero sermone repetit : » qui revelat, qui commemorat, « separat fœderatos, » principem. Hebr. duces ab invicem : quos intelligunt LXX. amicos, domesticos : Vulg. fœderatos.

10. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

11. Semper jurgia quærit malus; angelus autem crudelis mittetur contra eum.

12. Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.

13. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.

14. Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum: et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.

15. Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

16. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: et qui evitat discere, incidet in mala.

17. Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur.

18. Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo.

19. Qui meditatur discordias, diligit rixas: et qui exaltat ostium, quærit ruinam.

20. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: et qui vertit linguam, incidet in malum.

21. Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.

22. Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.

23. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.

24. In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.

25. Ira patris, filius stultus: et dolor matris quæ genuit eum.

26. Non est bonum, damnum inferre justo: nec percutere principem, qui recta judicat.

27. Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est: et pretiosi spiritus vir eruditus.

28. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: et si compresserit labia sua, intelligens.

CAP. XVIII. Causas dissolvendæ amicitiæ quærere: stultus nil, nisi placentia, audire vult: rixis se immiscet: sermonibus suis capitur: falsa simplicitas, 8. piger, 8, 9. pietas, propugnaculum, 10. exaltatione casus, 12. non audiens, 13. munera: sortiri, quam litigare melius: mutuum adjutorium: 19. sermonis vis: divitum ingenium: amicus fratre potior.

1. Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.

10 « Plus proficit correptio: » verbis tantum: « apud prudentem: quam centum plagæ: » quam verbera addita verbis, « apud stultum. »

11 « Angelus autem crudelis. » vel malus nuntius, vel pœna divinitus immissa.

12 « Fatuo confidenti: » nec sanis consiliis auscultanti.

14 « Qui dimittit aquam: » supple, sicut « qui dimittit aquam; » ita « caput jurgiorum, » id est, sicut aqua semel dimissa non facile cohibetur, sic lites semel motæ. « Antequam contumeliam patiatur: » antequam misceatur: Hebr. supp. lis; antequam lite sit implicitus: « judicium deserit: » desere: Hebr. quod est, principiis obsta.

16 « Qui altam facit domum suam, » deest Hebr. habent LXX. vide 19.

18 « Stultus homo plaudet manibus: » manum porrigit: Hebr. defigit, cavendi formula, vide VI. 1.

19 « Qui meditatur: » Hebr. diligens iniquitatem, diligit jurgia. « Qui exaltat ostium: » domum: pars maxime conspicua pro toto.

20 « Et qui vertit linguam: » fallax, ambiguis dolosisque sermonibus: perversus in lingua sua. Hebr.

22 « Animus gaudens ætatem floridam facit: » medicina bona est: Hebr. alii, benefaciet corpori.

24 « Oculi stultorum in finibus terræ: » errantes, vagi, distorti.

1 « Occasiones quærit: » sic etiam LXX. obvio sensu; at Hebr. Ad desiderium quærit separatus; quod sic interpretantur: qui secundum vota sua vivit singularis, sive a communi hominum consortio sequestratus, in omni sapientia miscebit se, versabitur; alii: in omni existentia:

2. Non recipit stultus verba prudentiæ; nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.

3. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia et opprobrium.

4. Aqua profunda, verba ex ore viri : et torrens redundans, fons sapientiæ.

5. Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii.

6. Labia stulti miscent se rixis : os ejus jurgia provocat.

7. Os stulti contritio ejus : et labia ipsius ruina animæ ejus.

8. Verba bilinguis, quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.

Pigrum dejicit timor : animæ autem effœminatorum esurient.

9. Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

10. Turris fortissima, nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur.

11. Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.

12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam glorificetur, humiliatur.

13. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.

14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam; spiritum vero ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?

15. Cor prudens possidebit scientiam, et auris sapientium quærit doctrinam.

16. Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit.

17. Justus, prior est accusator sui : venit amicus ejus et investigabit eum.

18. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.

19. Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma : et judicia quasi vectes urbium.

20. De fructu oris viri replebitur

quod tamen sapientiam, eamque veram sonare jam vidimus, quod eodem recidit; sensusque est : plurimum conferre ad veram solidamque sapientiam, a turba secedere : alii, pro in omni sapientia miscebit se, ex Chal. vertunt : omnem sapientiam, sive omne consilium deridebit : quo sensu illa sequestratio malo animo suscepta videatur, ut quis ad libidinem vitam instituat : quæ verietates obscurissimum textum indicant, ac nisi suppleveris, inextricabilem. Itaque Vulg. post LXX. sic supplet : separatus, sive qui recedit, supple, ab amico, quærit ad desiderium : ad libitum fingit, supple, recedendi occasiones : omni tempore (pro essentia) risui erit, seu probro; quam sententiam facile anteponimus.

2 « Nisi ea dixeris : Heb. eodem sensu : nisi cum manifestabitur cor ejus, id est, quidquid dixeris, pristinæ sententiæ hæret, neque quidquam audit, nisi placentia.

3 « Impius, cum in profundum : » ita LXX. rectissimo sensu : Heb. Veniente impio, venit etiam confusio, et cum ignominia : sive ignominioso viro opprobrium.

4 « Aqua profunda : significat verba sapientium scrutanda, meditanda. Vide XX. 5. « Torrens redundans : » qui alte sapientiam imbiberit, huic sermones optimi, atque ad suadendum aptissimi, torrentis instar defluent.

5 « Ut declines a veritate judicii : » ut subvertas justum in judicio : Heb.

7 « Ruina animæ ejus; » laqueus : Heb. dictis suis capitur; unde etiam illud : « De ore tuo te judico, serve nequam. » Luc. XIX. 22.

8 « Verba bilinguis; » fallacis : alia et alia loquentis : detractoris : susurronis, ut vertit XXVI. 22. « quasi simplicia : » lenia : Heb. blandientia. « Et ipsa perveniunt : » altissimum vulnus infigunt. « Pigrum dejicit timor : » deest Heb. habent LXX.

11 « Substantia divitis : » idem supra X. 15. « circumdans eum : » in opinione sua : Heb. Tumidus licet animo, tamen opinione magis quam re prævalet.

14 « Spiritus viri (animus) sustentat imbecillitatem (corporis) : spiritum ad irascendum facilem, » spiritum debilem : Heb. « quis sustinebit? » Corpori deficienti animus : animo infracto nihil subsidii est.

17 « Justus, prior est accusator sui : » sic Job : « Vere scio, quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo : » Job. IX. 2. Ex Heb. tamen sic vertas; qui primus in causa sua justus est, id est, qui prior causam dicit, justior videtur. « Venit amicus ejus : » socius; Heb. adversarius : LXX. « et investigabit eum : » vitium causæ eruet.

19 « Frater, qui adjuvatur : » ita etiam Syr. et LXX. At Heb. Frater rebellans, præ forti

venter ejus; et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

21. Mors et vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

22. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum; et hauriet jucunditatem a Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.

23. Cum obsecrationibus loquetur pauper; et dives effabitur rigide.

24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater.

CAP. XIX. Simplicitas in paupere : præceps, sive inconsideratus, 2. blasphemus, 3. divitiæ : testis falsus, 5, 9, 28. falsa amicitia : sui compos, 8. servi dominantes : vir patiens, 4. ira regis : ejusdem clementia : litigiosa mulier : uxor prudens, Dei donum : piger, 15, 24. eleemosyna : filius castigandus, sed moderate, 18. hominum varia consilia, 21. pœnæ utiles : parentes affligens : pœnæ improbis.

1. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua, et insipiens.

2. Ubi non est scientia animæ, non est bonum; et qui festinus est pedibus, offendet.

3. Stultitia hominis supplantat gressus ejus; et contra Deum fervet animo suo.

4. Divitiæ addunt amicos plurimos; a paupere autem et hi, quos habuit, separantur.

5. Testis falsus non erit impunitus; et qui mendacia loquitur, non effugiet.

6. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.

7. Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper et amici procul recesserunt ab eo.

Qui tantum verba sectatur, nihil habebit :

8. Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, et custos prudentiæ inveniet bona.

9. Falsus testis non erit impunitus; et qui loquitur mendacia, peribit.

10. Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.

11. Doctrina viri per patientiam noscitur; et gloria ejus est iniqua prætergredi.

12. Sicut fremitus leonis, ita et regis ira; et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus.

13. Dolor patris, filius stultus; et tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14. Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens.

15. Pigredo immittit soporem; et anima dissoluta esuriet.

16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

17. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; et vicissitudinem suam reddet ei.

civitate est; bellum intestinum extraneo pejus. Quare colenda justitia est, arcens injurias et perduellionis causas æquo jure prohibens; quo pars posterior spectat.

21 « Qui diligunt eam : » linguam bonam; sermones optimos.

22 « Qui invenit mulierem (bonam) : » deest Heb. recte suppletum. « Qui expellit mulierem bonam : » deest Heb. habent LXX.

1 « Quam dives torquens labia sua : » quam perversus labiis; Heb.

3 « Fervet » irascitur, culpasque suas Deo imputat.

5 et 9 « Testis falsus : » idem, excepto ultimo vocabulo.

6 « Multi : » intellige; plures, turbam, vulgus ipsum.

8 « Qui... possessor est mentis, » bonæ scilicet; vel simpliciter, sui compos.

10 « Non decent stultum deliciæ, » non competit illi delectatio; quippe improvido, et per mentis vitium inquieto.

11 « Doctrina viri per patientiam noscitur : » iram prolongat, seu patientem facit; Heb. « Et gloria ejus est iniqua prætergredi : » id est, injurias negligere.

13 « Tecta jugiter : » vide XXI, 9.

16 « Mortificabitur : » morte afficietur.

18. Erudi filium tuum, ne desperes; ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.
19. Qui impatiens est, sustinebit damnum; et cum rapuerit aliud apponet.
20. Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.
21. Multæ cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini permanebit.
22. Homo indigens, misericors est; et melior est pauper, quam vir mendax.
23. Timor Domini ad vitam; et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima.
24. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.
25. Pestilente flagellato stultus sapientior erit; si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.
26. Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est, et infelix.
27. Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.
28. Testis iniquus deridet judicium; et os impiorum devorat iniquitatem.
29. Parata sunt derisoribus judicia; et mallei percutientes stultorum corporibus.

CAP. XX. Ebrietas : ira regis metuenda : contentiosi homines : piger, 4. sapiens : rex justus : clemens : sapiens, 8, 26, 28. nemo mundus : iniquæ mensuræ : vir attentus, 12. fidejussor : bona in speciem, 17. consilia, 18. revelans arcana : detractor, adulator æque fugiendi, 19. festinatæ divitiæ : ultio vetita, 22. Deo permittenda sors nostra, 24. juvenum ac senum robur : occulta vulnera.

1. Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens.
2. Sicut rugitus leonis, ita et terror regis; qui provocat eum, peccat in animam suam.
3. Honor est homini qui separat se a contentionibus; omnes autem stulti miscentur contumeliis.
4. Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.
5. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud.
6. Multi homines misericordes vo-

18 « Ne desperes : » quia adhuc spes est : Heb. « Ad interfectionem : » alii ex Heb. ad strepitum, ad clamorem ejus. « Ne ponas animam tuam, » ne te falsa teneat misericordia. LXX. Erudi filium tuum, sic enim erit bonæ spei : ad contumeliam autem ne efferaris animo tuo ; quo sensu Paulus : « Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. » Col. III. 21.

19 « Qui impatiens est : » iracundus præceps, « sustinet pœnam; et cum rapuerit : » cum eripueris (ab incommodo scilicet) etiam addes : Heb. supple, alia incommoda, alias culpas : in pejus enim ruet.

21 « Multæ cogitationes : » varia et incerta consilia.

22 « Homo indigens, misericors est : » inopiæ incommoda per experientiam doctus : quo recidit illud hebraicum : Desiderium (indigentia) viri, misericordia ejus; misericordem eum et ad beneficentiam propensum efficit.

23 « Timor Domini... et in plenitudine commorabitur : » et satur habitabit, nec visitabit eum malum. Hebr.

25 « Pestilente flagellato : » derisorem si castigaveris, imperitus (quoque) cautior fiet : Heb.

26 « Qui affligit patrem : » spoliat : Heb.

27 « Non cesses, fili : » cessa, fili : et ignorabis : Heb. quasi comminando : idem sensus.

29 « Et mallei percutientes : » percussiones : Heb. verbera.

1 « Luxuriosa res, vinum : » effrene quid, sive immoderatum et incastigatum, quod est etiam luxuriosum. Ad verbum : derisor, quod item est, improbus, intemperans; sicera, id est, vinum, tumultuans; phrasi hebraica : cognata hæc sunt.

5 « Homo sapiens exhauriet illud : » profundissima quæque penetrabit, nec se capi sinet.

6 « Multi homines : » multi multa jactant; commendat quisque liberalitatem suam. « Virum autem fidelem, » neque inani virtutis titulo se jactantem, « quis inveniet? »

cantur; virum autem fidelem quis inveniet?

7. Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.

8. Rex qui sedet in solio judicii; dissipat omne malum intuitu suo.

9. Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?

10. Pondus et pondus, mensura et mensura; utrumque abominabile est apud Deum.

11. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus.

12. Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.

13. Noli diligere somnum, ne te egestas oprimat; aperi oculos tuos, et saturare panibus.

14. Malum est, malum est, dicit omnis emptor; et cum recesserit, tunc gloriabitur.

15. Est aurum, et multitudo gemmarum; et vas pretiosum labia scientiæ.

16. Tolle vestimentum ejus qui fidejussor extitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo.

17. Suavis est homini panis mendacii; et postea implebitur os ejus calculo.

18. Cogitationes consiliis roborantur; et gubernaculis tractanda sunt bella.

19. Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis.

20. Qui maledicit patri suo, et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.

21. Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

22. Ne dicas: Reddam malum; expecta Dominum, et liberabit te.

23. Abominatio est apud Dominum pondus et pondus; statera dolosa non est bona.

24. A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?

25. Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.

26. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem.

27. Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.

28. Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.

29. Exultatio juvenum, fortitudo eorum, et dignitas senum, canities.

30. Livor vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris.

12—13 « Aurem audientem : attentam aurem, attentos oculos : vid. Is. VI. 9. unde in seq. » Aperi oculos tuos : » cave tibi, attentus esto et diligens.

17 « Panis mendacii : » bonus in speciem, sed non satis purgatus, mixtis quoque calculis et pulvere : sic multa bona in speciem, nec nisi experiundo noscenda.

18 « Et gubernaculis tractanda sunt bella : » consiliis.

19 « Qui revelat mysteria : » Hebr. Revelanti arcana, detractori, et allicienti labiis, sive blandienti, ne te comitem adjunxeris.

21 « Hæreditas, ad quam : » festinata dolis acquisitio primum delectat, ad extremum destituit possidentem.

25 « Ruina est homini devorare sanctos : » sanctitatem; Hebr. sanctificata rapere: « et post vota retractare : » cavillari vota : Hebr. irrita facere variis interpretationibus; sive, ad inania vota recurrere; rapinis expiandis scilicet.

26 « Et incurvat super eos fornicem : » carcerem firmissimum in fornicis modum, rotam : Hebr. LXX. tribulam, qua confringantur : supplicii genus.

27 « Lucerna Domini spiraculum » (sive mens) « hominis : » mens divinitus accensa lux est, quæ pectoris arcana rimatur. « Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. » I. Cor. II. 11.

29 « Exultatio » sive gloriatio « juvenum robur eorum : » cor eorum, Hebr. viribus juvenes, senes ipsa canitie, rerumque experientia gloriantur.

30 « Livor vulneris absterget mala : » ejectio puris quo vulnus livescit, mali abstersio est : « Et plagæ : » aliud est enim cum ulcus alte penetrat; sic vulnera animi confitendo sanantur : in alto delitescentia, exitiosiora sunt.

CAP. XXI. Cor regis : cordium appensor Deus : quid victimis sit melius : sapientia : piger, 5, 25, 26. rapinæ : mulier litigiosa, 8, 19. animadversionum utilitas : immitis in pauperem : munera : sapiens revocat ad sana consilia, 22. tacitus, 23. pertinax, 29. non est sapientia contra Dominum : a Deo salus, 30, 31.

1. Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.

2. Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus.

3. Facere misericordiam et judicium, magis placet Domino, quam victimæ.

4. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis; lucerna impiorum peccatum.

5. Cogitationes robusti semper in abundantia; omnis autem piger semper in egestate est.

6. Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis.

7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.

8. Perversa via viri, aliena est; qui autem mundus est, rectum opus ejus.

9. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi.

10. Anima impii desiderat malum; non miserebitur proximo suo.

11. Multato pestilente sapientior erit parvulus; et si sectetur sapientem, sumet scientiam.

12. Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios a malo.

13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.

14. Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam.

15. Gaudium justo est facere judicium; et pavor operantibus iniquitatem.

1 « Sicut divisiones aquarum : » qua facilitate rivuli ad irrigandos hortos ab agricola a capite deducuntur, « ita cor regis : » neque minus cæterorum hominum corda quam regum, cum scriptum sit de quocumque homine : « Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos : » Jerem. x. 23. Quod et Salomon ubique inculcat : sed cor regis memoratur, quod ex regum voluntate res humanæ pendeant, quodque rex ipse vel maxime in sua potestate esse videatur; quo magis necesse est, in ipso velut capite rerum humanarum, Dei gubernationi ac potentiæ subjicere reliqua. « Quocumque voluerit, inclinabit illud : » neque eo secius corda ipsa, Deo id agente, ad bonum malumve se inclinant et inflectunt; cum scriptum sit : « Inclinate corda vestra ad Dominum : » et, « Bonas facite vias vestras et studia vestra. » Jos. xxvi. 23. Jer. vi. 3.

2 « Omnis via viri recta sibi videtur : » recta in oculis ejus : Hebr.

4 « Exaltatio oculorum : » superbia, despicientia : « est : » deest Hebr. « Dilatatio cordis : » vastæ cogitationes, præ fidentia, temeritas : unde LXX. *thrasucardios*. « Lucerna » sive lux, gloria « impiorum : » pro quo, jugum habet Chal. Alii vertunt : oratio, id est, opera, curæ, studia impiorum : hæc omnia « peccatum » sunt, Deo exosa sunt, mala sunt, et peccato debitas pœnas accersunt.

5 « Cogitationes robusti » (strenui, seduli, diligentis : Hebr.) « semper in abundantia : omnis autem piger » (festinus : præceps : temerarius : Hebr.) « semper in egestate est : » diligentia copiam, temeritas penuriam parit.

7 « Detrahent eos : » dejicient, deturbabunt.

8 « Aliena est : » a recta ratione, a lege Dei devia. Quidam intelligunt eodem sensu, quo dicebat Paulus : « Alienati a vita Dei; hospites testamentorum : » Ephes. II. 12. IV. 18.

9 « Melius est sedere in angulo domatis : » tecti : sub dio : « in domo communi : » sub tecto cum aliis. Melius est pluviam irruentem pati, quam rixosæ mulieris contumelias, et hanc convitiorum grandinem : supra XIX. 13. infra 19.

11 « Multato pestilente : » impio, stulto. « Parvulus : » imperitus, passim : congruit cum XIX. 25. « Et si sectetur sapientem : » et si corripias sapientem : Hebr.

12 « Excogitat justus de domo impii : » intelligit : Hebr. id est, docetur impii damno. « Ut detrahat impios a malo : » Hebr. subvertens impios in malum : justus scilicet malos male perdens.

15 « Et pavor : » contritio, pernicies; Hebr. quanquam et de pavore verum; supra III. 14, 15.

16. Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.
17. Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur.
18. Pro justo datur impius, et pro rectis iniquus.
19. Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda.
20. Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi; et imprudens homo dissipabit illud.
21. Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam, et gloriam.
22. Civitatem fortium ascendit sapiens, et destruxit robur fiduciæ ejus.
23. Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.
24. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.
25. Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus operari: 26. tota die concupiscit et desiderat; qui autem justus est, tribuet, et non cessabit.
27. Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.
28. Testis mendax peribit; vir obediens loquetur victoriam.
29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est, corrigit viam suam.
30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.
31. Equus paratur ad diem belli; Dominus autem salutem tribuit.

CAP. XXII. Bona fama : dives et pauper coram Deo æquo jure, 2. prospicere : institutio jam inde a puero, 6. quæ seminat hæc metet, 8. eleemosyna : munera : amici regum : Deus juvat vigilantes, 12. piger, 13. adultera : stultitia a corde pueri repellenda, 15. sapientia : sponsores : termini antiqui : vir diligens regibus carus, 29.

1. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ; super argentum et aurum, gratia bona.
2. Dives et pauper obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus.
3. Callidus vidit malum, et abscondit se; innocens pertransiit, et afflictus est damno.
4. Finis modestiæ timor Domini; divitiæ et gloria et vita.
5. Arma et gladii in via perversi; custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.

16 « In cœtu gigantum : » mortuorum, Manium : « commorabitur : » uno verbo, concidet, morietur.

18 « Pro justo datur impius : » redemptio justi impius : Hebr. pretium, propitiatio. Sic « Isa. » XLIII. 3. « Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te : » vindictam alias in gentes transferam, ut illæ, non tu, exemplo sint. Quo et illud pertinet : « Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt : » Psal. LXXVIII. 6.

22 « Civitatem fortium... et destruxit robur fiduciæ ejus : » pugnacem, ac de suis viribus ac munitionibus præfidentem, ad sana consilia reducit.

24 « Superbus et arrogans vocatur indoctus : » stultus, sive derisor, sive pestilens, nomen ejus : Hebr. superbi et arrogantis scilicet.

25—26 « Desideria occidunt pigrum :... tota die concupiscit et desiderat : » vim omnem animi effundit in vota inania; seque strenuum putat quod magna et utilia meditetur, nullo opere consecuto.

28 « Vir obediens » (legi, rectæ rationi) « loquetur victoriam : » Hebr. semper, sive in finem loquetur : non ei os oppriment.

30—31 « Non est sapientia... equus paratur : » sic David. « Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur : » Psal. XXXIII 17. et seq.

2 « Obviaverunt sibi ; » æquo jure steterunt, Deoque juxta cari, ut sequentia docent.

3 « Innocens pertransiit : » imperitus ; Hebr.

5 « Arma et gladii in via perversi : » spina et laqueo : Hebr. LXX

6. Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

7. Dives pauperibus imperat; et qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.

8. Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga iræ suæ consummabitur.

9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi.

Victoriam et honorem acquiret, qui dat munera; animam autem aufert accipientium.

10. Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.

11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

12. Oculi Domini custodiunt scientiam; et supplantantur verba iniqui.

13. Dicit piger : Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.

14. Fovea profunda os alienæ; cui iratus est Dominus, incidet in eam.

15. Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.

16. Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori et egebit.

17. Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium; appone autem cor ad doctrinam meam;

18. Quæ pulchra erit, tibi, cum servaveris eam in ventre tuo, et redundabit in labiis tuis;

19. Ut sit in Domino fiducia tua; unde et ostendi eam tibi hodie.

20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus et scientia;

21. ut ostenderem tibi firmamentum et eloquia veritatis; respondere ex his, illis qui miserunt te.

6 « Proverbium est : » instrue puerum super os (in ipso initio) viæ suæ : Hebr. Teneros adhuc et molles inflecte.

8 « Et virga iræ suæ consummabitur : » vel virgam, id est, imperium, auctoritatem, ira sua perdet : vel continuata metaphora, ipse ira sua, quasi flagello quo teruntur fruges, conteretur : quo sensu virga sumitur. Isa. XXVIII. 27.

9 « Qui pronus est ad misericordiam : » bonus oculus : Hebr. sic oculus nequam pro invidia, Matt. XX. 15. « Victoriam et honorem : » deest Hebr. habent LXX.

12 « Oculi Domini custodiunt scientiam : » LXX. sensum. Vir bonus Deo protegente tutus, suique compos, neque animo conturbatus, prudenter agit : melius phrasi Hebr. Conservat scientem, sensatum : non somnolentos, sed scientes, vigilantes, cautos adjuvat Dominus; contra : « Supplantantur verba iniqui : » subvertuntur res ejus.

13 « Dicit piger : Leo est foris : » terriculas sibi fingit, et inanes prætextus. LXX. eleganter: excusat se piger, et dicit : leo in viis : in plateis sicarii.

14 « Fovea profunda : » infra, XXIII. 27.

16 « Qui calumniatur pauperem : » extorquens; Hebr. « ut augeat, » etc.

17 « Inclina aurem tuam. » Commendatio : sapientiæ his tribus versibus indicat vel epilogum præcedentium, vel, quod est proclivius, initium aliud. Unde stylus postea aliquanto diversus. Supra singulæ sententiæ singulis versibus, aut frequentiores promebantur : hæ magis cohærent, et ad lectorem quem filium vocat, sermo dirigitur usque ad XXIV. 23. qui stylus propior illi novem priorum capitum.

18 « Cum servaveris eam in ventre tuo : » in pectore : « pulchra erit : » doctrina : erunt, Hebr. scilicet verba. « Et redundabit in labiis tuis : » firmabuntur : Hebr.

20 « Ecce descripsi eam tibi tripliciter : » sæpius : quemadmodum habetur Is. XVII. 6. « excussio oleæ duarum vel trium olivarum : » et Eccli. XIII. 8. « Donec te exinaniat bis et ter. » Notum etiam illud toties inculcatum apud Amos. I. 3. « Super tribus sceleribus Damasci, etc. Moab. » etc. Quo sensu etiam Paulus : « Ter Dominum rogavi, » II. Cor. 12. 8. quanquam alii intelligunt tres Salomonis libros : alii legem, prophetas, hagiographa : Grotius, tria librorum genera, moralia, ut hic, physica quæ perierunt, theologica ac mystica, quale est Canticum Canticorum : superflua industria, atque ingeniosius quam verius. Neque enim in eo erat Salomon, ut sua omnia, etiam physica, nihil ad hæc pertinentia, memoraret : sed ut inculcaret præcepta sapientiæ, morumque doctrinam ac fiduciam in Deum, de qua præcedente versu.

21 « Ut ostenderem... eloquia veritatis, respondere » (ad respondendum) « ex his, illis qui miserunt te : » mittentibus ad te : Hebr. qui proponunt tibi : LXX. qui te consulunt, tibique pro more proponunt quæstiones ænigmaticas, ut regina Saba, et cæteri. III. Reg. X. 1, 24.

22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta; 23. quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus.

24. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; 25. ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.

26. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis; 27. si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo?

28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

29. Vidisti virum velocem in opere suo; coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

CAP. XXIII. Convivia principum : ne plus sapias : divitiarum cupiditas : 6, 7, 8. ne cum stulto verba perdas : Deus pauperum vindex : 10. virga non occidit puerum : 13, 14. sapientis gaudia : commessatores : 20, 21, 29, 30 et seq. piger : 20. parentibus ausculta.

1. Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam: 2. et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.

3. Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. 4. Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum.

5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum.

6. Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus : 7. quoniam in similitudinem arioli et conjectoris, æstimat quod ignorat.

Comede et bibe, dicet tibi : et mens ejus non est tecum.

8. Cibos, quos comederas, evomes : et perdes pulchros sermones tuos.

9. In auribus insipientium ne loquaris : quia despicient doctrinam eloquii tui.

10. Ne attingas parvulorum terminos; et agrum pupillorum ne introeas.

11. Propinquus enim illorum fortis est : et ipse judicabit contra te causam illorum.

12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum; et aures tuæ ad verba scientiæ.

22 « Neque conteras egenum in porta : » in judicio scilicet, ubi judicia exercebantur, ut notum est.

26 « Qui defigunt manus suas : » idem supra XVII. 18.

28 « Ne transgrediaris » (ne transferas, ne moveas) « terminos antiquos : » ne majorum fidem, ne prisca instituta convellas, ne vicini agrum cupias, aut villam villæ conjungas. Basil. T. I. Hom. 21. in Lacizis : (nunc in App. tom. II.) cui congruit infra, XXIII. 10.

29 « Nec erit ante ignobiles : » nec stabit coram : Hebr. eadem verba.

2 « Et statue cultrum in gutture tuo : » id est, gulam reprime : amputa cupiditatem.

3 « Ne desideres de cibis ejus : » cupediis : Hebr. « Panis mendacii : » et est panis mendax: Heb. id est, alimenta damnosa, et falsa voluptate blandientia.

4 « Sed prudentiæ tuæ pone modum : » providentiæ, qua opes in immensum congeruntur.

5 « Ne erigas oculos : » ne evolare facias oculos tuos, (Hebr.) « Nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes : » Num. XV. 39.

6 « Et... cibos ejus : » pulmenta : cupedias : Hebr. ut supra ℣ 3.

7 « Quoniam in similitudinem arioli et conjectoris. » Tua omnia in pravum interpretabitur levissimis conjecturis ductus : sicut æstimat animo suo : Hebr. « Comede et bibe, dicet tibi : » non vero affectu, sed pravo maloque consilio te alloquitur.

8 « Cibos, quos comederas : » nihil tibi ex illo convivio supererit : verba etiam perdideris.

10 « Ne attingas parvulorum terminos : » terminos seculi antiquos : Hebr. LXX. ut supra XXII. 28. Vulg. legit « helem » pro « holam : » et sequenti magis convenit.

11 « Propinquus enim illorum fortis est : » vindex, redemptor propinquitatis jure; ac sublimiore sensu, ipse Deus. Ita LXX.

12 « Ingrediatur ad doctrinam cor tuum : » ne leviter inspicias : sed scrutare penitus.

13. Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur.
14. Tu virga percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis.
15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum : 16. et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua.
17. Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die : 18. quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur.
19. Audi, fili mi, et esto sapiens : et dirige in via animum tuum.
20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: 21. quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur, et vestietur pannis dormitatio.
22. Audi patrem tuum, qui genuit te : et ne contemnas cum senuerit mater tua.
23. Veritatem eme, et noli vendere : sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam.
24. Exultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, lætabitur in eo.
25. Gaudeat pater tuus, et mater tua, et exultet quæ genuit te.
26. Præbe, fili mi, cor tuum mihi; et oculi tui vias meas custodiant.
27. Fovea enim profunda et meretrix; et puteus angustus, aliena.
28. Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit interficiet.
29. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?
30. Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?
31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, 32. sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus, venena diffundet.
33. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa.
34. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo : 35. et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi : quando evigilabo, et rursus vina reperiam?

CAP. XXIV. Sapiens idem fortis, et egregius belli dux, 5, 6. ne desperaveris : tuere proximum : nulla sit excusatio, 11, 12. sapientia : justus cadit septies : 16. ne gaudeas inimici casu ! 17, 18. time Deum et regem : justitia : verba mitia, 26. antequam opus aggrediaris, præpara, 27. ultio vetita 29. piger, 30 et seq.

1. Ne æmuleris viros malos, ne desiderès esse cum eis : 2. quia

18 « Quia habebis spem in novissimo : » quia erit tibi posteritas : Heb. Ita LXX. idem. XXIV. 14.

20 « Noli esse in conviviis potatorum : » ad symbolas et carnium emptiones : LXX. cum potatoribus vini, et cum comessatoribus carnium sibi : Heb. eadem verba quibus in lege filius luxuriosus notatur. Deut. XXI. 20.

21 « Vestietur pannis dormitatio : » desidia : perpotatio scissas detritasque induet vestes.

23 « Veritatem eme, et noli vendere : » quod est, habere pretiosissimam. Ibi distinguendum, conjungenda autem cætera : « sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam : » supple, eme, et ne vendas : emptas retine.

28 « Et quos incautos viderit, interficiet : » et sceleratos in hominibus addet : Heb. eorum numerum augebit.

29 « Cujus patri væ ? » Heb. iterat : cui væ? « cui foveæ? » cui murmur, sive tumultus, contradictio, loquacitas : Heb. molestiæ : LXX. « suffusio : » eleganter : morbus oculorum : Heb. rubor : LXX. lividi oculi.

31 « Ingreditur blande : directe : » Heb. id est facile.

35 « Quando evigilabo : » quando erit diluculum. LXX. « Et rursus vina reperiam : » et addam quærere adhuc illud, nempe vinum, hoc est, quando erit diluculum, et quæram quibuscum conveniam, compotatores scilicet ?

rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur.

3. Sapentia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur.

4. In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima.

5. Vir sapiens, fortis est, et vir doctus, robustus et validus.

6. Quia cum dispositione initur bellum : et erit salus ubi multa consilia sunt.

7. Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.

8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.

9. Cogitatio stulti peccatum est : et abominatio hominum detractor.

10. Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.

11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem : et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.

12. Si dixeris : Vires non suppetunt ; qui inspector est cordis, ipse intellegit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.

13. Comode, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo.

14. Sic et doctrina sapentiæ, animæ tuæ : quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit.

15. Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.

16. Septies enim cadet justus, et resurget ; impii autem corruent in malum.

17. Cum ceciderit inimicus tuus, gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum : 18. ne forte videat Dominu, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam.

19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios : 20. quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguetur.

21. Time Dominum, fili mi, et regem ; et cum detractoribus non commiscearis : 22. quoniam repente consurget perditio eorum ; et ruinam utrius que quis novit ?

23. Hæc quoque sapientibus ; cognoscere personam in judicio, non est bonum.

24. Qui dicunt impio : Justus es, maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus.

25. Qui arguunt eum, laudabuntur ; et super ipsos veniet benedictio.

26. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

27. Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum ; ut postea ædifices domum tuam.

28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis.

29. Ne dicas ; quomodo fecit mihi,

6 « Quia cum dispositione initur bellum : » consiliis : industria.

7 « Excelsa stulto sapientia : » sublimior quam ut attingat. « In porta : » in publicis conventibus, indoctus obmutescet.

8 « Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur : inventor malarum cogitationum : Heb. dolosus

9 « Cogitatio stulti peccatum est : » ejus astutia prava : dolus malus.

10 « Si desperaveris lassus in die angustiæ : » si defeceris : Heb.

12 « Vires non suppetunt : » non novi hunc : Heb. LXX de ignoto quid laborem ? At « Deus mandavit unicuique de proximo suo. » Eccli. XVII. 12.

15 « Ne... quæras impietatem in domo justi : » per calumniam.

16 « Septies enim : » licet enim sæpius in levibus peccet, tamen resurget, cum impii sit immedicabilis casus : ne ergo inde arripias calumniandi ansam.

20 « Quoniam non habent futurorum spem mali : » posteritatis : Heb. LXX. Quo etiam lucerna pertinet, II. Reg. XIV. 7. Psalm. CXXXI. 17. Chal. de novissimis intelligit.

23 « Hæc quoque sapientibus : » alius titulus, alius stylus.

26 « Labia deosculabitur : » mite responsum instar amantissimi est osculi.

27 « Præpara foris : » œconomicum : de providendo sumptibus, per agriculturam, antequam ædificare aggrediaris : ut habes Luc. XIV. 28. de ædificaturo turrim : allegorice, ne prius arduum opus incipias, quam agenda prævideris.

29 « Ne dicas : » ep ultionem prohibitam ; ut odium, supra 17, 33, 34. Idem supra vv. 29, 18.

sic faciam ei; reddam unicuique secundum opus suum.

30. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : 31. et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat.

32. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam.

33. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas.

34. Et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus.

CAP. XXV. Deum decent occulta : reges manifesta : cor regum : purgandæ aulæ vitiis : ne te efferas : ne maledicta cito proferas, ne revocare possis : ne facile tua arcana prodas, 9. verbum in tempore, 11. corripere audientem : boni nuntii : fallaces promissiones; 24. verba mitia : 13, 25. rerum bonarum satietas, 16. prunæ super caput, 21, 22. non plus sapere, 27. loquax, prædæque expositus, 28.

1. Hæc quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.

2. Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem.

3. Cœlum sursum, et terra deorsum, et cor regum incrustabile.

4. Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.

5. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus.

6. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris.

7. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc; quam ut humilieris coram principe.

8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito : ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.

9. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles :

10. Ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset.

Gratia et amicitia liberant : quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.

11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

12. Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem.

13. Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit

1 « Quas transtulerunt » (collegerunt, et ex pluribus scriniis in unum volumen retulerunt) « viri Ezechiæ regis Juda : » ad cujus usque tempora dispersæ habebantur, prout ex ore Salomonis exceperant.

2 « Et gloria regum investigare sermonem : » verbum, iterum ut in priori parte; sensus autem videtur esse, consilia Dei per se inscrutabilia, et hoc ad ejus gloriam majestatemque pertinere, quod humanæ mentis aciem effugiant, ipsique soli constet arcanorum suorum ratio : at regum consilia eo digniora laudibus, quo magis eorum æquitas sapientibus se aperit. Summa : reges probabilia consilia sectentur; inaccessa penitusque imperscrutabilia Deo relinquant, cujus quippe « judicia vera, justificata in semetipsa. » Psal. XVIII. 10. Vide etjam infra 27.

3 « Cor regum inscrutabile : » sapientia, gravitate, ipsa arte regnandi et arcanorum vi : sæpe etiam superbia, vulgariumque rerum fastidio, occultisque odiis, ac libidinibus.

4 « Aufer rubiginem : » scorias : Heb. « Et egredietur vas : purissimum deest Heb. sic :—5 « aufer impietatem (impium, Heb. phrasi) de vultu (de conspectu : Heb.) regis : » impii, aularum scoria; quibus sublatis, nihil superest quam thronus regius justitia fultus, clarusque.

7 « Ascende huc : » sic Christus. Luc. XIV. 10.

10 « Gratia et amicitia liberant : » deest Heb. habent LXX.

11 « Mala aurea in lectis argenteis : id est, tam bene decent. Pro lectis, sculpturas, cælaturas vertunt : ad verbum, aperturas, eas scilicet quibus gemmæ inseruntur, velut annuli pala.

13 « Sicut frigus nivis : » ex vicinis forte montibus comportatæ : « in die messis; » æstu laborantibus : ita refrigerat de re ancipiti allatus faustus nuntius : vide XXV. 25.

eum, animam ipsius requiescere facit.

14. Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens.

15. Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam.

16. Mel invenisti, comede quod sufficit tibi; ne forte satiatus, evomas illud.

17. Subtrahe pedem tuum de domo, proximi tui, nequando satiatus oderit te.

18. Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

19. Dens putridus, et spes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. 20. et amittit pallium in die frigoris.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.

21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.

22. Prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi.

23. Ventus aquilo dissipat pluvias; et facies tristis linguam detrahentem.

24. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi.

25. Aqua frigida animæ sitienti; et nuntius bonus de terra longinqua.

26. Fons turbatus pede, et vena corrupta justus cadens coram impio.

27. Sicut qui mel multum comedit, non est eis bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

28. Sicut urbs patens et absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

CAP. XXVI. Alieno loco posita : maledicta temere : correptio : quomodo stulto respondendum : stultus nuntius : sententiæ in ore stulti : ad vomitum reversus : sibi placens, 12. piger, 13 et seq. miscere se rixis, 17. ludens feci, 18, 19. unde jurgia : falsa simplicitas, 22. simulator, 24, 25. occulta odia, 26. malus sibi noxius, 27. verba fallacia, 28.

1. Quomodo nix in æstate, et pluviæ in messe; sic indecens est stulto gloria.

2. Sicut avis ad alia transvolans, et passer quo libet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.

3. Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium.

4. Ne respondeas stulto juxta stul-

15 « Et lingua mollis (scilicet, per responsa lenia) confringet duritiam : » os sive ossum : Heb. durissima quæque.

16 « Mel invenisti : » in voluptatibus temperandum, neque dulcia licet obtrudenda ad fastidium, quo et sequens pertinet.

17 « Subtrahe pedem » : recte LXX. raro admove.

20 « Et amittit pallium : » sic supple : sicut qui removet in frigore pallium, aut acetum infundit nitro quo dissolvitur; sic absurdus, intempestivus, importunus, « qui cantat carmina cordi pessimo, » mœrenti et afflicto : « sicut tinea : » deest Heb. LXX et Chal. habent.

21 « Si esurierit : » a Paulo memoratum. Rom. XII. 20.

22 « Prunas... congregabis : » exsuscitandæ caritati.*

26 « Justus cadens coram impio : » in peccatum, ut videtur, et congruit loco Ezechielis, XXXIV. 18, 19. de pastoribus turbantibus aquam quam populo propinabant, rectam scilicet doctrinam exemplis pessimis.

27 « Sic qui scrutator est majestatis : » Heb. Nec investigatio gloriæ eorum (scilicet arcanorum Dei) gloria (est) id est, non gloriæ, sed dedecori vertit; supple investigantibus. Nota phrasis, qua plerumque supprimuntur ea quæ maxime excellunt, ut quæ animo per sese occurrant.

28 « Sicut urbs patens : » vallum ac munimentum validissimum, in consiliis secretum.

2 « Sic maledictum frustra (immerito, fortuito) prolatum : » maledicta non curanda, quippe quæ quocumque, undecumque, quasi incerto cursu, permeant ac pervolant.

4—5 « Ne respondeas... responde stulto : » varie pro loco et tempore; stultum enim interdum despicere, interdum repercutere oportet.

titiam suam, ne efficiaris ei similis.
5. Responde stulto juxta stultitiam suam; ne sibi sapiens esse videatur.
6. Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.
7. Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias : sic indecens est in ore stultorum parabola.
8. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita qui tribuit insipienti honorem.
9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti; sic parabola in ore stultorum.
10. Judicium determinat causas : et qui imponit stulto silentium, iras mitigat.
11. Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum; sic imprudens qui iterat stultitiam suam.
12. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.
13. Dicit piger : Leo est in via, et leæna in itineribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.
15. Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum eam converterit.
16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.
17. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius.
18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, et lanceas in mortem : 19. ita vir qui fraudulenter nocet amico suo : et cum fuerit deprehensus, dicit : Ludens feci.
20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis : et susurrone subtracto, jurgia conquiescent.
21. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.
22. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris.
23. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.
24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos.
25. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.
26. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.
27. Qui fodit foveam, incidet in

7 « Quomodo pulchras : » varie ex Hebræo vertunt; sensus autem est, tam invalidas esse in ore stulti rectas sententias, quam claudo inutiles pulchras licet tibias.

8 « In acervum Mercurii : » in acervum lapidum Mercurio erectum, quod est impuri nefastique cultus; ita qui indignos colit.

9 « Quomodo si spina nascatur » (ascendit : Hebr.) « in manu temulenti : sic parabola in ore stultorum : » suo se ore configunt.

10 « Judicium determinat » (finit, decidit) « causas : » lites. « Et qui imponit : » causas irarum, rixarumque præbent stultorum sermones, quos qui compescit, similis est illi qui, dijudicando litem, imponit silentium litigantibus. Hebr. obscurissimus : sic autem vertunt : magnus Deus scilicet, formans omnia, et dans mercedem stulto, et dans mercedem transgressoribus : Hebr. unicuique tribuens secundum opera sua.

11 « Sicut canis : » notum illud Petri, II. II. 22.

12 « Vidisti hominem sapientem sibi? » Stulto deploratior qui sibi placet.

14 « Sicut ostium vertitur : » sic piger multo motu, nullo progressu.

16 « Sapientior sibi : » quod prudens, cautus, cunctator sibi videatur.

17 « Sicut qui apprehendit » (vellicat) « auribus canem » efferatum : nempe ad allatrandum et mordendum incitat : « sic qui transit : » sic qui transiens alienæ rixæ se immiscet, nocuus latratusque sibi parat : Hebr. contractior : sic transiens qui irascitur in lite non sua.

22 « Susurronis : » maledici clancularii. « Quasi simplicia : » sincera, candida, mitia « Ad intima ventris : » altissimum vulnus infigunt.

23 « Quomodo si argento.... vas fictile : » vile, testaceum : malum male ornatum : « sic labia tumentia : » accensa : sive insectantia atque exprobrantia : Hebr. « cum pessimo corde : » utraque tam indecora, tam mala sunt.

24 « Labiis suis intelligitur » (agnoscitur) « inimicus, cum in corde.... » agnoscitur quod aliud verbis proferat, aliud tegat pectore.

25 « Submiserit : » demiserit, lenierit.

26 « Qui operit odium : » videtur indicare eos qui blanda simulant; in concione vero, ubi licenda sententia est, depromunt odia.

eam ; et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

28. Lingua fallax non amat veritatem : et os lubricum operatur ruinas.

CAP. XXVII. Crastinum incertum : ab alio laus : ira stulti : correptio : adulatio, 5, 6, 14. patria extorris, 8. amici consilia, 9, 17. paternus amicus, 9, 10. litigiosa mulier : curiositas sive avaritia insatiabiles, 20. laudibus probari, 21. incorrigibilis, 22. agnoscere gregem, 24. ruri vivere : frugalitas.

1. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.

2. Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua.

3. Grave est saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior.

4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor : et impetum concitati ferre quis poterit ?

5. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.

6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

7. Anima saturata calcabit favum : et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

8. Sicut avis transmigrans de nido suo ; sic vir qui derelinquet locum suum.

9. Unguento, et variis odoribus delectatur cor : et bonis amici consiliis anima dulcoratur.

10. Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris : et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.

Melior est vicinus juxta, quam frater procul.

11. Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum ; ut possis exprobranti respondere sermonem.

12. Astutus videns malum, absconditus est : parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

13. Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo ; et pro alienis, aufer ei pignus.

14. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.

15. Tecta perstillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur : 16. qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, et oleum dexteræ suæ vocabit.

17. Ferrum ferro exacuitur ; et homo exacuit faciem amici sui.

18. Qui servat ficum, comedet fructus ejus : et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

19. Quomodo in aquis resplendet

28 « Os, » sive verbum « lubricum : » leve, anguis instar, ac facile inserpens, « operatur ruinas, » dum leniter influit in aures, et cor inficit : sic verba maledica, et quocumque modo fallacia.

4 « Ira non habet..... » Ira est crudelitas, et furor est inundatio. Et quis stabit coram zelo? æmulatione, invidia ? Hebr.

6 « Melioræ... vulnera : » Hebr. fidelia : « vulnera diligentis, quam fraudulenta : » Hebr. crebra, sive ut vertit Theodot. conturbatæ et nimia « oscula » odio habentis.

8 « Sicut avis transmigrans : » Hebr. Sicut avis vagans a nido suo, sic vir vagans a loco suo.

10 « In die afflictionis tuæ : » in adversis ad amicum paternum potius quam ad fratrem seu cognatum non amantem confugias.

12 « Astutus : » idem supra, XXII. 3.

14 « Qui benedicit : » benedicens socio suo in « voce grandi » (affectatis laudibus) « de nocte consurgens, » summo mane (alieno tempore) maledictio reputabitur ei : Hebr. Summa affectata, intempestiva salutatio convicio similis ; et adulatores palam, clam detractores.

15 « In die frigoris : » imbris, Hebr.

16 « Qui retinet : » (abscondit : Hebr. sive domi habet) « quasi qui ventum » (aquilonem, tempestatem) teneat, habeat : « et » tamen vir ejus, « oleum dexteræ suæ, » sibi gratum faustumque « vocabit, » et asperam quamvis, verbis deliniet : alii aliter interpretantur locum obscurissimum.

17 « Et homo exacuit faciem amici sui : » ingenium ex familiari consuetudine.

19 « Quomodo in aquis.... » Brevius : Hebr. sicut in aquis facies ad faciem, sic cor hominis ad hominem : solertem scilicet et prudentem, ut recte Vulgata supplevit.

vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

20. Infernus et perditio nunquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles.

21. Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.

Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.

22. Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:

24. Non enim habebis jugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem et generationem.

25. Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fœna de montibus.

26. Agni ad vestimentum tuum: et hœdi, ad agri pretium.

27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuæ, et ad victum ancillis tuis.

CAP. XXVIII. Impii pavor: justi securitas: multi principes, 2. pauper vexans pauperem: animadversus omnia, 5. pauper, dives, 6, 11, usuræ, 8. malus viæ dux, 10. quid eveniat regnantibus impiis, 12, 15. confessio scelerum, 13. viri timorati: duri, 14. ambulans simpliciter, 18. festinatæ divitiæ, 20. correptio, adulatio, 23. gloriosus, 25, 26. beneficus, impius, 28.

1. Fugit impius, nemine persequente: justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit.

2. Propter peccata terræ, multi principes ejus; et propter hominis sapientiam, et horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.

3. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.

4. Qui derelinquunt legem, laudant impium; qui custodiunt, succenduntur contra eum.

5. Viri mali non cogitant judicium; qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.

6. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus.

7. Qui custodit legem, filius sapiens est; qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.

20 « Similiter et oculi » (curiositas, cupiditas, avaritia, Eccl. IV. 8. v. 9, 10.) « insatiabiles. »

21 « Sic probatur homo ore laudantis: » si modeste, si pudice audiat. « Cor iniqui inquirit mala: » deest Hebr. habent LXX.

22 « Quasi ptisanas: » grana, legumina contusa.

23 « Diligenter agnosce: » œconomica: his enim omnibus frugalitatem commendat; ac vitam pastoralem, agrorumque et pecudum curam, e quibus victus facilis et sufficiens quæritur. Rectoribus populorum solet accommodari, ut suæ plebis ingenium, virtutesque et vitia noscant.

24 « Non enim habebis.... sed corona: » et an corona? Hebr « tribuetur: » fluxa gloria: qua te capi non oportet, sed moderato et parabili tranquilloque victu contentum ruri vivere.

25 « Aperta sunt prata: » quod pariter utilitati voluptatique sit.

26 « Agni ad vestimentum i » duplex commodum: vestitus domi inventus, et parta pecunia.

27 « Lac caprarum: » en mira vitæ istius antiquæ et pastoralis frugalitas; neque enim agni aut hirci ad victum cæsi memorantur; qui hospitibus, aut festivis diebus ad victimas, sacrumque inde epulum servabantur; lac sufficiebat ad vulgarem, quotidianumque cibum.

1 « Absque terrore erit: » deest Hebr.

2 « Propter peccata terræ, multi principes ejus: » multi, brevi tempore sibi succedentes. « Et propter hominis sapientiam: » et in homine intelligente et sciente sic prolongabitur: Hebr. id est, propter sapientiam, temperantemque vitam, et animi æquabilitatem producetur vita principis.

3 « Vir pauper calumnians: » vexans; cum juvare invicem tenuioris fortunæ homines soleant, si se mutuo spolient, ingens evenit calamitas: vel, pauper quo indigentior, eo civitati gravior, postquam ex alieno locupletatus, superbire cœpit.

5 « Animadvertunt omnia: » intelligunt: Hebr. LXX.

8. Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

10. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet; et simplices possidebunt bona ejus.

11. Sapiens sibi videtur vir dives; pauper autem prudens scrutabitur eum.

12. In exultatione justorum multa gloria est; regnantibus impiis ruinæ hominum.

13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14 Beatus homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est duræ, corruet in malum.

15. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus.

17. Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.

18. Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel.

19. Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

20. Vir fidelis multum laudabitur; qui autem festinat ditari, non erit innocens.

21. Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit; iste et pro bucella panis deserit veritatem.

22. Vir qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.

23. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

24. Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre, et dicit hoc non esse peccatum; particeps homicidæ est.

25. Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat: qui vero sperat in Domino, sanabitur.

26. Qui confidit in corde suo, stultus est; qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.

27. Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

28. Cum surrexerint impii, abscondentur homines; cum illi perierint, multiplicabuntur justi.

CAP. XXIX. Correptionis impatiens: impii principes: rex justus: adulator, 5. ne cum stulto contenderis, 9. loquax, 11, 20. princeps mendaciorum amans, 12. regum robur, 14. puer sibi relictus, 15. educatio, 17. servi, 19, 21 ad Deum respicere, 25, 26.

1. Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus; et eum sanitas non sequetur.

8 « Qui coacervat usuris et fœnore; » *méta tokôn kai pléonasmôn*. Frustra distinguunt hic genera usurarum: utrumque enim refertur ut turpe et etiam vetitum. Vide Ezech. XVIII. 8 « Liberali in pauperes: » sæpe monitum, male parta compendia piis bonisque cedere: infra, 10.

9 « Oratio ejus erit execrabilis: » preces.

10 « Qui decipit: » LXX. planius: qui seducit rectos in viam malam: qui recta sectantes pravis consiliis impingit in malum: « in interitu suo corruet: » in fovea sua: Hebr.

11 « Pauper autem prudens scrutabitur eum: » ejus arcana perspiciet: sagacior erit.

13 « Non dirigetur: » non aget prospere.

14 « Qui semper est pavidus: » pro delicto suo: ut ex antecedenti patet: sic Job etiam innocens: « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti; » IX. 28.

17 « Qui calumniatur animæ sanguinem: » qui vitæ hominis insidiatur, ei etiam in præceps ruenti nemo succurret.

21 « Iste et pro buccella: » conscientia semel pretio pretio prostituta, pro nihilo venumdatur.

25 « Sanabitur: » pinguescet: Hebr.

27 « Sustinebit penuriam: » ita etiam LXX. At Hebr. sustinebit multa et gravia maledicta.

2. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus : cum impii sumpserint principatum, gemet populus.

3. Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum ; qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.

4. Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.

6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus : et justus laudabit atque gaudebit.

7. Novit justus causam pauperum : impius ignorat scientiam.

8. Homines pestilentes dissipant civitatem : sapientes vero avertunt furorem.

9. Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive rideat, non inveniet requiem.

10. Viri sanguinum oderunt simplicem; justi autem quærunt animam ejus.

11. Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, et reservat in posterum.

12. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.

13. Pauper, et creditor obviaverunt sibi; utriusque illuminator est Dominus.

14. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.

15. Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, et justi ruinas eorum videbunt.

17. Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ.

18. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus : qui vero custodit legem, beatus est.

19. Servus verbis non potest erudiri ; quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit.

20. Vidisti hominem velocem ad loquendum ? stultitia magis speranda est, quam illius correptio.

21. Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.

22. Vir iracundus provocat rixas ; et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

23. Superbum sequitur humilitas; et humilem spiritu suscipiet gloria.

24. Qui cum fure participat, odit animam suam : adjurantem audit, et non indicat.

25. Qui timet hominem, cito corruet; qui sperat in Domino, sublevabitur.

26. Multi requirunt faciem principis ; et judicium a Domino egreditur singulorum.

27. Abominantur justi virum impium ; et abominantur impii eos, qui in recta sunt via.

Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

3 « Vir qui amat : » sapientiæ amorem impuris amoribus opponit.

9 « Vir sapiens, si cum stulto contenderit : » litigaverit : « sive irascatur, sive rideat : stulto enim nescias quid facias.

10 « Justi autem quærunt animam ejus : » curabunt salutem ; sic quærere animam : « Psal. CXLI. 5.

11 « Totum spiritum suum profert stultus : » totam mentem suam ; iram, LXX. « reservat : » compescit : cohibet : Hebr.

13 « Pauper, et creditor : » vir usurarum : oppressor : Hebr. « obviaverunt sibi : » in conspectu positi : « utriusque illuminator, » inspector « est Dominus. »

19 « Servus : » molliter praeque institutus, ut ỳ 21. sive servilis animus. « Respondere contemnit : » præ stoliditate ac ferocia.

20 « Stultitia magis speranda est : » spes est de stulto magis, quam de verboso illo et temere loquente.

23 « Humilitas : » vilitas, casus.

24 « Adjurantem audit : » Hebr. maledictionem sive execrationem adversus eos qui sceleribus, vel tacendo participant. Levit. v. 1.

26 « Multi requirunt : » ad unum principem universa multitudo intendit oculos; verum a Deo solo judicium est, quem despiciunt.

27 « Verbum custodiens : » deest Hebr. et LXX.

CAP. XXX. Sapiens pro imperito se habet : scientia sanctorum, 3. nosse nomen Dei et ejus filii, 4. verbum Dei, clypeus : duo roganda, 7. et seq. qui execrabiles, 11 et seq. quæ insatiabilia : parentum contemptores : occulta et indeprensa : quæ concutiant terram : alia ænigmata : stultus excelso loco, 32. vehementer exsugens et emungens, 33. regum adumbrata majestas, 30, 31.

1. Verba Congregantis filii Vomentis.
Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus, ait :
2. Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.
3. Non didici, sapientiam, et non novi scientiam sanctorum.
4. Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus; et quod nomen filii ejus, si nosti?
5. Omnis sermo Dei ignitus; clypeus est sperantibus in se. 6. Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax.
7. Duo rogavi te; ne deneges mihi antequam moriar.
8. Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me.
Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria: 9. ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.
10. Ne accuses servum ad dominum suum; ne forte maledicat tibi, et corruas.
11. Generatio, quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.
12. Generatio, quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis.
13. Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ.
14. Generatio, quæ pro dentibus

1 « Verba congregantis : » verba Agur filii Jace : Hebr. nomina propria, quorum loco hic et in seq. Vulgata interpretationes nominum ponit. « Visio : » onus : Hebr. ut in prophetis. Onus quod locutus est vir ad Ithiel et Ucal : Hebr. discipulos suos, ut videtur.

3 « Et non novi scientiam sanctorum : » ut demonstret se non nosse hanc sanctorum scientiam, interrogat seipsum de Deo, quisnam sit, et nescire se fatetur : unde sequitur :

4 « Quis ascendit in cœlum ? » Quis cœlum terramque sua potentia pervasit ? « Quis suscitavit » (statuit Hebr.) « omnes terminos terræ ? Et quod nomen filii ejus ? » ejus scilicet filii, de quo supra, VIII. 22. dicitur : « Dominus possedit, » (sive genuit) « me : » per quem omnia facta esse indicat eodem loco, quem tamen tu nequidem de nomine nosti; ac neque nomen Dei quatenus pater est, aut quo vera ejus natura explicetur. LXX. et ex illis Ambrosius, pro, filii ejus, habent, et filiis ejus : edit. Rom. cap. XXIV. Contra Chal. Syr. Aq. Symm. Theodot. singulari numero : filio ejus : nonnulli quoque Gr. LXX. codices : *teknu* non *teknois* : atque omnino Vulgatæ lectio retinenda, quam etiam Augustinus prætulit, Ep. XLIX, quæst. 5. nunc Ep. CII. n. 29. Causam autem cur id LXX. mutaverint, eam esse apparet, quod Verbi nativitate nondum aperte prædicata, infirmorum ac maxime Gentilium offensionem metuerent : certe Hieronymus : in illa verba Isaiæ, IX. 6. « Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis; » docet hac nominum majestate perterritos LXX. non esse ausos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit, et cætera : sed pro his sex nominibus posuisse quod in Hebraico non habetur : nec desint alii loci, in quibus pari œconomia usos putaverim.

5 « Omnis sermo Dei ignitus : » igne purgatus : Hebr.

8 « Vanitatem, et » (quod idem est) « verba mendacia : » sive quæ audiam, sive quæ proferam. « Tribue tantum victui meo necessaria : » panem constitutum, Hebr. convenientem, sufficientem, LXX. quod idem petimus in oratione dominica.

10 « Ne accuses servum : » malevolo animo : « ne forte maledicat tibi, » sic enim Eccli. IV. 6. exaudit Deus pauperem, denegato victu, imprecantem : non quod ipse ei gratus, sed quod alter invisus, eoque supplicio dignus.

11—12—13—14 « Generatio : » enumerat multas res, quæ bono cuivis merito displicent, quas etiam redigit in suam quamque classem, sive gentem atque progeniem, generationis nomine. Videntur autem esse quædam velut ænigmata, ut fere per reliquum caput : sed prima hæc per se clara sunt.

gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.

15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer.

Tria sunt insaturabilia; et quartum, quod nunquam dicit: Sufficit.

16. Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit.

17. Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.

18. Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro;

19. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.

20. Talis est et via mulieris adulteræ, quæ comedit, et tergens os suum dicit: Non sum operata malum.

21. Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere;

22. Per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo: 23. Per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.

24. Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus.

25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi; 26. lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum; 27. regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas; 28. stellio manibus nititur; et moratur in ædibus regis.

29. Tria sunt, quæ bene gradiuntur; et quartum, quod incedit feliciter.

30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum; 31. Gallus succinctus lumbos; et aries: nec est rex qui resistat ei.

15 « Sanguisugæ duæ : » recto casu, hirudines; has autem interpretari licet, avaritiam, ut supra, XXVII. 20. et libidinem. Tales etiam usurarius ac meretrix fuerint, qui ubi semel os admovent, totam substantiam exsugunt, atque exhauriunt.

16 « Infernus : » mors, sepulcrum. « Os vulvæ : » constrictio vulvæ : Heb. prolisque amans sterilis. Iis ego adumbrari crediderim vitiosas cupiditates quatuor, quales fuerint : crudelitas nunquam exsatiata mortibus atque suppliciis, qualis persecutorum fuit : libido : avaritia, omnia deglutiens : prodigalitas, omnia instar ignis voracissimi, depascens ac dissipans.

17 « Et qui despicit partum matris suæ : » obedientiam : Heb. « Corvi de torrentibus, » circa torrentes volitantes, depascendis cadaveribus quæ devolverint, aut circa profluentes aquas, ut passim visitur.

19 « In adolescentia : » propter studiorum inconstantiam : ita LXX. At Heb. in adolescentula, sive in puella : quod sequenti congruit. His autem designari videntur ambitiosorum hominum excelsa, tortuosa, lubrica, atque ubique, cœlo, terra, marique indeprensa consilia : nullo scelerum ac fraudis relicto vestigio, quod et sequens indicat.

21 « Per tria movetur terra : » turbatur.

24 « Et ipsa sunt sapientiora sapientibus : » animalculorum sagacitates demonstrant sapientiam, humana etiam sapientia altiorem.

26 « Lepusculus : » cuniculus : Heb, alii, ericius, seu quodcumque illud est genus animantum, quod vitam suam infirmam abditis locis, velut arce, tuetur.

27 « Regem locusta non habet, » et tamen turmatim incedit, agrosque ordine depascit justi instar exercitus : quo duce, nisi illo qui animantibus omnibus victum parat ?

28 « Stellio manibus nititur : » alii, aranea, cui congruere videntur manus, propter egregiam textendi industriam. His nititur pronum animal ut cætera, et tamen « moratur in ædibus regis : » nec quacumque vi, aut industria pelli potest. Sic minimis rebus, sua est a Deo præstantia, sua vis.

31 « Gallus succinctus lumbos : » ita Chal. et LXX. Alii canem venaticum intelligunt, capiendis leporibus, velut subligatis renibus accinctum ad cursum. « Et aries : » aliis hircus : quibus et Alexander comparatur : Dan. VIII. Adumbrare autem voluisse videtur tribus antecedentibus regem, postremum omnium memoratum. « Nec est rex : » Heb. et rex : quod erat quartum genus : « qui resistat ei : » ex Heb. sic vertunt : et rex altum (quiddam) cum eo : inaccessum, inexpugnabile : sive et non datur resistere illi : ex horum igitur animantium decore et gloria, regiæ majestatis adumbrat imaginem. Gregorius Nazianzenus orat. XXXVII. sic refert, « Tria sunt quæ recte incedunt, leo, hircus et gallus, et quarto loco rex conclonatus gentibus, sive in consessu publico : » quod etiam habent LXX. in edit. Rom. cap. 24.

32. Est qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime; si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.

33. Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emungit, elicit sanguinem; et qui provocat iras, producit discordias.

CAP. XXXI. Mulieres exitio regibus; vinum quibus dandum : patrocinandum imbecillis et peregrinis : mulier fortis, ejus opera, industria, opes, vigil animus simul et beneficus, providentia, monita, sapientia, ac modestus decor.

1. Verba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua.

2. Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid, dilecte votorum meorum?

3. Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges.

4. Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.

5. Et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.

6. Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo : 7. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.

8. Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt : 9. Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem.

10. Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.

11. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.

12. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

13. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.

32 « Et qui stultus : » si stulte te extulisti, et si prava cogitasti, manum ad os : Heb. id est ; obmutescito.

33 « Qui autem fortiter : » Heb. compendiosius, sed eodem sensu : significat autem homines non ultra modum urgendos, ne in iras et aperta odia, ac seditiones victa patientia erumpat.

1 « Verba Lamuelis : » Lamuel : Heb. apud illos Deus ; quo nomine volunt designari Salomonem, quod ejus temporibus alta pace potiti, prospere egerint. « Visio qua erudivit eum mater sua : » sic Salomon solet ad matrem referre documenta, ac loquentem inducere : supra, IV, 3, 4.

2 « Quid, dilecte mi, » fili mi : Heb. et ita in seq. Quæ matris blanditiæ congruunt cum citato loco, supra, IV. 3.

3 « Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas : » LXX. divitias tuas et mentem tuam et vitam : Heb. vires tuas et vias tuas ; quod sufficiat, « ad delendos reges : » ne consilia tua mulieribus subdas, ita enim reges pereunt.

4 « Noli regibus dare vinum : » Heb. addit : nec gubernatoribus siceram. « Quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas : » desunt hæc Heb. videtur esse glossema. Docet autem his duobus versibus ab omnigenis voluptatibus temperandum, ac primum ab amoribus, tum a luxuriosis tumulentisque conviviis.

6 « Date siceram mœrentibus : » pereunti : Heb. « Voca pauperes, debiles, claudos et cæcos : » Luc. XIV. 13. solatio et honorificentiæ. Cæterum de vino parce adhibendo jam dixit XXIII. 31.

8 « Aperi os tuum muto : » patrocinare ei qui pro se dicere non potest : « et causis omnium filiorum qui pertranseunt : » filiorum transitus : Heb. vel excisionis : sive de vita periclitantibus, sive in genere mortalibus : denique peregrinis.

10 « Mulierem fortem : » œconomicum, quo fusius explicat ea quæ paucis comprehenderat XII. 4. XIV. 1. commoda nempe ex bona uxore provenientia : atque his conjugia firmat, eorumque gratiam et fructum meretriciis amoribus toties suggillatis latenter opponit. Reliqua ad finem libri acrosticha per singulas alphabeti litteras.

11 « Spoliis non indigebit : » præda : non manubiis : sat scilicet mulieris bonæ ditatus laboribus.

12 « Reddet ei : » viro scilicet.

13 « Et operata est consilio (arte, peritia) : manuum suarum : » voluntate : studio : Heb.

14. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.
15. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.
16. Consideravit agrum, et emit eum; de fructu manuum suarum plantavit vineam.
17. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.
18. Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus; non extinguetur in nocte lucerna ejus.
19. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.
20. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.
21. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.
22. Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum ejus.
23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.
24. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.
25. Fortitudo et decor indumentum ejus; et ridebit in die novissimo.
26. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.
27. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.
28. Surrexerunt filii ejus; et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, et laudavit eam.
29. Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.
30. Fallax gratia, et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.
31. Date ei de fructu manuum suarum; et laudent eam in portis opera ejus.

14 « Quasi navis institoris, de longe portans : » onusta victu atque opibus; provida.

15 « Deditque prædam domesticis suis : » cibum, dèmensum.

19 « Manum suam misit ad fortia : ad vertibulum (filo evolvendo) : Heb. quod alii, colum.

22 « Stragulatam vestem : » tapetes, aulæa, nocturna pallia exquisitissima : « fecit sibi : » non pretio comparavit, sed ipsa sibi texuit.

24 « Et cingulum tradidit Chananæo : » mercatori : Heb.

25 « Et ridebit in die novissimo : » mortem non timet, neque eventura quæque, constituta familia, rebus stabilitis, amicis quoque per eleemosynas comparatis, supra, 20. a quibus in æterna tabernacula recipiatur, ut est Luc. XVI. 9.

26 « Lex clementiæ : » non illa est litigiosa et pugnax, de qua sæpe antea.

28 « Surrexerunt : » in ejus, credo, funere, propter ỳ 25.

29 « Multæ filiæ congregaverunt divitias ! » sermo viri et filiorum, optimam uxorem, optimam matrem collaudantium.

31 « Date ei de fructu : » gloriam faustamque memoriam, sortemque justorum. « Et laudent eam in portis (publice) opera ejus : » nec laudanda verbis, quam merita sua sat prædicent, qui est laudum cumulus.

Intueamur, christiani, quam Salomon nobis studiosæ mulieris informat effigiem. Non illa somno atque inertiæ indulget, otiosa, verbosa, delicata ac per domos discurrens : sed domi intenta laboribus, lucerna semper vigili, ipsa de nocte surgens, familiæ cibos pariter, atque opera dividit. Atqui non rusticanam fingit ac pauperem, aut certe sordidam, tantumque hærentem quæstui; cujus vir in portis nobilis, senatorio habitu, inter principes civitatis sedet; ipsa bysso et purpura conspicua, viri, liberorumque, ac familiæ decus, veste quoque tuetur : suam simul commendat diligentiam : splendet enim domus aulæis, tapetibus, atque exquisitissimis lectorum operimentis; sed quæ ipsa texuerit. Non tamen hic gemmas, lapillosque, aut aurum audieris. Utilia, non vana sectatur, nec pompam, sed solidam rerum speciem. Lenis interim, benefica in egenos, nec familiæ gravis; hera cautissima, sollicita mater, non tantum imperat; verum etiam docet, hortatur, monet : nec nisi verba promit sapientia : nil temere agit aut levitèr : emit quidem agrum, sed quem prius ipsa consideraverit. Neque hic pudicitiam memorari oportuit, qua carere, probro; ornari, prudens mulier haud magnæ laudi ducit. Cæterum facile intellexeris mollitiem, aut libidinem non irrepere in hanc vitam. Clara imprimis cultu ac timore Domini; non tamen vanis addicta religionibus, sed quæ in exequendis matrisfamilias officiis, vel maximam partem pietatis reponat, intenta familiæ atque operi; cujus laudes hac una fere sententia complectaris : « Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. » At nunc præclare agere se putant, si tantum castæ, probæque, amandi, otiandi, maledicendi studium lusu assiduo arceant.

PRÆFATIO

IN ECCLESIASTEN.

I. Summa Ecclesiastæ. — II. De ultimo capite ac traditione Hebræorum observandus sancti Hieronymi locus. — III. Libri tempus; Hebræorum traditio; Hieronymi loci. — IV. Responsio ad objecta. — V. De auctore libri : Grotii singularis opinio. — VI. De versionibus, ac primum de Septuaginta, atque antiqua latina ipsis inhærente. — VII. Certis argumentis probatur Vulgatam nostram ab antiqua latina plurimum discrepare. — VIII. Tres S. Hieronymi versiones; prima deducta ex Commentario ad Paulam. — IX. Altera versio ejusdem Hieronymi, seu potius antiquæ latinæ emendatio ex Græco LXX. — X. Tertia interpretatio sancti Hieronymi ex Hebræo, quæ est Vulgata nostra. — XI. Cur Vulgata nostra non semper Hebræo consentiat; ratio interpretandi Hieronymiana ex ipso sancto Hieronymo statuitur. — XII. De Commentariis S. Hieronymi in Ecclesiasten.

I. Totus hic liber unica velut argumentatione concluditur; cum vanæ omnia sub sole sint, vapor sint, umbra sint, ipsumque nihilum; id unum in homine magnum verumque esse, si Deum timeat, præceptis ejus pareat, ac futuro judicio purum atque integrum se servet. Hujus enthymematis prima pars, rerum humanarum enumeratione, tantique regis experimentis constat, ut quia exquisitissimas voluptates assequi, alii per egestatem aut imperitiam nequeant, alii temperantia non curent; existat Salomon unus regum opulentissimus, rerumque prudentia clarissimus, qui cum ultro fateatur, in tanta bonorum affluentium copia, nihil a se denegatum cupiditatibus, simul tamen cogatur agnoscere, non modo vana et nulla, verum etiam irridenda partim, partim etiam deploranda esse omnia, sibique tam florenti, tam beato, vitam fuisse tædio, ac potiores visos qui necdum nati essent.

Id autem sic conficit : quod homo nascatur ad malorum experientiam : (II. 17. IV. 2, 3.) neque quidquam in sapientia sit præsidii, neque ea tolli queat cæcum illud, atque improvidum, quo in perniciem, velut objecto hamo, præsentisque laqueis, inscii devolvamur. (IX. 12.) Quin ipsa etiam qualis esse solet in humano genere sapientia, inter vanissima, imo inter cruciatus animi reputenda sit : docet denique (I. 17, 18.) eo deduci hominem tot ærumnis, curis, libidinibus, laboribus, erroribus, ut cæca mersus caligine, neque sapientem a stulto, (II. 14, 15, 16.) neque, quod est gravius, seipsum a pecude satis secernere valeat : (III. 18, 19, 20.) donec ad Deum, ejusque judicia conjectis oculis, deprehendat in se illud occultum, quod ad Dei imaginem conditum, dissoluto corpore, atque in terram suam abeunte, ad auctorem Deum redeat, ejus arbitrio judicandum ; atque id quidem ultimo capite ; et uno verbo transigitur. Cæterum toto libro præparatur jactis veri seminibus, sanisque sententiis, velut radiis inter offusas tenebras intermicantibus : (III. 16, 17. VIII. 12) quæ sane sententiæ velut disjectis nubibus, tandem in limpidissimam lucem erumpunt. (XII. 7, 13, 14.) Sic agit Ecclesiastes, sive Concionator noster, ac presso regis nomine, advocatæ concionis factus admo-

nitor, sapientissimis quidem ac profundissimis, sed tamen popularibus, atque ab ipsa experientia repetitis argumentis, hominem ad humana vitanda, et capessanda divina compellit.

II. De ultimi capitis ultimo versiculo, quo Dei judicium commendatur, libet hic attexere integrum sancti Hieronymi locum, qui toti libro multum lucis afferat; sic autem habet: « Aiunt Hebræi, cum inter cætera scripta Solomo-
» nis, quæ antiquata sunt, nec in memoria duraverunt, et hic liber obliteran-
» dus videretur, eo quod vanas assereret Dei creaturas, et totum putaret esse
» pro nihilo, et cibum, et potum, et delicias transeuntes præferret omnibus:
» ex hoc uno capitulo meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum nu-
» mero poneretur, quod totam disputationem suam, et omnem catalogum hac
» quasi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit, et dixerit, finem sermonum suorum au-
» ditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet
» Deum timeamus, et ejus præcepta faciamus. Ad hoc enim natum esse ho-
» minem, ut creatorem suum intelligens, veneretur eum metu, et honore, et
» opere mandatorum. » Hæc Hieronymus ad caput XII. 11, 13, 14. Comment. in Eccl. Neque tamen putemus hos tantum versiculos priscis sapientibus dignos esse visos quos Spiritus sanctus dictaverit: imo vero cæteros ex his maxime æstimatos fuisse, quippe cum ad illos totum librum referri facile intelligamus, nihilque sit proclivius quam ut confugiamus ad Deum, posteaquam cætera omnia vana esse constiterit.

III. De tempore quo hic liber scriptus est, non displicet traditio Hebræorum quam idem Hieronymus sic refert: « Aiunt Hebræi hunc librum Salomonis
» esse pœnitentiam agentis: quod in sapientia, divitiisque confisus, per mu-
» lieres offenderit Deum. » (*Ad cap.* I. v. 12.) Nec nisi devio Salomoni convenire posse videtur illud: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur :... et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo:* (cap. II. 10.) neque id in aliena persona, sed in sua dixit, propter illud quod proxime antecedit: *Supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem:* (II. 9.) quæ quam proprie Salomoni conveniant, perspicuum est. Huc accedit illud de mulieribus: *Lustravi universa animo meo; et inveni amariorem morte esse mulierem, quæ laqueus venatorum est,* etc. (*cap.* VII. 26, 27, 28.) quo loco idem Hieronymus: « Non putemus temere hanc Salomonem de omni
» genere mulierum protulisse sententiam: quod expertus est, loquitur: »
subditque: « et hæc secundum litteram. » Et ad illud: « Mulierem bonam
» invenire non potui (*ibid.* 29): subdit: omnes enim me ad luxuriam, et non
» ad virtutem deduxerunt. » Quæ efficere videntur, ut liber hic errorum experientiam, atque inde prognatum vitæ in melius commutatæ studium sapiat.

IV. Neque deterret illud, quod Josias polluisse memoretur *Excelsa quæ erant in Jerusalem,... quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum,* etc. (IV. Reg. XXIII. 13.) Rogo enim, an infanda excelsa Josaphato, Ezechiæ, aliisque piis regibus intacta perstiterint, etiam prophetis tacentibus? Vel ergo destructa pollutaque, postea instaurata fuerint, vel profecto verum illud, esse plurima quæ optimorum quoque regum diligentiam fugiant, aut negotiorum multitudine, aut perfidia ministrorum; quod etiam Salomoni contigisse potuerit. Atque hæc quidem, quam vidimus de Salomonis pœnitentia, non modo Hebræorum ac sancti Hieronymi, verum etiam aliorum interpretum conjectura est. Cæterum conjectura tantum; Deo enim placuit tanti viri errata certa esse, salutem ac resipiscentiam in dubio, ut qui stat, videat ne cadat; neque in seipso quisquam, magnus quamvis et sapiens, sed in Domino glorietur.

V. De auctore libri litigantem habemus Grotium, qui putat sub Salomonis resipiscentis nomine, post Babylonicam migrationem esse confictum. Audax criticorum genus, spreta Hebræorum, christianorumque omnium traditione cum antiquissimis inscriptionibus, quæ veræ criticæ norma est; omnia ex palato suo æstimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutus cæteris sapere, atque intelligere videatur. Placuit autem Grotio, eo quod in Ecclesiaste quædam chaldaica legantur vocabula, talem esse stylum, qualis in Daniele et Esdra, post migrationem, invenitur Chaldæo Hebræoque mixtus. At profecto nil tale deprehendunt, qui earum rerum gustum habent exquisitissimum; neque aliud in Ecclesiaste sapiunt, quam in puris putisque Hebræis, atque etiam in aliis Salomonicis. Sunt sane hic Chaldaica, sed paucissima, quorum pars ab antiquis interpretibus memorata, et suo loco notanda: neque multa ejusmodi adduxit Grotius, quantumvis harum rerum curiosus indagator, neque prætermissurus quæ eruditionem commendarent; ac si plura essent, notum inter affines ejusdemque fere ingenii linguas multa vocabula solere esse communia, vulgatumque elegantissimis auctoribus, præsertim in eruditis scriptis, quale istud est, ex peregrinis linguis aliquid inspergere. Neque necesse pluribus refellere eam, quam nemo secutus sit, sententiam; ac tantum observari oportet, id genus conjecturæ quos pandant aditus subruendis majorum decretis atque auctoritatibus. De aliis autem Grotii erratis in Ecclesiasten, necessario erit commonendus lector: *ad cap.* XII. v. 7.

VI. De versionibus, antiquam græcam habemus hebraicæ veritati maxime inhærentem; non ita in Proverbiis, ut diximus: quæ diversitas in aliis quoque libris invenitur: unde argumentari liceat eam versionem, quæ *Septuaginta* dicitur, non uno auctore, neque una forsitan ætate conscriptam. Latinam versionem, ex illa interpretum Septuaginta deductam, ante Hieronymum universa occidentalis Ecclesia frequentabat, e qua plures textus ab antiquis Patribus allegatos passim invenias; unum autem caput, quartum scilicet, a B. Ambrosio integrum representatum, *Exhortatione ad clericos, supra caput* IV. *Ecclesiastæ.*

VII. Non defuere qui crederent, antiquam Vulgatam esse eam, quam nunc quoque Vulgatæ nomine terimus, neque hanc Hieronymi esse, quemadmodum ejus sunt reliquæ fere Vulgatæ nostræ partes; quin etiam esse aliam ab eodem Hieronymo confectam ex Heoræo versionem, quæ in ejus Commentariis ad Paulam et Eustochium invenitur, quam tamen Ecclesiæ usus non admiserit; qua de re, primum illud pro certo habere nos oportet, Vulgatam nostram ab illa antiqua diversissimam esse: quod, vel unum illud ab Ambrosio relatum caput quartum Ecclesiastæ, liquido demonstrare possit. Sunt etiam loci plurimi ab antiquis citati, atque a Vulgata nostra maxime discrepantes, quos passim apud Flaminium aliosque reperias. Neque minus constat Vulgatam nostram multum differre a LXX. quos antiqua Vulgata sequebatur. Sanctus Hieronymus Commentario ad Paulam memorat, vocem hebraicam quam LXX. περισπασμόν Vulgata nostra *occupationem*, interpretati sunt (*cap.* I. v. 13.) a latino interprete *distentionem* fuisse intellectam: eo quod in varias sollicitudines mens hominis distenta, lanietur. Aliud ergo habuit latinus interpres, quam id quod hodie in Vulgata nostra legitur. Huc accedunt ea quibus ostendemus Vulgatam nostram omnino esse Hieronymi.

VIII. Fatemur sane Hieronymum, anteaquam hanc ederet, aliam versionem Commentario ad Paulam interseruisse, hebraico textui maxime congruentem. Eam antiqui Hieronymi editores Erasmus et Marianus collectam ex Commentariis protulere, quam nos quoque exemplo editorum codicum, alteram in columnam Vulgatæ nostræ respondentem redegimus; ut lector promp-

tiorem haberet sancti Hieronymi laborem universum, qui nunc superest. Sic enim hebraica veritas, brevitasque et simplicitas cui hæc versio hæret, clarius detegetur, existetque lux, interpretationum comparatione facta. Cæterum non ita habere antiquos manuscriptos codices, viro doctissimo ac religiosissimo Joanne Martianæo monstrante, perspeximus.

IX. Alteram interpretationem idem Hieronymus ex LXX. fecerat, seu potius antiquam Vulgatam ad Origenianorum Hexaplorum normam emendaverat, ut in præfatione ad sanctos episcopos Chromatium et Heliodorum huic nostræ editioni præfixa significat; quæ versio nunc deest.

X. Tertia interpretatio est ea, quam nunc Vulgatam vocamus. Eam vero a sancto Hieronymo ultimo loco editam, simul cum aliorum Salomonicorum librorum versione ex hebraicis fontibus, ipse profitetur præfixa præfatione, quam mox diximus. Quam sane versionem Hieronymi esse docent, et illa præfatio, et congruens aliis Hieronymianis versionibus stylus, et sancti Augustini collectum ex Ecclesiaste speculum; cum ea sancti viri specula ab Hieronymiana interpretatione deducta, atque ideo Vulgatæ nostræ congrua, præfatione in Proverbia ostensum sit.

XI. Cur autem illa versio, hoc est Vulgata nostra, non ita Hebræo congruat, atque illa, quam Commentario ad Paulam intersertam fuisse vidimus, facile intelliget qui universam Hieronymianarum interpretationum rationem mente perceperit. Sic autem agebat vir maximus, primum, quod in procemio Commentarii ad Paulam ipse profitetur, « ut de Hebræo transferens, magis » se LXX. interpretum consuetudini coaptaret, in his duntaxat, quæ non » multum ab hebraicis fontibus discreparent: » deinde ut phraseon potius vim, quam accuratam ad verbum translationem sectaretur: tum ut suppleret quædam, elucidationis causa, quæ hebræo textui deessent: postea ut in dubiis illustriores sensus, atque usui Ecclesiæ magis celebratos, aut informandis moribus aptiores præferre soleret: postremo quod consultis hebræis, atque etiam antiquioribus interpretibus Aquila, Symmacho, Theodotione, hebraici sermonis ampliorem sibi ideam comparasset ea, quam rabbini recentiores effinxerint, ipso linguæ spiritu per tot secula labente aut amisso. Horum exempla quædam in his notis invenies: cætera ut obvia, ita parum instituto nostro necessaria, referre non est animus: sufficit reclusisse generatim varietatum fontes, simulque evicisse, non eas ita interpretandas, ut multi temere faciunt, tanquam Hieronymus non satis assecutus sit sermonis hebraici proprietatem ac vim. Cæterum, ut fateri libet, non deesse, quæ tantum quoque virum fugerint, eas tamen esse plerumque discrepantiæ causas quas memoravimus, æquus rerum æstimator, ac diligens explorator facile animadvertet; nos vero in his notis, data occasione, quædam delibabimus, unde de cæteris æstimari possit.

XII. De Commentariis ad hunc librum innumerabilibus tacemus. Unum habemus sancti Hieronymi ad Paulam et Eustochium, quo maxime utimur; quippe quem et perspicuitate et elegantia, et eruditione, variarumque rerum scientia præstare, docti fateantur. Ex hoc itaque selectissima quæque proferimus. Verum de his plus satis; nunc egregium Concionatorem audire, ab eoque excelsum illum, ac mundi contemptorem spiritum ducere præstiterit.

SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI,

IN ECCLESIASTEN,

AD PAULAM ET EUSTOCHIUM

PROOEMIUM.

Memini me, ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blesillæ legerem, ut eam ad contemptum istius seculi provocarem, et omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo; rogatum ab ea, ut in morem commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere, quæ legebat. Itaque quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc perculsus, obmutui; nunc in Bethlehem positus, augustiori videlicet civitate, et illius memoriæ, et vobis reddo quod debeo: hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem secutus sum; sed et de Hebræo transferens, magis me Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi, in his duntaxat quæ non multum ab hebraicis discrepabant. Interdum Aquilæ quoque, et Symmachi, et Theodotionis recordatus sum; ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem, nec rursum contra conscientiam meam, fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer.

LIBER

ECCLESIASTES.

CAPUT PRIMUM. Universim vana omnia : singillatim vana humana sapientia, sciendique cupiditas et curiositas : nihil enim novum, atque inexplicabilia omnia : ex scientia labor crescit.

ALIA VERSIO SANCTI HIERONYMI.
Ex Commentario ad Paulam.

Verba Ecclesiastes, filii David, regis Hierusalem.

Vanitas vanitum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum : omnia vanitas.

Quid superest homini in omni labore suo, quo loborat sub sole?

Generatio vadit, et generatio venit, et terra in seculum stat.

Oritur sol, et occidit sol, et ad locum suum ducit, et oritur ipse ibi; vadit ad austrum, et gyrat ad aquilonem.

Gyrans gyrando vadit spiritus,

VERSIO VULGATA.

1. Verba Ecclesiastæ filii David, regis Jerusalem.

2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : Vanitas vanitatum; et omnia vanitas.

3. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?

4. Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat.

5. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur : ibique renascens,

1 « Verba Ecclesiastæ ; » seu concionatoris, « filii David, » Salomonis, ex ℣ 12.

2 « Vanitas vanitatum. » Antiqui interpretes, præter LXX. teste Hieronymo, vertebant, vapor vaporum, fumus, aura tenuis; sed vanitas aliquid sonat exilius, ipsum nempe nihilum, imo nihilum nihili, hoc est purissimum, atque, ut ita dicam, nullissimum nihilum : quod nec semel dixisse sufficiat; imo iterum ac tertio cum Ecclesiaste exclamare compellimur : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. »

3 « Quid habet amplius homo ? » Anteaquam ad cætera vana decurrat, universim demonstrare aggreditur omnia vana esse; quod operosa quamvis, cassa tamen, nulloque fructu sint, hic; quod mutabilia, ℣ 4 ad 8. quod incerta et inexplorata, ℣ 8. prælibata etiam scientiarum vanitate, de qua postea uberius; quod æque obliviscenda, ac alia præteritis ætatibus clara, nunc oblita et nulla, ℣ 9. usque ad 12. « Quid habet amplius : » aliter : quid superest homini ? omnia effluunt e manibus, validis licet ac tenacissimis.

4 « Generatio præterit : » idem Eccli. XIV. 18. Horatius :

——————— hæres
Hæredem alterius, velut unda supervenit undam.

« Terra in æternum stat : » communis et immota tot mutationum ac generationum sedes.

5 « Oritur sol, et occidit : » omnia mutabilia; sol ipse, qui in lucem mortalibus datus est, interitum mundi quotidie ortu suo indicat et occasu : Hier. « Revertitur : » aspirat : Hebr. anhelat, anhelus properat, præcipitat cursum, atque in se, sua per vestigia, volvitur annus. Hier. Quasi diceret : En omnia in orbe mutationibus subsunt; neque tantum hominum generationes, verum etiam sol, dies, tempora, aer seu ventorum flatus, aquarum natura, ℣ 6, 7.

et in circulos suos revertitur spiritus.

Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non impletur; ad locum de quo torrentes exeunt, illic ipsi revertuntur, ut introeant.

Omnes sermones graves non poterit vir loqui. Non satiabitur oculus videndo, et non implebitur auris auditu.

Quid est quod fuit? ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? ipsum quod fiet. Et non est omne recens sub sole.

Estne verbum de quo dicatur; Vide, hoc novum est? jam fuit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

Non est memoria primis et quidem novissimis quæ futura sunt, non erit eis memoria apud eos qui futuri sunt in novissimo.

Ego Ecclesiastes fui rex super Israel in Hierusalem.

Et dedi cor meum ad inquirendum et considerandum in sapientia, de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem malam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.

6. Gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem; lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.

7. Omnia flumina intrant in mare et mare non redundat: ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.

8. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub sole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

11. Non est priorum memoria; sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem.

13. Et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.

6 « Gyrat per meridiem: » recte orbita solis obliqua describitur. En sapientiam Hebræorum, et Græcorum infantiam, qui, longissimo post tempore, necdum satis noverant rotundam terram; ac solem circumvolvi, imo Oceano tingi, et candentis instar ferri stridere immersum ferebant, ut videre est apud Herodotum. « In circuitu pergit spiritus: » gyrando pergit ventus. Hebr. aer, sive aura, aut ventus qui terram circumagitur: turbo in gyrum actus, orbesque involvens orbibus; aliis, teste Hier. ipse sol, quod animet et spiret et vigeat, spirantiaque omnia calore vegetet.

7 « Omnia flumina.... ad locum unde exeunt: » restagnaret mare, nisi per occultos meatus ad fontium capita deduceretur; unde aquarum quoque natura mobilis. Quorsum ista? ne miremur mutari nos, toto orbe in motum circumacto.

8 « Cunctæ res difficiles: » etiam maxime obviæ, et quotidiano usu notæ; solis, ventorum, fluminum cursus; « nec tantum de physicis, sed de ethicis quoque scire difficile est, » dum nobis invicem in ponendis bonorum malorumque finibus displicemus: Hier. in hunc locum: quod maxime pertinet ad retundendam superbiam. Hebr. Sermones omnes graves: sermones pro rebus, noto hebraismo. Valere tamen potest adversus « eos qui putant otiosis sibi et vota facientibus, venire notitiam Scripturarum: » Hier. ibid. « Non satiatur oculus: » quod omnia humanæ menti inaccessa sint, unde indefessa videndi audiendique libido est.

9 « Quid est.... quod futurum est: » hic notat eodem impetu ac motu omnia in orbem rapi; neque modo solem, ventos et aquarum molem; verum etiam vel maxime res humanas quarum eventibus, quantumvis memoratu, ut nobis quidem videtur, dignissimis, ne plus æquo moveamur, cætera efficiunt suo ævo memorata sive memoranda, pari tamen postea sepelienda silentio, ut prædiximus ad ℣ 3. Vide etiam infra, II. 15.

12 « Ego Ecclesiastes. » Posteaquam universim vana omnia esse constitit, jam singula aggressurus, ab ipsa sapientia, rerum humanarum principe ac duce, sumit exordium: quem locum, Scripturæ more, alibi repetit et incalcat. « Fui rex Israel; » totius Israelis scilicet: « in Jerusalem: » quod nulli post Salomonem contigit.

13 « Hanc occupationem pessimam: » miserrimam, curis gravissimis exercitam. Pessimum etiam in genere morum de omnibus rebus sollicite quærere, quasi nostro judicio subderentur. « Dedit Deus. » Vide infra, III. 10.

Vidi universa opera, quæ facta sunt sub sole, et ecce omnia vanitas, et præsumptio spiritus.

Perversum non poterit adornari; et imminutio non poterit numerari.

Locutus sum ego in corde meo, dicens : Ecce ego magnificatur sum et adjeci sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem; et cor meum vidit multam sapientiam et scientiam.

Et dedi cor meum, ut noscerem sapientiam et scientiam, errores et stultitiam; cognovi quia et hoc est passio venti, (sive præsumptio spiritus).

Quia in multitudine sapientiæ, multitudo furoris; et qui apponit scientiam, apponit dolorem.

14. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.

15. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.

16. Locutus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem : et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.

17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam : et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus.

18. Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.

CAP. II. Vanæ voluptates : risus insanus, fallax gaudium : vana inquisitio de bonis malisque : ædificia, horti, aliæque amœnitates : lauta convivia : exoticæ deliciæ : opes indigno et ignoto hæredi relinquendæ, neque ullus idoneus aut stabilis humanæ sapientiæ fructus : eadem omnibus mors : partis quidem uti optimum; quanquam hoc ipsum vanitas.

v. s. h. — Dixi ego in corde meo; Veni nunc tentabo te in lætitia, et vide in bono; et ecce etiam hoc vanitas.

Risui dixi amentiam, et jocunditati : Quid hoc facis?

Consideravi in corde meo, ut tra-

v. v. — 1. Dixi ego in corde meo; Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

2. Risum reputavi errorem; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?

3. Cogitavi in corde meo, abstra-

14 « Afflictio spiritus : » LXX. electio seu voluntas, *prouiresis :* quam alii præsumptionem spiritus vocabant. Aquila et alii ex Comm. Hier. ad Paulam : pastionem venti : inane : quanquam idem Hieronymus ad cruciatum magis referri docet, quod, omnia consideranti, nihil aliud appareat præter vanitatem, ac malitias, sive miserias, quibus anima diversis cogitationibus afflictatur.

15 « Perversi difficile : » Hebr. perversum non poterit corrigi : non potest ex omni parte emendari malum : « et stultorum infinitus est numerus ; » aut, ut habet Hebr. eodem sensu, defectus (sive mente deficiens stultus) non potest numerari ; et hoc ad vanitatem nostræ sapientiæ pertinet, quod vix ullo humani generis fructu colatur, neque eo secius orbis abundet pravis, ac stultis hominibus.

16 « Præcessi omnes sapientia, qui fuerunt » (alicujus nominis) « in Jerusalem : » qualis Melchisedech, aliique reges, ducesque sapientissimi.

17 « Erroresque et stultitiam : » stultitias : Hebr.

18 « In multa sapientia multa.... indignatio : » quod plura et maxima nos fugiant; ac vir sapiens doleat in profundo latere sapientiam, nec ita se præbere mentibus, ut lumen visui, sed per tormenta quædam, et intolerandum laborem provenire : Hier. unde sequitur : « qui addit scientiam, addit et laborem. » Sive quod cui plus creditur, plus ab eo exigitur : Idem sive quod ex humana scientia magis laborare ac fluctuare cogimur, non satis reclusis veri bonique fontibus.

1 « Dixi ego in corde meo : » recte Hier. posteaquam in multitudine sapientiæ, atque adjectione scientiæ deprehendi nihil aliud, nisi cassum et sine fine esse certamen, converti me ad luxuriem et voluptates, haud minore vanitate ac ludibrio; quippe

2 « Risum reputavi : » Hebr. risui dixi, Insane sive amens, excors; et lætitiæ, Quid hoc facis? quid illudis? quid decipis? quid falsa dulcedine inescatum, ad veros dolores ac dedecora ducis? Vide Prov. VI. VII. etc.

herem in vino carnem meam : et cor meum deduxit me in sapientiam, ut obtinerem stultitiam, (ut eam vincerem ; qua in re laboravi) donec viderem quid esset bonum filiis hominum, quid facerent sub sole numero dierum vitæ suæ.

Magnificavi opera mea ; ædificavi mihi domos ; plantavi mihi vineas.

Feci mihi hortos et pomaria ; plantavi in illis lignum omne fructiferum.

Feci mihi piscinas aquarum, ad irrigandum ex eis saltum germinantem ligna.

Mercatus sum mihi servos et ancillas, et vernaculi fuerunt mihi ; et quidem possessio armenti et ovium multa fuit mihi ; super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem.

Congregavi mihi argentum et aurum, et substantias regum et provinciarum ; feci mihi cantores et cantatrices ; et delicias filiorum hominum, ministros vini, et ministras.

Et magnificatus sum, et adjeci sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem ; et quidem sapientia mea astitit mihi.

here a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum ; quid facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

4. Magnificavi opera mea ; ædificavi mihi domos, et plantavi vineas ;

5. Feci hortos et pomario, et consevi ea cuncti generis arboribus ;

6. Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium ;

7. Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui ; armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem.

8. Coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum ac provinciarum : feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda :

9. Et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem : sapientia quoque perseveravit mecum.

3 « Cogitavi in corde meo : » rursus sapientiæ, ac voluptatis seorsim fastidio, utramque conjungere satagebat ; atque, ut sunt hominum volubiles motus, nunc ad hanc, nunc ad illam convertebat animum, reliquo fere capite. « Cogitavi abstrahere a vino, » ut libidinum incentore quanquam Hier. LXX. faventibus, Comment. ad Paulam, sic ex Hebr. vertit : « cogitavi trahere in vino carnem meam : » hoc est, dubitare cœpi, bonumne esset carnem vino distendere, augere ; aut, ut idem Hier. vitam meam deliciis tradere, carnem liberare ab omnibus curis, et quasi vino, sic voluptate sopire. Non ergo vir maximus hanc interpretationem ignoravit, sed priorem prætulit, ac tandem Ecclesiæ tradidit. « Ut animum transferrem : » ad verbum ex Hebr. deduxit me cor meum ad sapientiam : ratio naturalis, quam etiam peccatoribus Deus auctor inseruit. Idem Hier. ibid. « Quid facto opus est : » hoc est, ut perdiscerem, quid facto opus esset « filiis hominum : » sive ut clarius ad Paul. donec viderem quid esset bonum, etc. « Numero dierum, » sive decursu « vitæ suæ : » quod jam vanum esse constitit, eo quod nihil pariat nisi quæstiones : supra, I. 8. infra VII. 30.

4 « Magnificavi : » exploraturus omnia, unde aliquid voluptatis corrogare possem, ædium atque operum magnificentiam, hortorum amœnitates, innumerabilem opum vim, et alia ejusmodi cogitavi : quæ deinde fuse exequitur usque ad ℣ 11.

5 « Pomaria : pardesim : » paradisos, hortos amœnissimos ; qua voce noster utitur Cant. IV. 13.

7 « Ante me in Jerusalem : » Jerusalem ab antiquo urbs regia, neque tantum Davidi, sed etiam Melchisedech, et aliis regibus aut ducibus habitata, ut supra memoravimus.

8 « Cantores, et cantatrices : » en libidinum illecebras. « Scyphos » et « urceos : siddah » et « siddoth : » vox chaldaica : hoc est, secundum Aquilam, *kulicas kai kulikia*, majores calices seu crateras : unde minoribus vasculis haurirentur vina convivis propinanda. Hier. Symm. eodem fere refert ; quippe ad mensurarum species : LXX. vini fusores, ac fusitrices, quam vocem Hier. fingit, sive ut ipse latinius, ministros ac ministras vini. E recentioribus alii alia comminiscuntur variis conjecturis ac ratiociniis ducti : nos antiquioribus interpretibus credimus. Putaverim rutem hic uti Salomonem peregrinis atque exoticis vocibus, ut significaret se non tantum indulsisse deliciis, quæ regibus Israeliticis familiares essent, sed etiam ex mollissimis Assyriorum aulis, luxus ac voluptatum illecebras accersisse.

9 « Sapientia quoque perseveravit mecum : » Hebr. LXX. et quidem sapientia mea astitit

Et omne quod postulaverunt oculi mei, non tuli ab eis; nec prohibui cor meum ab omni lætitia; quia cor meum lætatum est in omni labore. Et hæc fuit portio mea ex omni labore meo.

10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaveram : et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

Et respexi ego ad omnia opera mea quæ fecerunt manus meæ, et in labore quo laboraveram faciens. Et ecce omnia vanitas, et voluntas spiritus. Et non est abundantia sub sole.

11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.

Et rexpexi ego, ut viderem sapientiam, errores et stultitiam, quia quis est hominum, qui possit ire post regem ante factorem suum?

12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam : (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum?)

Et vidi ego quia est abundantia sapientiæ super stultitiam; sicut abundantia lucis super tenebras.

13. Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.

Sapientis oculi in capite ejus, et stultus in tenebris ambulat. Et cognovi ego quia eventus unus eveniet omnibus eis.

14. Sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat; et didici quod unus utriusque esset interitus.

Et dixi ego in corde meo : Sicut eventus stulti, ita et mihi eveniet : et utquid sapiens factus sum ego? et locutus sum in corde meo; quoniam hoc quoque vanitas.

15. Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

Non enim erit memoria sapientis cum stulto in æternum; eo quod

16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpe-

mihi : sive, ut alii vertunt, mihi constitit, non discessit a me. Vera quidem sapientia cum iis quæ sequuntur, ac tanto voluptatum amore non constat. Quare vel is erat tum Salomonis error, ut simul et sapientem et voluptatum amatorem se esse decerneret, vel hic sapientiam appellat regnandi artes, agendi solertiam, aut naturæ scientiam, quam etiam ad conquirendas voluptates adhiberet erudito luxu.

10 « Et hanc ratus sum : » hæc pars mea : Hebr.

11 « In quibus frustra sudaveram : » Hebr. LXX. Hier. ad Paulam : simpliciter; in labore quo laboraveram faciens.

12 « Quid est homo, ut sequi possit regem factorem suum? » Hæsitantis ac dubitantis, an homo veram sapientiam assequi, ac Deum creatorem suum sequi possit. At Hebr. aliter obscurissimo sensu : Quid est homo qui venturus est post regem, seu qui regem sequi possit (in his) quæ jam fecerunt (homines)? Quis, scilicet privatus, melius rege poterit sapienter aut stulte facta cognoscere? ut sensus sit, merito Salomonem de sapientia disputasse, quippe regem maximum, ad eam comparandam potioribus instructum auxiliis, et revera vidisse magnum esse discrimen inter sapientiam atque stultitiam : quod exequitur ℣ 13, 14. et tamen eo tandem esse deductum, ut humanam sapientiam vanam duceret. ℣ 14, 15, 16, 17.

14 « Sapientis oculi : » hoc ergo discrimen sapientem inter et stultum : « sapientis oculi in capite ejus : » sicut enim oculi in excelso tanquam in specula constituti ut pedibus præluceant, ita in arce mentis ratio collocata, velut dux itineris. « Stultus in tenebris ambulat : » cæco ac devio itinere, ac si oculos, non in capite, sed in tergo haberet. « Et didici : » vide III. 18. « quod unus utriusque esset interitus : » Hebr. unus ambobus eventus, quasi diceret : Quæ ista providentia qua se sapientes efferunt, aut quodnam est in illo stulti sapientisque discrimine tantum operæ pretium, si tamen ambobus æque omnia eveniunt? Unde.

15 « Animadverti quod hoc quoque esset vanitas : » tantum scilicet inter sapientem et stultum ponere discriminis.

ecce diebus qui supervenient, universa oblivio operiet; et quomodo morietur sapiens cum stulto?

Et odivi vitam, quia malum super me opus quod factum est sub sole; quia omnia vanitas et pastio venti.

Et odivi ego omnem laborem meum, quo ego laboravi sub sole; quia dimitto illum homini, qui futurus est post me.

Et quis scit utrum sapiens sit, an stultus? et dominabitur in omni labore meo, quo laboravi, et in quo sapiens factus sum sub sole; sed et hoc vanitas.

Et conversus sum ego, ut renuntiarem cordi meo, in omni labore meo, quo laboravi sub sole;

Quia est homo, cui labor ejus est in sapientia, et sciencia, et virtute; et homini qui non laboravit, illi dabit partem suam. Et quidem hoc vanitas, et nequitia magna.

Quid enim fit homini in omni labore suo, et in voluntate cordis sui, qua ipse laborat sub sole?

Quia omnes dies ejus, dolorum, et iracundiæ, curarumque; et quidem nocte non dormit cor ejus; sed et hoc vanitas.

Non est bonum homini, nisi quod comedit et bibit, et ostendit animæ suæ bonum in labore suo.

Et quidem hoc vidi ego, quia de manu Dei est.

Quis enim comedit, et quis parcit sine illo qui homini bono coram se dedit sapientiam, et scientiam, et tuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus.

17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.

18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me.

19. Quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum?

20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

21. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otiosi quæsita dimittit; et hoc ergo vanitas, et magnum malum.

22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

23. Cuncti dies ejus doloribus, et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas est?

24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ meæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est.

25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet, ut ego?

26. Homini bono in conspectu suo, dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam: peccatori autem

18 — 19 « Habiturus hæredem,..... quem ignoro » (quis novit: Hebr.) « an stultus futurus sit? » Ac revera ipse Salomon regum sapientissimus, « dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, et imminutum a prudentia Roboam. » Eccl XLVII. 27, 28.

20 « Unde cessavi: » et verti me in desperationem, in vitæ tædium, et odium universi laboris humani: ex Hebr. ut supra, 17. 18.

21 « Et sollicitudine: » rectitudine: Hebr. virtute, Hier. ad Paulam: quod LXX. *andria* fortitudine.

24 « Nonne melius est comedere: » quam stulto hæredi omnia relicturum, fraudare animam suam bonis? Ecc. IV. 8. « Et hoc de manu Dei est: » hoc etiam vidi quod de manu Dei est: Hebr. Non est in hominis potestate positum, ut hæredem quem vult habeat: qui sensus firmatur ex 25, 26. et seq.

25 « Quis ita devorabit: » quis comedat aut sentiat (sensibus indulgeat) magis quam ego? Hebr. sub ejus persona qui partis utitur; quis enim æquius suis utatur bonis, quam ego qui tanto labore peperi?

26 « Et cassa sollicitudo mentis: » Hebr. afflictio spiritus, ut passim.

lætitiam; et peccanti dedit sollicitudinem, ut augeat et congreget quæ videntur bona ante faciem Dei. Sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

CAP. III. Suæ rebus vices : suus interitus : mundus disputationi traditus : perturbatus ordo rerum : omnia ultimo judicio reservata : homo jumento nihil præstat : futura prævidere velle, vanum.

v. s. h. — Omnibus tempus est; et tempus omni rei sub cœlo.

Tempus pariendi, et tempus moriendi.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.

Tempus occidendi, et tempus sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi.

Tempus flendi, et tempus ridendi.

Tempus plangendi, et tempus saltandi.

Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi lapides.

Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexu.

Tempus acquirendi, et tempus perdendi.

Tempus custodiendi, et tempus projiciendi.

Tempus scindendi, et tempus consuendi.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.

Tempus amandi, et tempus odiendi.

Tempus belli, et tempus pacis.

v. v. — 1. Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

2. Tempus nascendi, et tempus moriendi.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.

3. Tempus occidendi, et tempus sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi.

4. Tempus flendi, et tempus ridendi.

Tempus plangendi, et tempus saltandi.

5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi.

Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.

6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi.

Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi.

7. Tempus scindendi, et tempus consuendi.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.

8. Tempus dilectionis, et tempus odii.

Tempus belli, et tempus pacis.

1 « Omnia tempus habent. Incertum et fluctuantem statum conditionis humanæ in superioribus docuit; nunc vult ostendere omnia in mundo, non tantum incerta, sed etiam sibi esse contraria, et nihil stare perpetuum, eorum duntaxat quæ sub cœlo sunt : » Hier. in hunc locum. Ex quo efficitur nihil esse tam vanum, quam hærere mundo, cujus figura præterit; cum præsertim is temporum cursus, hæ vices, a Dei nutu pendeant, qui cuncta disponit in tempore suo : ℣ 11. ut frustra appareat quærere felicitatem contrariis motibus, susque deque jactatos ineluctabilibus atque inextricabilibus causis. Hæc argumentationis summa toto fere capite : nunc singula membra videamus. « Et suis spatiis transeunt universa sub cœlo : » et tempus omni voluntati : Hebr. rei, negotio, instituto.

2 « Tempus nascendi : » hoc primum, ut id quod tempus induxit, tempus auferat : id est, vitam ipsam morte commutet. Cætera ex hoc capite connexa meditando perpendi, non verbis enucleari oportet.

5 « Tempus spargendi lapides : » in agros prohibendis frugibus, ut IV. Reg. III. 25. « omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt : et colligendi : » ad emundandum agrum.

Quæ abundantia est facienti in quibus ipse laborat?

Vidi occupationem quam dedit Deus filiis hominum, ut occupentur in ea.

Universa fecit bona in tempore suo, et quidem seculum dedit in corda eorum, ut non inveniat homo opus quod fecit Deus ab initio usque in finem.

Cognovi quia non est bonum, nisi lætari, et facere bonum in vita sua.

Et quidem omnis homo qui comedit et bibit, et ostendit bonum in omni labore suo, ex dono Dei est.

Cognovi quia omnia quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum; super illa non potest adjici, et ab illis non potest auferri, et Deus fecit ut timeant a facie ejus.

Quid est quod fuit? ipsum est

9. Quid habet amplius homo de labore suo?

10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.

11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

12. Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua.

13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverint in perpetuum; non possumus eis quidquam addere nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

15. Quod factum est, ipsum per-

9 « Quid habet amplius homo : » sic supra, 1, 3. sic postea 11, 22. sic denique hic post enumeratas temporum vices, huc redit oratio : hæc summa ; ut posteaquam constiterit nihil stabile, et quæcumque homo plantaverit, acquisiverit, custodierit, consuerit; eadem postea avelli, spargi, scindi, ac dissui oportere ; nempe id supersit ex omni labore, nullum idoneum, aut tanto conatu dignum carpi fructum ; vel, ut ait Hier. in hunc locum : « Cum omnia suo labantur tempore ;.... quid frustra conamur et tendimus, et brevis vitæ labores putamus esse perpetuos ? nec contenti sumus secundum Evangelium malitia diei, nihilque in crastinum cogitemus ? »

11 « Cuncta fecit bona » (seu pulchra : Hebr.) « in tempore suo : » omnia quidem suis decurrunt temporibus : sed temporum arbiter Deus has temperat vices ; quare omnia per se bona, pulchraque : « viditque Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona. » Gen. 1. 31. Sibi ergo universæ rei bene gestæ conscius, nihil moratur hominum judicia. « Et mundum tradidit disputationi eorum : » orbe constituto, hominum generi ingens ænigma proposuit, in quo solvendo frustra laborarent : ita « ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus : » ac temporum leges, rerumque orientium, atque intereuntium causas ne quidem intelligere, nedum his se expedire, ac certum vitæ statum sibi constituere valeat. « Ab initio usque ad finem . . » quasi diceret : Singula quidem Dei opera admirari licet ; cæterum, consiliorum seriem, atque universi operis rationem capere non possumus : ex qua rerum serie perspicuum fieret, suo quæque tempori aptata pulcherrima esse atque ordinatissima : sed horum convenientiam, particulæ operis illigati sentire non possumus : ut præclare August. « Mundum disputationi reliquit : » ad verbum : mundum dedit in cor eorum : Hebr. LXX. quæ interpretatio Hier. non latuit, quippe quam attulit Comm. ad Paulum. Dedit autem in cor, hoc est, cogitandum reliquit, ita tamen ut nunquam inveniant occulta consilia, et arcanas rerum causas : quod idem Hieronymus hic elegantissime « disputationem » vertit, ut Deo quidem agere competat, homini autem nihil aliud quam quærere ac disputare sit relictum.

12 « Et cognovi quod non esset melius. Propterea colonus et hospes mundi, homo diuturnus et [illegible] vita sua utatur tempore et spe proliferis ætatis abscissa, cum tamen possiet, quasi ad alia profectarus, aspiciat ... nec se putet plus de suo labore lucrari posse quam edulium et potum, et si quid de opibus suis in bonis operibus expenderit » Hier. ibi addit, non ut illud fiat quod est apud Isaiam : « Manducemus et bibamus ; cras enim morieumur . . » sed cum dum Apostolum : « Habentes victum et vestitum, his contenti sumus ; » quod est donum Dei, § seq. « Facere bene : » quidam intelligunt : bene sibi facere, partis uti : quod est in seq. § videre bonum de labore suo.

14 « Didici quod omnia.... perseverent in perpetuum : » tellus, sidera, montes, arborum atque animantium genera, ipsa rerum summa. « Non possumus eis addere : » ac nequidem staturæ nostræ cubitum, aut capillis colorem : Matt. v. 36. vi. 27. « Quæ fecit Deus ut timeatur : » ex antecedentibus, quod occultissima, quod perfectissima, quibus nihil adjici, nihil detrahi possit, quod ordinatissima, et sempiternis legibus constituta.

15 « Deus instaurat » (quærit, revocat Hebr.) « quod abiit : » ad verbum, quod consecu-

quod erit, et quæ futura sunt, jam fuerunt; et Deus quæret eum qui persecutionem patitur.

Et adhuc vidi sub sole locum judicii, ibi impietas; et locum justitiæ ibi iniquitas.

Dixi ego in corde meo: Justum et impium judicabit Deus; quia tempus est omni voluntati super omne factum ibi.

Dixi ego in corde meo de loquela filiorum hominis; quia separat illos Deus, ut ostendat quia ipsi jumenta sunt;

Sive quia eventus filiorum hominum, et eventus unus pecoris, eventus unus eis. Sicut mors hujus, ita et mors illius, et spiritus unus omnibus, et amplius homini a pecore nihil est; quia omnia vanitas.

Omnia vadunt ad locum unum; omnia facta sunt de humo, et omnia revertentur ad humum.

Quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram?

manet; quæ futura sunt, jam fuerunt; et Deus instaurat quod abiit.

16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem.

17. Et dixi in corde meo: Justum, et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis.

19. Idcirco unus interitus est hominis, et jumentorum et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati.

20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.

21. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, etsi spiritus jumentorum descendat deorsum.

tum est (quod præteritum): eo quod alia ex aliis consequantur, ac Deus ea quæ secutura sunt, ex antecedentibus evocet, et eliciat latentibus causis. Vide I. 9, 10. Summa est: Dei opera firma consistere: simplici et uniformi motu agi res, aliasque ex aliis deduci, etiam quæ effluxerint, Dei beneficentia recuperari posse, ne plus æquo, aut adeptis lætemur, aut cruciemur amissis. « Quod abiit: » LXX. *ton diôkomenon*: hoc est, Deus requirit eum qui persecutionem patitur: sic et antiqua Vulgata, et ipse Hier. ad Paul. « ad consolandum, » inquit, « eum qui in martyrio perseverat. » Quam versionem prætermittere non est visum, eo quod passim a Patribus græcis, latinisque celebretur; quanquam non est dubium, quin vulgata nostra interpretatio sit congruentior, atque omnino retinenda. Pro *ton diôkomenon*, apud LXX. quidam legisse videntur, *o diôkomenôn*, quod consecutum est, quod Hebr. congruit.

16 « Vidi sub sole: » aliud argumentum rebus humanis insitæ vanitatis: in præsente vita, inter justum et impium nullam esse distantiam, sed incerto eventu omnia volutati; « atque inter judicum ipsa subsellia, non veritatem valere, sed munera: » Hier. ibi.

17 « Et dixi..... Justum et impium: » clara solutio, cum omnia sint perturbata sub sole, atque inconditis motibus ferri videantur, esse supra solem, et extra temporum vices, aliquid quo incerta et incomposita in ordinem redigantur, nec per partes Deum, et velut per singula momenta judicare, sed in futurum tempus universæ rei reservare judicium: quo fit id quod sequitur: « et tempus omnis rei tunc erit: » cum enim in hac vita alia aliis temporibus congruant, nec singula singulis satis apta, atque alieno loco multa posita esse videantur, expectandum tempus quo sua cuique tribuantur, bona bonis, mala malis: ut est in parabola, Matth. XIII. 24 et seq.

18 « Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus: » redargueret: Hebr. separaret, ad examen revocandos, atque omnino pervinceret « similes esse bestiis: » simplicius in Hebr. et apud. LXX. quod bestiæ ipsi. Aliud argumentum multo validius, jam tactum II. 15. sed hic fusius exequendum: quid mirum nihil distare inter probos et improbos qui æque homines sunt, cum nequidem inter homines et pecudes satis sit discriminis; cum similiter procedamus in lucem, simul dissolvamur in pulverem? Hier.

20 « De terra facta sunt: » de terra nihil nisi corpus factum est; et signanter de corpore dicitur; terra es, et in terram reverteris: facile itaque ostenditur nobis, quod juxta corporis fragilitatem, pecora simus. Hier.

21 « Quis novit: » hoc est, haud facile cognoveris: qua phrasi: « Quis habitabit: » aut,

Et vidi quia non est bonum nisi quod lætetur homo in opere suo; quia hæc est pars ejus. Quis enim adducet eum, ut videat id quod futurum est post ipsum?

22. Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

CAP. IV. Calumniæ : calamitates : vita tædio : invidia : desidia et falsa in otio quies : avarus sibi pessimus : amicitia et societas : regiæ quoque majestatis vanitas, 3 et seq. obedientia : victimæ.

v. 8. h. — Et conversus sum ego et vidi universas calumnias, quæ fiunt sub sole; et ecce lacrymæ eorum qui calumnias sustinent, et non est qui consoletur eos; et in manibus calumniantium eos fortitudo, et non est eis consolator.

Et laudavi ego mortuos, qui jam mortui sunt, super viventes, quicumque ipsi vivunt usque nunc.

Et melior super hos duos, qui nondum natus est, qui nondum vidit opus malum, quod factum est sub sole.

Et vidi ego universum laborem, et simul omnem virtutem operis, quia æmulatio viri a sodali ejus; et quidem hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

Stultus complexus est manus suas et comedit carnes suas.

Melior est plenus pugillus cum requie, quam plenitudo manuum laboris et præsumptionis spiritus.

Et conversus sum ego, et vidi vanitatem sub sole.

Est unus et non est secundus, et quidem filius, et frater non est ei; nec est finis omni labori ejus. Et quidem oculus ejus non satiatur divitiis; et cui ego laboro et fraudo animam meam bonitate? sed et hoc vanitas, et dissensio pessima est.

v. v. — 1. Verti me ad alia, et vidi columnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem; nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2. Et laudavi magis mortuos quam viventes:

3. Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi; et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.

5. Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens.

6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum lobore, et afflictione animi.

7. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole:

8. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.

« mulierem fortem quis inveniet? » quasi diceret: Satis ergo constat homines corpore non nisi esse bestias: si autem videtur hæc esse distantia quod spiritus hominis ascendat in cœlum, et spiritus pecoris descendat in terram, quo istud certo auctore cognovimus? Hæc quæstio non nisi infra resolvenda, XII. 7. Interim in incerto ac suspenso relinquitur, ad ignorantiam hominum declarandam, et comprimendam superbiam.

4 « Rursum industrias animadverti patere invidiæ proximi. Stultus complicat manus suas. Totum quod disserit, hoc est ut ostendat et eum cui laborat et habet aliquid in mundo, patere invidiæ; et rursus eum qui vivere vult quietus, inopia opprimi, et esse utrumque miserabilem; dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur. » Hier. ibi.

5 « Stultus: » piger, de quo Prov. XXIV. 30 et seq. « Comedit carnes suas: » hyperbolice propter nimiam famem: Hier. marcescit inedia: seipsum exest curis, tædio, inertia.

7 « Aliam vanitatem: » avaritiam, quam graphice depingit.

8 « Unus est: » solus. Supra irriserat eum qui certi hæredis causa seipsum stulte excruciat: nunc invenit stultiorem eum qui hærede nullo, haud secius defraudat genium « Nec satiantur

Meliores duo quam unus, quibus est merces bona in labore suo : quia si ceciderit unus, eriget particeps socium suum.

Et væ uni cum ceciderit, et non est secundus qui erigat eum.

Et quidem si dormient duo, etiam calor erit illis : et unus quomodo calefiet?

Et si invaluerit super eum unus, duo stabunt adversus eum. Et funiculus triplex non cito rumpitur.

Melior est puer pauper et sapiens, quam rex senex et stultus, qui nescit prævidere in posterum.

Quoniam de domo vinctorum egreditur ut regnet; quia etiam in regno ejus natus est pauper.

Vidi universos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro illo.

Non est finis omni populo ejus, universis qui fuerunt ante illos ; et quidem novissimi non lætabuntur in eo ; sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

Custodi pedem tuum cum vadis in domum Dei, et appropinqua ut audias. Super donum enim insipientium sacrificium tuum ; quia nesciunt quod faciunt malum.

9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ :

10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli ; quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.

11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet?

12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei; funiculus triplex difficile rumpitur.

13. Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum.

14. Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum ; et alius natus in regno, inopia consumatur.

15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum ; et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo ; sed et hoc vanitas, et afflictio spiritus.

17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

oculi ejus divitiis : » nihil quidquam ex tot opibus usurpare ausus, præter insatiabilem videndi libidinem, ut habetur infra, ℣ 10. « Nec recogitat, dicens : « positum elucidationis gratia : deest enim Hebr. LXX. in latina etiam versione hujus capitis IV. apud Ambrosium, et apud Hier. Comm. ad Paulam.

9—10 « Melius..... duos esse.... Væ soli : » merito hæc subnectit avaritiæ ; quippe avarus omnis humanitatis expers, incubat divitiis, nullum amicitiæ fulcimentum quærit.

22 « Funiculus triplex : » proverbiale dictum, ad fœdera gentium et privatorum etiam amicitiam commendandam.

13 « Melior est puer.... rege : » jam ad regiæ majestatis vanitatem pergit. Primum quod ipsi reges vacui sapientia, puero imbecilliores sint; alterum,

14 « Quod de carcere : » quod regia etiam capita communi hominum sorte ab infimis ad summa, a summis ad infima volutentur. Sic Joseph e carcere propemodum ad regnum : sic Job e summa fortuna in sterquilinium. Tertium, quod ipsa majestas ætate obsolescat : ℣ seq.

15 « Vidi cunctos viventes.... cum adolescente secundo : » regni hærede designato, obsequiis promptos, atque orientem, ut aiunt, solem adorantes.

26 « Infinitus numerus..... ante eum : » eos, regem scilicet patrem et filium. Hier. ex Hebr. LXX. ad verbum : ad facies eorum : coram ipsis : innumerabiles et ipsorum ævo fuere, et postea futuri sunt qui eos nesciunt ; tam anguste regnant.

17 « Custodi pedem tuum : » attende tibi, cum ad Deum accedis. « Appropinqua ut audias. Multo enim melior : » postremum illud deest Hebr. Tota sententia ex Hebr. Accede ad audiendum (sive obediendum) potius quam ad dandas stultorum victimas ; quia nesciunt quod faciunt malum : eodem cum Vulgata sensu. Has sententias et reliquas usque ad ℣ 9. sequentis capitis non facile connectas cum antecedentibus. Verum Ecclesiastes dum omnia vana prædicat, ne etiam pietatem vanis accensere videatur, hæc de precibus, deque inspectore Deo, votisque

CAP. V. Multiloquium : vota : qui negant providentiam : imperiorum ordo : divitiarum vanitas, 9, 12 et seq. Dulcis ex opere somnus : frugalitas : partis uti optimum, 27 et seq.

V. S. H. — Noli festinare in ore tuo, et cor tuum non festinet ad proferendum verbum in conspectu Dei ; quia Deus in cœlo, et tu super terram. Propter hoc sint verba tua pauca :

Quia veniet somnium in multitudine sollicitudinis, et vox stulti in multiplicatione sermonum.

Cum votum voveris Deo, ne mereris reddere illud : quia non est voluntas in insipientibus. Quæcumque voveris, redde.

Melius est non vovere, quam vovere, et non reddere.

Non des os tuum, ut peccare facias carnem tuam ; et ne dixeris in conspectu angeli, quia ignorantia ; est ; ne irascatur Deus super vocem tuam, et disperdat opera manuum tuarum.

Quia in multitudine somniorum et vanitates, et verba plurima ; sed Deum time.

Si calumniam pauperis, et ruinam judicii, et injustitias videris in regione, ne mireris super negotio ; quia excelsus super excelsum custodit,

Et excelsior est super illos, et am-

V. V. — 1. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.

2. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia.

3. Si quid vovisti Deo, ne mereris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio ; sed quodcumque voveris, redde ;

4. Multoque melius est non vovere, quam post votum, promissa non reddere.

5. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam ; neque dicas coram angelo : Non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri : tu vero Deum time.

7. Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio ; quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii.

interserit. Forte etiam quod inter vana computet falsum cultum, et in exterioribus tantum positum.

1 « Ne temere.., coram Deo : » ergo ad pietatem pertinet, parce et moderate loqui, cum de verbo otioso rationem reddi oporteat, Matth. XII. 36. scriptumque sit ; « in multiloquio non deerit peccatum. » Prov. X. 19. Quin etiam de orando Deo Christus præcipit : « Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. » Matth. VI. 7, 8. Ac notantur Pharisæi, quod viduas decipiant « sub obtentu prolixæ orationis. » Marc. VII. 40. Matth. XXIII. 14 Luc. XX. 47. « Deus enim in cœlo : plana sententia, quod Deus sublimis, nos humiles; et quod coram rege tacere, reverentiæ sit.

2 « Multas curas : » sicut turbida et multa somnia sollicitum hominem designant, sic multa verba stultum. Ideo de Deo rebusque divinis parce loquaris : quod etiam ea quæ nosse nos arbitramur, per speculum videmus et in ænigmate, et velut somnium comprehendimus, quod tenere nos putamus : Hier.

3 « Displicet enim ei infidelis et stulta promissio : » quia non est voluntas in insipientibus. Hier. ex Heb. Nulla constantia voluntatis, neque ullum decretum, aut proprie voluntas ; sed, ut in somniis, cæci vanique conatus.

5 « Ne dederis os tuum : » ne abutaris sermone, ut te ipsum in adulteria et corruptelas illicias; quod faciunt qui dicunt : « Non est providentia : » non est ultio; sive, ut habet Heb. Error est, aut ignorantia est : res humanas nemo respicit : omnia cæco errore volvuntur. « Coram angelo : » executore divinæ ultionis.

6 « Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri : » qualis est somniator vana cogitans, talis nugax et loquax vana effutiens : ut supra, ℣ 2. « Tu vero Deum time : » ut ℣. 1.

7 « Si videris calumnias : » pauperibus illatæ calumniæ, ne te conturbent, cum sint suo ordine et loco constitutæ in republica potestates, quæ maleficia ulciscantur.

plius terræ in omnibus est rex in agro culto.

Qui diligit argentum, non implebitur argento; et qui diligit divitias non fruetur eis; sed in hoc vanitas.

In multitudine enim bonorum, multi sunt qui comedunt ea; et quæ est fortitudo habenti illam, nisi ut videat oculis suis?

Dulcis somnus operanti, sive paululum, sive plus comederit; et saturitas divitis non sinit eum dormire.

Est languor pessimus quem vidi sub sole, divitias custodiri in malum possidentis eas.

Et perierunt divitiæ illæ in distentione pessima; et genuit filium, et non est in manu ejus quidquam.

Sicut exivit de utero matris suæ, nudus revertetur; ut eat sicut venit, et nihil accipit de labore suo, ut teneat in manu ipsius.

Sed et hoc vanitas, et languor pessimus; sicut enim advenit, ita et abibit. Quæ abundantia ejus qui in ventum laborat?

Et quidem omnibus diebus suis in tenebris comedit, et luctu, et iracundia multa, et languore, et insania.

Ecce quod vidi ego bonum, quod

8. Et insuper universæ terræ rex imperat servienti.

9. Avarus non implebitur pecunia; et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas.

10. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

11. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.

12. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole; divitiæ conservatæ in malum domini sui.

13. Pereunt enim in afflictione pessima; generavit filium, qui in summa egestate erit.

14. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur; et nihil auferet secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus infirmitas; quomodo venit, sic revertitur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris et in curis multis, et in ærumna, atque tristitia.

17. Hoc itaque visum est mihi bo-

8 « Et insuper universæ terræ (seu totius regionis) rex » omnibus præsit, et subjectas potestates in ordinem cogat. Postremus versus in Heb. sic habet : et excellentia (sive emolumentum) terræ est in omnibus; rex ipse agro servit; a qua interpretatione non abhorret Hier. ad Paulam. Sensus est : cum sint aliæ aliis subditæ potestates : inest tamen quædam rebus æqualitas, communisque altrix omnium tellus : rex ipse agro servit, atque inde victum accipit, nec a communi conditione eximitur. Hunc potestatum invicem subjectarum ordinem, alii cum Hieronymo referunt ad Deum et angelos regum regnorumque præsides, qui injuriam prohibere, vel præsente pœna ulcisci possent, nisi Dei judicium ad futurum seculum servaretur, missis angelis messoribus qui colligant de regno ejus omnia scandala, ut est Matth. XIII. 30, 41. supra, III. 16, 17.

9 « Avarus non implebitur : » jam ad vanitates redit, ac primum avaritiæ et opum; quod animum non expleant : quod nullus ex illis dignus fructus : ℣ 9. quod utcumque sis dives, non tamen ipse tu plus cæteris capias, sed tantum importunos atque otiosos ventres accersas : ℣ 10. quod nec ipse utare, sed tanquam a sacris abstineas, sola tibi intuendi facultate relicta : ibid. quod utcumque utare, teque cibis ingurgites, id tantum lucrere, ut somni suavitatem cruditate turbes : 11. quod tibi quoque male vertant, cum potentioribus prædæ futurus sis : 12. quod pereant, teque destituant, « in afflictione (sive occupatione : Heb.) maxima, » cum iis maxime indigeas : 13. quod, etsi vel maxime in re splendida vivas, non eo tibi liberi fortunatiores futuri : ibid. quod denique divites æque ac cæteri mortales nudi atque egeni et nascantur et intereant : 14, 15. atque omnino se excrucient atque conficiant inanibus curis : 15, 16. Nota autem hanc sententiam : « dulcis somnus operanti, » ℣ 11. ne otio torpescas : « sive parum, sive multum comedat : » ut non in copia sed in sufficientia sit quies, somnique atque adeo totius vitæ suavitas. Ex quo efficitur istud.

17 « Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis : » ad comparationem ejus, qu tanto cruciatu ac tædio, peritura comparat, meliorem dicit esse eum qui præsentibus fruitur.

est optimum; comedere, et bibere, et cernere jocunditatem in omni labore suo, quo laboravit sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus; hæc quippe est pars ejus.

Sed omnis homo cui dedit Deus divitias et substantiam; concessitque ei, ut vesceretur ex eis, et tolleret partem suam, et lætaretur de labore suo: hoc Dei donum est.

Non enim multum recordabitur dierum vitæ suæ; quia Deus occupat in lætitia cor ejus.

num, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, et hæc est pars illius.

18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo; hoc est donum Dei.

19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.

CAP. VI. Divitiarum vanitas: anxio et avaro divite melior abortivus: partis frui: hoc etiam vanum, 7, 8, 9. hominum sapientia, nihil nisi verba: unus Deus sapiens.

V. S. H. — Est malum quod vidi sub sole et frequens apud homines;

Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et gloriam, et nihil deest animæ ejus ex omnibus quæ desideravit; et non dedit ei Deus potestatem, ut manducaret ex eo; sed vir alienus comedit illud. Hæc vanitas est, et languor pessimus.

Si genuerit vir centum liberos, et annis multis vixerit, et plures fuerint dies annorum ejus, et anima ejus non repleatur bonis: nec sepulcrum fuerit illi, dixi melius ab eo esse abortivum.

In vanitate quippe venit, et in tenebris vadit, et in tenebris nomen ejus abscondetur.

V. V. — 1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines;

2. Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, et miseria magna est.

3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus.

4. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus.

18 « Hoc est donum Dei: » qualecumque, non donum illud maximum de quo infra: præsertim cap. XII.

19 « Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ: » labentis ac tædio plenæ; ut tota hujus vitæ suavitas in oblivione sui posita videatur.

2 « Vir, cui dedit Deus divitias: » rursus ad divitias; neque exagitare cessat radicem omnium malorum avaritiam, « quam quidam appetentes, » teste Paulo, I. Tim. VI. 10. « erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis; » quæ Salomon fuse commemorat.

3 « Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos: » sive, ut infra, 6. etiamsi duobus millibus annis vixerit. Duo sunt quibus, vel maxime, humana vita protendatur: primum si ipsa longissima fuerit, posten si in sobolem amplissimam diffundatur, in qua et vivamus lætius, et etiam mortui reviviscamus. Atqui hæc duo vana sunt, et infructuosa avaris. « Et anima illius non utatur bonis: » si infelix ille est, et cæco errore devius, qui hujus vitæ bonis avaritia se fraudat, quanto magis qui veris bonis, fide ac doctrina sancta, Deique gratia non utitur? « Quod melior illo sit abortivus. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. » Matth. XXVI. 24. Diligenter adverte; non absolute melius, sed melius ipsi.

4—5 « Frustra enim venit... non vidit solem. » Clarum hæc pertinere ad abortivi comparationem. Attende, christiane, qui fructum parturientis spiritus abortire facis, neque deducis ad solem, sed perire in tenebris, et oblivione deleri sinis. Perpende illa verba: « Frustra ille venit, » qui nec Deo gloriam, nec sibi felicitatem peperit; et a Dei regno pulsus, ad tenebras exteriores mittitur, ubi est « fletus et stridor dentium. » Matth. XXII 13.

Et quidem solem non vidit, nec cognovit : requies huic magis quam illi.

Etsi vixerit mille annos duplices, et bonitatem non vidit : nonne ad locum unum omnia properant?

Omnis labor hominis in ore ipsius, et quidem anima ejus non implebitur.

Quid enim amplius sapiens a stulto; quid pauperi, nisi scire ut vadat contra vitam?

Melior est aspectus oculorum super ambulantem in anima; sed et hoc vanitas, et præsumptio spiritus.

Quid est quod futurum est : jam vocatum est nomen ejus et cognitum: quia homo est, et non poterit judicari cum fortiore se.

Quia sunt verba multa multiplicantia vanitatem.

5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali;

6. Etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis; nonne ad unum locum properant omnia?

7. Omnis labor hominis in ore ejus : sed anima ejus non implebitur.

8. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?

9. Melius est videre quod cupias quam desiderare quod nescias : sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus.

10. Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus, et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in judicio contendere.

11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

6 « Nonne ad unum locum properant omnia? » Alia sententia, ad quam sequentia pertinent. Sic autem habet : Miserrimi illi sunt, qui concessis bonis non utuntur : fac autem utare; non eo eris beatior, cum mors ingruat. « Ad unum locum properant : omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. » II. Reg. XIV. 14.

7 « Omnis labor hominis : » hujusmodi quem diximus, comedentis ac bibentis, partisque opibus utentis, « in ore ejus, » circa palatum versatur : miserabilis labor qui ventri et putredini serviat. « Sed anima ejus non implebitur : » animus majori bono natus, his impleri non potest.

8 « Quid habet amplius sapiens a stulto? » Supple : si in edendo et bibendo vita constat, « et quid pauper, » ac frugi, habet scilicet, « nisi ut pergat illuc ubi est vita? nisi ut ea adipiscatur quibus vivat, atque organum corporis sustentet, nec pereat inedia : Hier. quod magis Heb. congruit. Quid pauperi (deest) scienti pergere ante vitas, seu vitam sustentare? quasi diceret : pauperi æque ac diviti victus communis; nec sapiens ea re plus habet aut scit, quam cæteri : communis eis cura, ut vitam protendant. Attende autem, christiane, hæc vivendi cura, quam bene ad veram æternamque vitam transferatur, de qua infra dicetur.

9 « Melius est videre : » melior est aspectus oculorum super ambulantem in anima. Hier. ex Heb. id est, vana et imaginaria sectantem; quod eodem pertinet atque antecedentia, nempe ut intelligamus melius esse ac præstantius frui præsentibus bonis quæ in promptu habeamus, quam animum inani spe pascere, aut philosophantium more, vanas ac supra nos, atque inextricabiles tentare quæstiones.

10 « Qui futurus est. » Et hoc pertinet ad humanæ sapientiæ vanitatem, scire omnia a Deo prævisa, suisque jam distincta nominibus, eumque unum scientem sapientemque esse, qui omnia ac futura æque ac præterita mente complectatur. « Et scitur quod homo sit : » scitur, inquam, hominem tantum esse hominem : et quod frustra nititur supra vires : « et non possit contra fortiorem se in judicio contendere : » contra Deum scilicet.

11 « Verba sunt plurima : » alia ratio retundandæ sapientium vanitatis, quod in hominum quæstionibus ac disputationibus, nihil nisi verba sint, et inanis loquacitas; sive, ut habet Hebr. quia sunt verba plurima multiplicantia vanitatem : quo etiam sequentia pertinent.

CAP. VII. Vana scientia : quæstiones : majora se quærere : quid quod melius : risus, 4, 5. correptio : adulatio : patiens, 9. ira stultorum est : stultum tempora præferre temporibus : sapientia : 13, 20. divitiæ : cavere, 15. sapere ad sobrietatem, 17, 18. nemo sine peccato, 21. de sapientia obtinenda præsumere, 24, 25. mulieres, 26 et seq. homo rectus, 30. quis sapiens.

v. s. h. — Quid plus homini? quis enim cognovit quid sit bonum homini in vita? numerum dierum vitæ vanitatis ejus, et faciet ea quasi umbram; quia quis annonciabit homini quid sit post eum sub sole?

Bonum est nomen super oleum bonum, et dies mortis super diem nativitatis.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in quo finis est omnis hominis; et qui vivit, dabit ad cor suum.

Melior est ira quam risus : quia in mœrore vultus emendabitur cor.

Cor sapientis in domo luctus, et cor insipientis in domo lætitiæ.

Melius est audire increpationem sapientis super virum audientem carmen stultorum.

Quia sicut vox spinarum sub olla, ita risus stulti : sed et hoc vanitas.

Calumnia conturbat sapientem, et perdit cor fortitudinis ejus.

Melius est novissimum sermonis,

v. v. — 1. Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ et tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sol sit?

2. Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis.

3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

4. Melior est ira risu : quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

5. Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.

6. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.

7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti; sed et hoc vanitas.

8. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.

9. Melior est finis orationis, quam

1 « Majora se quærere : » torquere se quæstionibus quæ captum exsuperent : alia ratio qua scientiarum patescat vanitas : altiora scrutari, obvia et necessaria ignorare.

2 « Melius est nomen bonum : » cum tam brevis vita sit, ut sæpe antea memoratum, hortatur ut faciat famam vita longiorem. Hier. « Melior dies mortis die nativitatis : » non tantum propter vitæ ærumnas, verum etiam quod nascentis incerta studia, mortui laus in tuto sit posita.

4 « Melior est ira » (sive indignatio) emendantis et castigantis, « risu » blandientis et adulantis.

5 « Cor sapientium ubi tristitia est : » cor sapientium in domo luctus; cor stultorum in domo convivii (sive lætitiæ) : Heb. LXX. Lætitia enim dissolvit sapientiam, luctus superbiam stultitiamque comprimit.

6 « Quam stultorum adulatione decipi : » quam canticum stultorum, supple, audire : Heb.

7 « Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla : » sic stultorum gaudia, grata licet in speciem, nihil nisi inanem strepitum, et evanidam lucem præbent. Quæ omnia a ℣ 3. pertinent ad humanæ lætitiæ vanitatem, de qua etiam supra II. 2.

8 « Calumnia conturbat (etiam) sapientem; et perdet robur cordis illius : » sic LXX. sic Hier. ad Paulam : Heb. eodem sensu : et munus (seu donum) perdit cor (sive mentem) supple, sapientis; de quo primo membro : juxta illud Deut. XVI. 19. « munera excæcant oculos sapientum : » quibus humanæ sapientiæ imbecillitas demonstratur.

9 « Melior est finis orationis : » sermonis; « quam principium, » ut missis proloquiis ad

quam principium ejus. Melior est patiens super excelsum spiritu.

Ne festines in spirito tuo, ut irascaris : quia ira in sinu stultorum requiescit.

Ne dixeris : Quid factum est, quia dies priores erant meliores quam isti? quia non sapientes interrogasti de hoc.

Bona est sapientia cum hæreditate, et amplius videntibus solem.

Quia quomodo umbra sapientiæ, sic umbra argenti, et quod plus est, scientia sapientiæ vivificabit habentem se.

Vide opera Dei : quoniam quis poterit adornare, quem Deus perverterit?

In die bonitatis esto in bono, et in die malo vide. Et quidem istud congruum huic fecit Deus ad loquendum, ut non inveniat homo post eum quicquam.

Omnia vidi in diebus vanitatis meæ : est justus periens in justitia sua, et est impius longævus in malitia sua.

Noli esse justus multum, et ne quæras amplius, ne obstupescas.

principium. Melior est patiens arrogante.

10. Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit.

11. Ne dicas : Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.

12. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.

13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.

15. In die bona fruere bonis, et malam diem præcave. Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ : justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.

17. Noli esse justus multum : neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas.

rem ipsam veniamus, et quam brevissime fieri poterit concludamus. Melior etiam cujusque rei finis quam principium, juxta ỳ 2. « Melior est patiens : » cum arrogans sibi aliquid esse videatur, vanum tamen istud est, et pati melius quam contumeliose et arroganter aliquid agere.

11 « Stulta est hujuscemodi interrogatio : » vani imperitique homines putant incidisse se in ea tempora, in quibus inauditæ sint, atque hactenus inexpertæ calamitates; sed hoc quam vanum sit, docent antecedentia, supra, I. 10. III. 15.

12—13 « Utilior est sapientia cum divitiis : » sive cum hæreditate : Heb. utiles divitiæ, si sapientia adsit; sed sapientia potior, quæ veram vitam tribuit.

14 « Quod nemo possit corrigere quam ille despexerit : » quem seu quod ille curvaverit : Heb. juxta illud quod scriptum est : « Quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego, » Dominus Deus? Exod. IV. 11. ut frustra obloquantur homines, cum quæ ego sive recta, sive distorta fecerim (aut permiserim) mutare nemo possit : Hier. Hunc versum Ecclesiastæ Chal. hic refert ad vitia corporis, ut nemo gibbosum, claudumve restituere possit in rectam staturam; ac proverbialiter intelligendum; ut discant homines pati, quæ Deus justis de causis inemendata esse voluerit, sive permiserit.

15 « In die bona : » præcedentis sententiæ corollarium, ne obloquaris Deo aut rebus humanis, sed omnia excipias prout eveniunt; æque enim fecit Deus bonos dies malosve, prosperos et adversos; neque quidquam forte, aut cæca necessitate fit, sed Dei sapientia. « Ut non inveniat homo justas quærimonias : » Heb. et non inveniet homo post eum quidquam, post Deum scilicet : ne te excruciaveris emendandis Dei operibus.

16 « In diebus vanitatis meæ : » hujus vitæ vanissimæ. « In justitia sua : » virtutis studium non prohibet accelerata mortem : quæ quærela passim in sacris libris præsertim Jer. XII. 1. etc. Sed hujus rei causa, his diebus vanissimis, procul submovetur ab hominum aspectibus. Vide infra, VIII. 11, 12, 13. IX. 2.

17 « Noli esse justus multum : » qui summo et stricto semper jure agat; qui trucem et rigidum gerat animum, nunquam indulgens veniam, maxime vero qui superstitiosus se scrupulis torqueat : hunc scito plus justum esse quam justum est, et ex cunctatione, vel fluctuatione

Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Bonum est retinere justum. Et quidem ab hoc ne dimittas manum tuam ; quoniam qui timet Deum, egredietur ad omnia.

Sapientia confortabit sapientem super decem potestatem habentes, qui sunt in civitate ;

Quia non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.

Et quidem in omnes sermones quos loquentur impii, ne dederis cor tuum, ut non audias servum tuum maledicentem tibi.

Etenim frequenter scit cor tuum, quia et tu maledixisti aliis.

Omnia hæc tentavi in sapientia, et dixi :

Sapiens efficiar : et ipsa longius facta est a me, magis quam erat. Et alta profunditas ; quis inveniet eam ?

Circuivi ego cor meum, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem ; et ut cognoscerem impietatem stulti, et imprudentiam errorum.

Et inveni ego amariorem morte mulierem ; quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus ejus. Bonus coram Deo eruetur ab ea, et qui peccator est, capietur in illa.

18. Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19. Bonum est te sustentare justum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam : quia qui timet Deum, nihil negligit.

20. Sapientia confortavit sapientem, super decem principes civitatis.

21. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.

22. Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum. ne forte audias servum tuum maledicentem tibi.

23. Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis.

24. Cuncta tentavi in sapientia : Dixi : Sapiens efficiar : et ipsa longius recessit a me,

25. Multo magis quam erat : et alta profunditas; quis inveniet eam ?

26. Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem ; et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentium.

27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam : qui autem peccator est, capietur ab illa.

animi pene in stuporem verti : hæc fere Hier. « Ne obstupescas : » alii, ne desolationem tibi accersas.

18 « Ne impie agas multum : » id est, diu, nec peccata peccatis addas. Debemus enim nos statim erigere post ruinam ; non imitari eos, qui semel deserta regula, tradunt se vitiis desperantes : Ephes. IV. 29. Cur autem hic inserantur sententiæ non ita proposito cohærentes, diximus supra, IV. 17.

19 « Bonum est te sustentare justum ; » istum : Heb. LXX. Nempe justum de quo ℣ 17. « Sed et ab illo ne subtrahas manum tuam : » nempe ab impio, de quo ℣ 18. Bonum est justis benefacere, sed peccatoribus benefacere non est malum ; bonum domesticis fidei benefacere, sed et omni petenti tribuere : Hier. « Qui timet Deum, nihil negligit : » cum omnibus exibit : Heb. LXX. prospero eventu : cum Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum : Rom. VIII. 28.

24 « Cuncta : » cuncta hæc : Heb.

25 « Quis inveniet eam? » Vide Job. XXVIII. 12, 27.

26 « Lustravi universa. »

27 « Et inveni. » En egregium tot inquisitionum atque experimentorum fructum : « inveni amariorem morte mulierem : » quæ nihil nisi suavia, merasque voluptates præ se ferebat. Qua enim non morte amarius aut tetrius, impiæ dominæ servire libidinibus atque erroribus, et Deum colere quemcumque decerneret, ut Salomoni contigit ! quasi diceret : Cum de omnibus hominum erroribus diligentissime quærerem, nihil certius reperi, quam istud de muliere : quodque ea sit, « laqueus, sagena, vinculum, » quo te nec volens nitensque extricare possis, tam fæda quam misera servitute : quæ expertus dicere, et ab insania sua resipiscere videtur : Hier.

Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes : unam ad unam, ut invenirem numerum,

Quem adhuc quæsivit anima mea, et non inveni. Hominem unum de mille inveni, et mulierem in omnibus his non inveni.

Solummodo hoc inveni, quia fecit Deus hominem rectum ; et ipsi quæsierunt cogitationes multas.

28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem,

29. Quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum; et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi ?

CAP. VIII. Sapiens vultu quoque agnoscitur : regum majestas, 2 et seq. rerum commodi nexus et opportunitates, 6. hominum imperitia, 7. dominandi libido, 9. hypocritæ, 10. malorum res prosperæ : bonorum adversæ, 11, 14. bene piis, male impiis, 12, 13. impiorum sententia, 15. opera Dei investigabilia, 16, 17.

V. S. H. — Quis ita ut sapiens, et quis novit solutionem verbi? sapientia hominis illuminabit vultum ejus, et fortis faciem suam commutabit.

Ego os regis custodio, et loquelam juramenti Dei.

V. V. — 1. Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.

2. Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei.

28 « Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes : » sane et hoc mente et cogitatione perviderat. Prov. II. 16. V. 3. VI. 24. VII. 5. et alibi passim. Quid igitur hic addit inventis, nisi ut id, quod ratione perspexerat, ipso experimento doctus, referat, et inculcet? « Ecce, » inquit, « hoc inveni : » egregium operæ pretium, « dixit Ecclesiastes : » quod est monentis, inculcantis, infarcientis. « Unum et alterum : « ad verbum : unam ad unam : phrasi Heb. quod nos in neutrum vertimus, hoc est, versando in animo unum ad unum, sive, unum post alterum, atque, ut ait Hier. sigillatim ac minutatim, velut subducta ratione, perpendens omnia, et diligenter eventilans, « ut invenirem rationem, »

29 « Quam adhuc quærit anima mea : » in qua adhuc laboro, animumque excrucians ac pertundens, non possum hujus rei, hoc est, muliebris nequitiæ assequi causam; sed hoc, inquit, unum comperi : « virum de mille unum reperi, » qui saperet : mulierem vero nullam; sive ut habet textus : « mulierem ex omnibus non inveni. » Omnes enim me ad luxuriam, et non ad virtutem deduxerunt : » Hier. hic.

30 « Solummodo hoc inveni : » tanquam diceret : Quærenti, cogitantique, cur humanum genus, ac præsertim fœmineum sexum cui et viri serviunt, insipientia pervagata corruperit, unum illud occurrit, nempe quod Deus hominem non talem, qualis nunc est, fecerit : imo « quod fecerit Deus hominem rectum : neque illa quam vidimus perversitas et obliquitas sit natura instituti hominis, sed pœna damnati, ut præclare Augustinus. « Quod fecerit Deus hominem rectum; » recta sentientem, recta diligentem, sociis æquum, Deo subditum; et ipse se distortum jam inde ab initio fecerit. Quomodo autem distortum, nisi quod « ipse se infinitis miscuerit quæstionibus : » vel, ut habent. Heb. LXX. ipse Hier. ad Paulam, eodem plane sensu : et ipsi quæsierunt cogitationes multas; in varia ac pessima se studia ac dubia distraxerunt. Cujus rei fons est, quod cum homini veritas divinæ legis decisione constaret, huic definitioni non steterit, ac de præcepto ipso quæsiverit, parendumne esset : audiveritque libens fœmina quæstionem temerariam : « Cur præcepit vobis Deus?... » (Gen. III. 1.) viroque persuaserit ut eadem de re anceps quæreret. Sic aliæ ex aliis ortæ quæstiones, dubitatumque de Deo, de providentia, de legibus, deque certis æque ac de incertis : abiitque prorsus ex humano genere illa rectitudo, quam Deus fecerat; extiteruntque cogitationes, sive, ut Hieronymus hic elegantissime vertit, quæstiones ac fluctuationes, quibus ipse se homo conturbaret, atque perverteret.

1 « Sapientia hominis lucet in vultu ejus : » illuminat vultum ejus : Heb. gratum reddit. « Et potentissimus faciem illius commutabit : » et fortitudo (sive obstinatio, austeritas) faciei ejus mutabitur : Heb. Nil asperum, nil pervicax; sedata omnia, in vultu sapientis.

2 « Ego os regis observo : » observa : Heb. ut supplendum sit, ego moneo, vel quid simile. « Os regis : » id est, mandatum. « Et præcepta juramenti Dei, » propter juramentum Dei :

Ne festines a facie ejus abire, et ne stes in verbo malo ; quoniam omne quod voluerit, faciet.

Sicut dixerit rex, potestatem habet, et quis dicet ei, Quid facis?

Qui custodit mandatum, non cognoscet verbum malum ; et tempus et judicium cognoscit cor sapientis.

Quia omni negotio est tempus et judicium; afflictio quippe hominis multa super eum ;

Quia nescit quod futurum est ; sicut enim erit, quis annuntiabit ei?

Non est homo potestatem habens in spiritum, ut prohibeat spiritum, et non est potestas in die mortis, et non est emissio in die belli ; et non salvabit impietas habentem se.

Omnia hæc vidi, et dedi cor meum in omne opus, quod factum est sub sole ; et dominatus est homo homini ut affligeret eum.

Et tunc vidi impios sepultos, et venerunt; et de loco sancto egressi sunt, et laudati sunt in civitate, quia sic fecerunt ; sed et hoc vanitas.

Quia enim non est contradictio facientibus malum cito ; ideo repletum est cor filiorum hominum in eis, ut faciant malum.

Quia peccator facit malum centies, et elongat ei Deus ; ex hoc cognosco ego, quod erit bonum timentibus Deum, qui timebunt a facie ejus ;

3. Ne festines recedere a facie ejus, neque permanceas in opere malo : quia omne quod voluerit, faciet :

4. Et sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis?

5. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.

6. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio :

7. Quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.

8. Non est in hominis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.

9. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

10. Vidi impios sepultos : qui etiam, cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabuntur in civitate quasi justorum operum : sed et hoc vanitas est.

11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

Heb. regi scilicet præstitum. Nota fidem regi sacramento obligatam. Idque videtur significare fœdus populi cum Davide coram Domino. II. Reg. v. 3. Item cum Joas, IV. Reg. xi. 17. Item principes dant manum Salomoni. I. Paral. xxix. 24.

4 « Et sermo illius potestate plenus est : » regis : Heb.

5 « Qui custodit præceptum : » regis scilicet. « Tempus et responsionem cor sapientis intelligit : » rationem, morem (regis scilicet alloquendi) : Heb.

6 « Omni negotio..... opportunitas : » judicium, ratio ; eadem voce, ac supra, ℣ 5. quam « responsionem » vertit interpres : « et multa hominis afflictio : » difficile est opportunitatem invenire, et commodos rerum nexus.

8 « Non est in hominis potestate : » quemadmodum extremum vitæ halitum cohibere nemo potest, nec se expedire citatus ad bellum ; ita neque « salvabit impietas impium : » quamvis ad servandum se, nec sceleri parcat. « Prohibere spiritum : » animam fugientem. « Nec sinitur quiescere ingruente bello : » Heb. nec est missio.

10 « Et laudabantur in civitate quasi justorum operum : » Ita LXX. at Heb. oblivioni tradentur, « ischtachoau : » pro « ischtabehou, » laudabuntur : caph pro beth : simillimis litteris facile invicem commutatis : et ita Chal. et Syr. Vulg. sensus apertior.

12 « Attamen... ego cognovi. » Si enim tanta est etiam erga malos Dei indulgentia ac mise-

Et bonum non sit impio, et non prolonget dies quasi umbra, qui non timet a facie Dei.

13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.

Est vanitas quæ fit super terram; quia sunt justi super quos veniunt quasi facta impiorum, et sunt impii ad quos perveniunt quasi facta justorum. Dixi quia hoc vanitas est.

14. Est et alia vanitas quæ fit super terram. Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant: sed et hoc vanissimum judico.

Et laudavi ego lætitiam: quia non est bonum homini sub sole, nisi comedere, et bibere, et lætari. Et ipsum egredietur cum eo de labore suo diebus vitæ, quos dedit ei Deus sub sole.

15. Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet: et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.

Quapropter dedi cor meum, ut cognoscerem sapientiam, et viderem occupationem quæ facta est super terram. Quia et in die et in nocte somnium in oculis suis non est videns.

16. Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem, quæ versatur in terra: est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis.

Et vide omnia opera Dei; quia non poterit homo invenire opus quod factum est sub sole; in quo laboravit homo ut quæreret, et non inveniet; si quidem et si dixerit sapiens se cognoscere, non poterit invenire.

17. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

CAP. IX. Arcana Dei: nemo scit an odio, an amore sit dignus: inde corruptelæ: impiorum sensus, 4, 5, 6 et seq. res humanæ casu regi videntur, 11, 12, sapientia contemptui, divitiæ pretio habentur: cum tamen sapientia armis sit melior, 14, 15, 16, 17, 18. in uno peccans: *ibid.*

v. s. h. — Omne hoc dedi in corde meo, ut considerarem universa; quia justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei. Et quidem caritatem et quidem odium, non est cognoscens homo; omnia in facie eorum.

v. v. — 1. Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem: sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo utrum amore, an odio dignus sit:

ricordia; ut eorum supplicia differat ut corrigantur; quam putemus ejus esse benignitatem erga justos, ut mercedem præstet? simile argumentum, III. 16, 17.

15 « Laudavi igitur lætitiam: » ex persona impiorum, qui, quod omnia in futurum serventur incerta, nihil melius factu arbitrantur, quam ut voluptati se dedant.

16 « Et intelligerem distentionem: negotium, *perispasmon*, occupationem, supra, I. 13. curam superfluam: supra, II. 26. « Est homo, qui diebus ac noctibus somnum non capit: » qui seipsum excruciat quæreudis rerum et eventuum causis; « cur alius cæcus, et debilis, alius videns nascatur et sanus;... iste sit nobilis, ille inglorius: nihil aliud proficit, nisi in sua tantum quæstione torqueri, et disputationem pro tormento habere, nec tamen invenire quod quærit. » Hier. hic.

17 « Nullam possit homo invenire rationem, » exactam, accuratam, perspicuam, neque omnino ullam, nisi Dei lege institutus, aut lumine collustratus. « Quanto plus laboraverit... etiam si dixerit sapiens se nosse: duo tradit verissima; primum, quo plus conere Dei arcana persequi, eo magis te ambagibus ac dubitationibus involvas; alterum, sapientiam humanam nihil esse nisi jactantiam; quod etiam sequentia ostendunt.

1 « Sunt justi atque sapientes. » Idem argumentum de bonis malisque in præsente vita pari

In omnibus eventus unus; justo et impio, bono et malo, mundo et polluto, sacrificanti et non sacrificanti. Sic bonus ut peccator; sic jurans sicut juramentum timens.

2. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.

Hoc est pessimum in omni quod factum est sub sole, quia eventus unus omnibus. Sed et cor filiorum hominum repletum est malitia; et errores in corde eorum in vita sua; et post hæc ad mortuos.

3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia, et contemptu in vita sua; et post hæc ad inferos deducentur.

Quia quis est qui communicet in omnes viventes? est confidentia, quoniam canis vivens melior est leone mortuo.

4. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo.

Quia viventes sciunt quod moriantur, et mortui nesciunt quidpiam; et non est eis amplius mer-

5. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mer-

modo habitis, miris versat modis. Vide autem Heb. ex Hier. quem ipse sic exponit : Etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret, quos odisset : et inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse et ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant quæ sustinent, an ad supplicium : in futuro igitur scient et in vultu eorum sunt omnia; id est, antecedit eos, cum ex hac vita decesserint, notitia istius rei; quia tunc est judicium, nunc certamen, et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant ut Job, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Recte omnino; idque aperte evincit Ecclesiastes, adeo ambigua esse omnia, ut nemo nec de aliis, nec de se ipso sciat an amore, an odio sit dignus, quod et nos latere possint occulta peccata : « delicta » enim « quis intelligit? » Ps. XVIII. 13. et Deus quid de quoque sentiat, nedum ullo indicio prodat, involvat magis. « Opera eorum in manu Dei : » solus ipse novit : « et tamen nescit homo : » et quidem caritatem (Dei erga se) et quidem odium non est cognoscens homo : Hier. ex Heb. LXX. Quod cum sit universim traditum, inde profecto efficitur, ut nec de aliis quisquam, nec de se ipso liquido sciat amorine, an odio Deo sit. « Omnia in futurum : » omnia ante facies eorum : Heb. LXX. sive, ut vertit Symm. apud Hier. Omnia coram eis incerta : ut Deo soli id constet, quemadmodum supra dictum est : « Opera eorum in manu Dei. »

2 « Eo quod universa æque eveniant justo et impio : » etsi enim plerumque veri legis observatores promissa a lege temporalia bona recipiebant; tamen nec penitus ad omnes, nec ad quodcumque vitæ tempus ista pertinebant. Job enim, David, Tobias, Daniel, diutissime multa perpessi, vix tandem a tot malis expediti sunt : prophetæ autem Isaias, Jeremias, et alii multi, nunquam : ipse legislator Moyses, cum inter populi contumacis odia ac seditiones asperrimam duxisset vitam, nec ad terram illam admissus est. Deus igitur homines ad meliora promissa præparabat; et tamen agebat miris modis, ut promissa temporalia in plerisque valerent, et in tota republica Judaica maxime elucescerent. « Ut perjurus : Heb. LXX. jurans (temere scilicet) sicut is qui juramentum timet : religiosus perjurusque nullo discrimine habiti.

3 « Et contemptu : » procacitate : Symm. apud Hier. et insaniæ (sive errores) in corde eorum in vita eorum, et postea ad mortuos (pergunt) Heb. nec unquam resipiscunt. Quæ item ex persona impiorum dicta, postea in fine libri claram solutionem habebunt, ut sæpe monuimus.

4 « Nemo est qui semper vivat. » Symm. antecedenti sic jungit : Cor hominum repletur malitia et procacitate in vita sua; novissima autem veniunt ad mortem; quis enim potest in sempiternum perseverare vivens? quæ interpretatio Hieronymo clara : sensusque sit : quod bonis malisque æqua omnia eveniant : homines tota vita in errore versantur; donec deveniamus ad mortem, malorum omnium terribilissimum et ultimum, post quod non spes, aut merces ulla super, nullusque ab errore resipiscendi locus; atque omnino ignorantia insanabilis : ex Heb. et LXX. sic habes : Nam quis communicat in omnes viventes? quis eorum consors (semper) esse potest? hoc est, quis potest semper vivere, ut habet Symm. pergit Hier. Est confidentia (sive spes) viventi, scilicet, quoniam « melior est canis vivus leone mortuo : » vita, etiam miserrima, quavis morte præstat : quod morte spes omnis mercesque, atque etiam recte gestorum memoria pereat; ut est in sequentibus, 5 et 6. Quæ recte consonant impiorum dictis, quorum hic personam agit.

ces : in oblivioni enim venit memoria eorum.

Sed et dilectio eorum, et odium eorum, et zelus eorum jam periit : et pars non est eis adhuc in seculo, in omni quod fit sub sole.

Vade et comede in lætitia panem tuum, et bibe in corde bono vinum tuum, quoniam jam complacuerunt Deo opera tua.

In omni tempore sint vestimenta tua candida : et oleum de capite tuo non desit.

Vide vitam cum muliere quam dilexisti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole : quia hæc est pars tua in vita, et in labore quo tu laboras sub sole.

Omnia quæ invenit manus tua ut facias, in virtute tua fac : quia non est opus, et cogitatio, et scientia, et sapientia in inferno, quo tu vadis illuc.

Converti me, et vidi sub sole, quoniam non est velocium cursus, nec fortium prælium, nec sapientium panis, nec prudentium divitiæ, nec scientium gratia : quoniam tempus et eventus occurret omnibus illis.

Et quidem nescit homo tempus suum : quasi pisces qui retinentur in retiaculo malo, et sicut volucres quæ colligantur in laqueo, similiter corruent filii hominum in tempore malo, cum ceciderit super ipsos ex templo.

Sed et hanc vidi sapientiam sub sole, et magna est apud me.

cedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum.

6. Amor quoque, et odium et invidiæ simul perierunt; nec habent partem in hoc seculo, et in opere quod sub sole geritur.

7. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua.

8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ : hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole.

10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

11. Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam : sed tempus casumque in omnibus.

12. Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam :

6 « Amor quoque, et odium : » quod uno verbo Psalmista transigit : « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. » Psal. CXLV. 4. in nulla parte vitæ humanæ sunt.

9 « Cum uxore : » Heb. cum muliere; quamcumque dilexeris : hæc enim continuat in persona impiorum, ac voluptuosorum hominum.

10 « Quodcumque potest... instanter... quia nec opus.... apud inferos : » vanam, brevemque vitam vana et brevi voluptate percurre; et si quid delectare potest, festinus carpe ne pereat. Hier.

11 « Nec velocium esse cursum : » quod nec optimi eligantur, et etiam optimos successus ipse fallat, neque possit homo providere quidquam, ut ℣ 12. Longe aliter Paulus : non enim eo quod neque fortitudo, neque cursus velocitas valeat apud homines, exinde concludit, casu omnia agi, sed contra, Dei esse optatos dare successus : « Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » Rom. IX. 16.

12 « Nescit homo finem : » tempus : Heb. LXX. commodaque aut incommoda ex eo provenientia, sed in prospera et adversa cæco impetu se infert.

13 « Hanc.... vidi sapientiam : » humanam sapientiam hactenus insectatus, nunc commendare videtur quam maxime, sed postea docet, id etiam esse humanæ vanitatis, ut tanta quoque sapientia, nisi divitiæ accedant, nihili apud homines habeatur.

Civitas parva, et viri pauci in ea: et venit ad eam rex magnus, et circumdedit eam; et ædificavit adversus eam machinam magnam.

14. Civitas parva, et pauci in ea, viri, venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.

Et invenit in ea virum pauperem et sapientem, et salvavit hic civitatem in sapientia sua: et homo non recordatus est hominis pauperis illius.

15. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens; et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominus illius pauperis.

Et dixi ego meliorem esse sapientiam super fortitudine, et sapientia pauperis quæ despecta est, et verba ejus quæ non sunt audita.

16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita?

Verba sapientium in quiete audiuntur, plusquam clamor potestatem habentis in stultis.

17. Verba sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos.

Melior est sapientia super vasa belli; et peccans unus perdet bonitatem multam.

18. Melior est sapientia quam arma bellica: et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

CAP. X. Ex minimis delictis grandis jactura: stultus non se, sed alios omnes stultos putat, 3. ne principum gratia glorieris, 4. regimen pertubatum principum errores, 5. sua fovea captus: majorum instituta, 8, 9. labore acuitur industria, 10. detractor: stultorum multiloquia, 12, 13, 14. alia ex aliis mala, eaque graviora, 15. rex puer, 16. rex temperans, 17. desideria: pecuniæ parent omnia: non detrahendum regi, etiam occulte, 20.

v. s. h. — Muscæ morituræ exterminant oleum compositionis: pretiosa est super sapientiam et gloriam stultitia parva.

v. v. — 1. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia.

Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.

2. Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.

Sed et in via cum stultus ambulat, cor ejus minuitur: et dicit, omnis insipiens est.

3. Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

Si spiritus habentis potestatem ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia sanitas requiescere facit peccata magna.

4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

17 « Verba sapientium: » Hier. « Quemcumque in Ecclesia videris declamatorem et cum quodam lenocinio, ac venustate verborum excitare plausus, risus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare; scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur, quam eorum qui audiunt: verba quippe sapientium in quiete et moderato audiuntur silentio: » hactenus Hier. et tamen ille tam silenter auditus, ac potentiorum vociferationibus antepositus, ad rerum humanarum ludibrium, et ipse sæpe despicitur, ut habes præcedente versu.

18 « Et qui in uno peccaverit: » unus peccans: Heb. Sicut unius sapientia civitas servatur; sic unius imperitia bona res male perit.

1 « Muscæ morientes.... Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia: » id quod pretiosum ex sapientia, et gloria, stultitia parva, Heb. supple, corrumpit. Sicut exiguæ muscæ optimum unguentum, sic paululum stultitiæ excellentem sapientia et gloria virum corrumpit; cavendumque omnino ne leves defectus multitudine gravent.

2 « In dextera: » dextera recti, sinistra pravi symbolum.

4 « Si spiritus.... ascenderit super te: » si te benignior aura favoris afflaverit; si aliquam acceperis dignitatem: « locum tuum ne dimiseris: » noli efferri animo, noli, relinquere priora opera. Hier. « Quia curatio: » sive cautio, ac modesti animi pudor, non splendor dignitatis, « faciet cessare peccata maxima. »

Est malum quod vidi sub sole, quasi ignorantia egrediens a facie potentis,

Dari stultum in sublimitatibus magnis, et divites in humilitate sedentes.

Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram.

Qui fodit foveam, in ipsam incidet; et qui dissipat sepem, mordebit eum serpens.

Qui subtrahit lapides, dolebit in eis; et qui scindit ligna, periclitabitur in eis.

Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed conturbatum fuerit, virtutibus corroborabitur; et reliquum fortitudinis sapientia est.

Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam.

Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.

Initium verborum stulti insipientia et novissimum oris ejus error pessimus.

Et stultus multiplicat verba. Ignorat homo quid sit quod factum est: et quod futurum est post eum quis annuntiabit ei?

Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt ire in civitatem.

Væ tibi, terra, cujus rex adolescens est, et principes tui mane comedunt.

5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis:

6. Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.

7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos.

8. Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

9. Qui transfert lapides, affligetur in eis; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

10. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; et post industriam sequetur sapientia.

11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

12. Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.

13. Initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.

14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

16. Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.

5. « Quasi per errorem, » (aut ignorantiam: Heb. atque involuntarie: LXX.) « egrediens a facie principis: » adeo absurdum, ut non nisi imprudenti excidat principi. Vide autem quam multa peccent principes per ignorantiam, queis tamen respublica pessumdatur.

6 « Stultum in dignitate,.... et divites » (sive optimates) « sedere deorsum, » magna rerum perturbatione, quam et sequens indicat, ubi servi dominantur, principes humi repunt.

8. « Qui fodit foveam.... qui dissipat sepem: » qui prisca instituta subvertit, aut qui reipublicæ robur, nobilitatem scilicet, structis insidiis, malisque artibus pessumdat, ut ille servus, ℣ 6 et 7. is sibi, ac reipublicæ quam improvidus regit, accersit infortunium.

9 » Qui transfert lapides: » præcedentem firmat; ut non frustra gestes ingentes lapides, aut ligna scindas manibus; sic nec frustra convellas instituta majorum: quod item vetat sapiens alia et huic cognata similitudine, gravi hoc interdicto, ne terminos moveas. Proverb. XXII. 28.

10 « Si retusum fuerit ferrum » rubigine: « et hoc non ut prius: » supple, sciderit: et non terserit aciem: Heb. supple, qui eo utitur: « sed hebetatum fuerit: » cujus loco Hier. sed conturbatum fuerit: (quod tamen Heb. deest) « multo labore, » ac viribus « exacuetur: » virtutibus (seu laboribus) corroborabitur: Hier. ex Heb. « et post: » post « industriam sapientia: » vel ut habet Heb. (sic) et excellentia in dirigendo, sapientia (est) sensus: sapientis est cogitando et meditando dirigere ac perpolire animum, ut terendo et detergendo, perpolitur ferrum.

12 « Præcipitabunt eum: » dejicient, perdent.

15 « Qui nesciunt in urbem pergere: » qui rem obviam et notissimam non inveniunt: proverbium.

16 « Cujus rex puer est: » sic apud Isaiam, III. 4. « Dabo pueros principes eorum: » neque

Beata terra, cujus rex tuus filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non in confusione.

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum stillabit domus.

In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes : et argento obediunt omnia.

In mente tua regi ne maledixeris, et in secreto cubilis tui ne maledixeris diviti : quia volucres cœli auferent vocem tuam, et habens pennas annuntiabit verbum.

17. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.

18. In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.

19. In risum faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes : et pecuniæ obediunt omnia.

20. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.

CAP. XI. Eleemosyna, quibuscumque obviis, 1. copiose danda, 2. cave quo statu moriaris, 3. nimia cautio, 4. opera Dei inscrutabilia : labor assiduus, 6. mors certa demonstratio vanitatis, 8. ætatis flos et voluptas, vana, 10.

V. S. H. — Mitte panem tuum tuum super faciem aquæ, quia inmultitudine dierum invenies illum.

Da partem septem, et quidem octo : quia non scis quid futurum malum sit super terram.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Et si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem ; in locum ubi ceciderit lignum, ibi erit.

V. V. — 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas : quia post tempora multa invenies illum.

2. Da partem septem, necnon et octo : quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem ; in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

tantum ætate, sed sensibus : « et cujus principes mane comedunt : » luxuria, non necessitate ut seq. ℣ Sic idem Isaias, v. 11. « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. » Chal. de iis accipit qui ante juge sacrificium mane comederent.

17 « Nobilis : » heroum, sive clarorum ac fortium virorum filius : Heb. LXX.

18 « In pigritiis : » merito luxuriæ desidiam addit comitem, viribus animi et corporis voluptatis studio dissolutis : unde « humiliatur contignatio : » res humanæ sponte labuntur, ac suo ruunt pondere, nisi valide sustententur, quod mollities ac desidia prohibent.

19 « In risum faciunt : » vanissimi homines, qui cibos ad voluptatem, non ad sustentationem corporis sumunt, potationesque et luxuriam pro vera vita habent, horum venalis anima pecuniæ servit, ac per pecuniam ventri : sic illi apud Paulum, quibus Deus venter, dea pecunia est. Phil. III. 19. Eph. V. 5.

20 « Regi ne detrahas : » etsi puer sit, luxuriæque ac voluptati deditus, ut supra dixerat ; tamen parce nomini, majestatem reverere. « Diviti : » potenti, principi. « Aves cœli : » en quanta celeritate maledicta, tutis licet, ut quidem videbatur, auribus commissa, tamen velut pennis ad principem evolent ; en aves in aulis frequentes, quæ cum aliud agere, et velut in incertum volitare videantur, studiosissime colligunt quæ etiam incautis exciderint.

1 « Mitte panem tuum super transeuntes aquas : » quod omni petenti sit dandum, ex Luc. VI. 30. indiscrete faciendum bene : Hier. neque pereant data egenis, sed tutius recondantur, ac mala futura præveniant : ℣ 2, 3.

2 « Da partem septem, necnon et octo : » multis, imo omnibus : sic, Mich. V. 5. « septem pastores et octo principes, » pro multis.

3 « Si repletæ fuerint nubes : » esto sicut nubes, quæ copiose et ultro pluviam largiuntur : ita tu eleemosynam. « Si ceciderit lignum : » cave quo te inclines, sive in bonum, sive in malum, cum quo ceciderit, ibi perpetuo mansurus sis.

Qui observat ventum, non seminabit : et qui aspicit nubes, non metet.

Quomodo non cognoscis tu quæ sit via spiritus ; et sicut ossa in utero prægnantis : sic nescis opera Dei, qui facit omnia.

In matutino semina semen tuum, et ad vesperum ne dimittas manum tuam : quoniam nescis quid placeat, aut hoc, an illud : et si utrumque, quasi unum bonum est.

Et dulce lumen, et bonum oculis videre solem :

Quia si annis multis vixerit homo in omnibus his lætetur, et meminerit dies tenebrarum, quia plurimæ erunt. Omne quod venturum est vanitas.

Lætare, adolescens, in juventute tua, et in bono sit cor tuum in diebus adolescentiæ tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum. Et scito hoc, quia super omnibus his adducet te Deus in judicium.

Et repelle iram a corde tuo, et aufer malitiam a carne tua : quia adolescentia et stultitia vanitas est.

4. Qui observat ventum, non seminat : et qui considerat nubes nunquam metet.

5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis ; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.

7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.

8. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

9. Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum : et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.

10. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

4 « Qui observat ventum : » cunctanti ac trepido, et adversa semper tempora metuenti, benefaciendi proximo, atque universim bene rei gerendæ occasio elabitur.

5 « Via spiritus : » venti : ipse Domino dicente : « Nescis unde veniat, aut quo vadat : » Joan. III. 8. qua similitudine sancti quoque Spiritus operatio designatur, spirantis ubi vult : ibid. atque, ut vult, dona singulis dividentis : I. Cor. XII. 11. Nec desunt qui « viam spiritus » eam intelligant, qua anima corpori se infundat, propter sequentia de fœtu. « Sic nescis opera Dei : » nec qua ratione tibi pro benefactis atque eleemosynis bona retribuat.

6 « Mane semina.... et vespere ne cesset : » bona opera assidue frequentanda, ac semper benefaciendum proximo, neque unquam parcendum labori, quamvis, aliqua ex parte, successu frustretur : cum futurus sit aliquando proventus, quo labores etiam irriti repensentur.

8 « Si annis multis.... et.... lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, » seu noctis æternæ, « et dierum multorum : » mortis scilicet, postquam æternitas. « Qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita : » etiam gaudia, voluptatesque, quarum ex ore impiorum commendatio tanta præcesserat. Hic incipit solutio quæstionum ac fluctuationum, quibus ex impiorum persona, voluptuosam vitam laudare videbatur.

9 « Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua : » ironice dicta, ut videtur, sicut Matt. XXVI. 45. « Dormite jam, et requiescite : » quasi diceret : Jam lætare, si potes, in conspectu mortis : jam prædica evanidas fluxasque lætitias : « scito » tamen futurum, ut « pro omnibus his » quibus lætatus fueris, « adducat te Deus in judicium : » et quidem post mortem, cujus antea meminisse jusserat. Jamne ergo vides, insane, jamne sentis vitam non esse lusum : Sap. XV. 12. neque vana omnia, quæ in rem tam gravem, tamque tremendam desinant?

10 « Aufer iram :..., malitiam : » seu flagitium « a carne : » in ira omnes perturbationes animi comprehendit : in carnis malitia universas corporis voluptates : Hier. quo efficitur, non jam in voluptate ducendam vitam, sed omnem ad divinum judicium traducendam esse cogitationem. « Adolescentia enim et voluptas vana sunt : » etiam ea quæ inter vitæ vanitates solatio erat voluptas, inter vana reputanda est, quo uno omnes impiorum argutationes corruunt.

CAP. XII. Conclusio operis : de Deo cogitandum ante molestias et imbecillitatem senectutis, 4. corpus ad terram : spiritus ad Deum : vana omnia : audiendi sapientes : eorum sententiæ quales, 11. nimia scriptio et lectio, 12. verum bonum : scientiæque et vitæ summa, 13, reddenda ratio, 14.

V. S. H. — Et memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ : antequam veniant dies malitiæ, et appropinquent anni, in quibus dices : Non est mihi in illis voluntas.

Antequam obtenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.

In die quo commoti fuerint custodes domus, et perierint viri fortitudinis. Et cessabunt molentes, quoniam imminutæ sunt : et contenebrescent quæ vident in foraminibus.

Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris; et obmutescent omnes filiæ carminis.

Sed et ab excelsis timebunt, et formidabunt in via. Et florebit amygdalum, et impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ; et circuibunt in platea plangentes.

Antequam rumpatur funiculus argenti, et recurrat vitta aurea, et

V. V. — 1. Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.

2. Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam :

3. Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina :

4. Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis.

5. Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta et dissipabitur capparis : quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ; ei circuibunt in platea plangentes.

6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et

Pro « voluptate, » pubertatem Heb. stultitiam Hier. et LXX. habent : hoc est procul dubio voluptatem ipsam, quæ homines dementat.

1 « Memento creatoris : » te judicaturi. Præclara conclusio egregii operis hoc capite : « in diebus juventutis tuæ : » quanto magis cum judicium appropinquaverit! « Et anni de quibus dicas : Non mihi placent, » seniles scilicet, et ad sepulcrum præcipites.

2 « Et revertantur nubes post pluviam : » senum oculi caligine obducti, etiam cum serenum est, nubes videre se putant.

3 « Quando commovebuntur (trement) custodes domus : » manus protegendo corpori natæ. « Et nutabunt viri fortissimi : » crura, femora quæ corpus sustentant : « et otiosæ erunt molentes : » dentes : « et tenebrescent videntes per foramina, » oculi : fœmin. hebraice.

4 « Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, « sive oris commolentis cibos, hoc est, claudentur labia extrinsecus, sublatis dentibus compressa, ut vox exire nisi exilis et fracta non possit. « Et consurgent ad vocem volucris : » somnus levis, facile galli cantu abrumpendus : « et obsurdescent, deprimentur : Heb. « omnes filiæ carminis : » aures : delectatio musicæ et cantus concidet : Sic Berzellai, II. Reg. XIX. 35. « Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei... vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? vel, quidquid erat vocale conticescet.

5 « Excelsa quoque timebunt : » triste silicernium, neque altiora conscendere neque aspectare poterit; omnia ei ruinæ proxima videbuntur : « et formidabunt in via : « planissima quæque, quasi impedita et confragosa videntur : sic timide incedit. « Florebit amygdalus : » caput canescet. Hier. « Impinguabitur locusta : » incrassabitur, ingravescet : etiam minima quæque, crassa et gravia videbuntur infirmo seni. Alii, locustæ, seu cicadæ stridulæ nomine, linguam intelligunt in senibus gravem et impeditam : pro locusta, verti potest talus, sive pedes intumescentes et podagra prægravati, quod magis Chal. placuit. « Et dissipabitur capparis : » libido, concupiscentia. Hier. cibi appetentia, vigor omnis, membrorum rupto fœdere.

6 « Antequam rumpatur funiculus argenteus : » medulla spinalis, argentea propter colorem,

conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super lacum;

Et revertatur pulvis in terram suam sicut erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, universa vanitas.

Et amplius quia factus est Ecclesiastes, sapiens adhuc docuit scientiam populum, et audire eos fecit, et scrutans composuit proverbia.

Multum quæsivit Ecclesiastes, ut

conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam:

7. Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiates, et omnia vanitas.

9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat: et investigans composuit parabolas multas.

10. Quæsivit verba utilia et con-

incurvata, mox fatiscens. Item nervi ex eadem spina producti, tum soluti, ac flacceseentes. » Et recurrat vitta aurea : frangatur lenticula aurea : Heb. Vesicula fellis, qua tabescente cibi concoctio cessat, et alvus incomposite solvitur aut astringitur; quod maxime in senibus : « et conteratur hydria, » quæ jam urinam non contineat : « super fontem : » vesica urinaria : « et confringatur, » nutet, sive in catharros defluat. « Rota, » sive sphæra : caput volubile et rotundum : cranium : « galgal : » quæ vox pro capite sumitur : Exod. XVI. 16. Num. I. 2. « Super cisternam : » super cavum pectoris : Chal. et decurrat cranium ad sepulcrum tuum : quod planius videtur.

7 « Et revertatur pulvis in terram suam unde erat : » plana expositio ænigmatis, et plena solutio quæstionum, præsertim illius : « Quis novit, si spiritus filiorum Adam : supra, III. 21. Et recte in antecedentibus dissolutio corporis tam studiose describitur, ut inter machinæ fatiscentis ruinas, animus integer ad Deum redire doceatur. « In terram suam : spiritus ad Deum : » subtiliter omnino; et ex ipsa rerum origine quæstio deciditur. Ibi enim a Deo quidem, verum e limo terræ corpus fingitur : spiritus vero totus ex Deo, nulla alia causa : Gen. II. 7. unde terra in terram, spiritus ad Deum, ad sua quæque revertuntur. « Ad Deum : » judicandus sane, ut antecedentia et sequentia docent : et vel merito repellendus, vel æterno fœdere conjungendus. Cave autem hic a pessima Grotii nota, ubi refert Euripidis locum tanquam huic geminum, in Supplicibus : reverti res omnes eo unde ortæ : corpus quidem in terram, spiritum vero ad æthera : qui locus parum abest ab illo Virgilii :

———atque in ventos vita recessit.

Atqui Ecclesiastes diserte pronuntiat redire hominis spiritum, non ad æthera, sed ad Deum qui dedit illum. Æther autem profecto non Salomoni Deus, sed Stoicis, apud Ciceronem dicentibus :

Aspice hoc sublime candens quem invocant omnes
Jovem.

et apud Virgilium :

At pater omnipotens fœcundis imbribus æther,

Pari exemplo idem Grotius locum illum Sap. II. 2. « Sermo scintilla est, » Empedoclis loco comparat, quo cogitationem, sive cogitandi vim docet esse sanguinem, cordi circumfusum. En viri theologiam inter oratorum ac poetarum lectionem natam, atque adultam in socinianismi fæce. Hic sane vult videri sua ad Job. XXXIV. 14. et Gen. II. 7. qui loci errorem firmant. Et ad Jobum quidem : ita docet vitam omnium animantium a Deo esse, quam si revocaverit, intereant : ut hominis spiritus haud magis sit a Deo, vel redeat ad Deum, reliquarum animantum spiritu. Ad Genesim autem rotunde docet, neque ibi, neque Eccl. XII. 7. agi de immortalitate animorum, quippe « quæ non primæ, sed novæ creationis sit : » hoc est, non antiqui Testamenti, sed novi : atque ideo in Apocalypsi passim, sanctorum animas Deo viventes introducit : post novi quidem Testamenti gratiam, non antea. Quin etiam ad hæc verba : « omnes » autem « vivunt ei, » Luc. XX. 38. hæc habet : « Atqui mortui tunc erant : sane : sed vivunt quoad Dei potentiam, quæ potest mortuos vitæ meliori reddere : ipse enim est vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt : » quæ quidem nec veretur extendere ad patriarchas ipsos Abrahamum, Isaacum, Jacobum et horum, inquit, similes : ac proinde illi quoque eorum numero qui non sint, reponuntur. Quæ quam a christianæ theologiæ placitis abhorreant, nemo non videt. Alia autem multa, quibus ille et ecclesiastica, et sua quoque meliora convellit, suo loco notari operæ pretium ducimus : ne plus æquo credant scriptori progredienti paulatim ad catholicam veritatem, sed non eam professo, multaque ex inolitis erroribus retinenti; quod, etsi viro favemus, veritatis amore, ac fraterni periculi metu, tacere non possumus.

8 « Vanitas vanitatum. » Confecta probatione quam toto libro susceperat, ad caput redit, meritoque infert « vana esse omnia : » sub sole quidem ut semper : quare animum altius, atque ad Deum ipsum evehi oportere, ut statim concludit, ℣ 13.

inveniret verba voluntatis, et scriberet recte verba veritatis.

Verba sapientum ut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, habentibus cœtus, data sunt a pastore uno.

Et amplius ab ipsis, fili mi, cave, faciendi libros multos, quibus non est finis : et meditatio plurima, labor est carnis.

Finis sermonis verbi universi, auditu perfacilis est. Deum time, et mandata ejus custodi, hoc est enim omnis homo.

Quia omne factum Deus adducet in judicium de omni abscondito, sive bonum, sive malum sit.

scripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11. Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.

12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis : frequensque meditatio, carnis afflictio est.

13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.

14. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

11 « Verba sapientium. » Postquam stultas quæstiones et opiniones hominum dissolvit, ad veram sapientiam, verosque sapientes sectandos adhortatur. « Sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi : » quod debeant hærere, et pungere, non palpare : sed errantibus et tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infigere : Hier. « Quæ per magistrorum consilium : » valent enim verba sapientium, si non auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferantur : Idem. ibid. « Data sunt a pastore uno : » sive Salomone, antiquarum sententiarum diligentissimo collectore, ℣ 10. vel quod unus magister sit Dominus : Hier. omniaque a Deo ejusque spiritu profecta.

12 « Frequensque meditatio : » commentatio, lectio, quæ omnia Heb. congruunt.

13 « Finem loquendi : » dictorum summam, ad quam lectores omnes provocat : ut jam non necesse sit petere libros, qui per hominum manus nullo fine, aut operæ pretio circumferuntur, 9, 10, 11, 12. neque se « meditationibus, » studiis, Heb. assidua lectione conficere, 12 : sed unum id infigere animo, quod omnium caput est : librorumque omnium et cogitationum ipsiusque adeo vitæ summa : « Deum time : hoc est omnis homo : « ut alia, quibus se homo torquet, ne ad hominem quidem spectent. Clara ergo conclusio, quo omnia hujus libri dicta collimant, ut quando omnia vana sunt sub sole, ad id convertamur quod sit æternum.

14 « Et cuncta quæ fiunt : » etiam in vitæ fine : alioquin ea pars vitæ quæ præcipua est, a Deo judice immunis esset. « Pro omni errato : » pro omni occulto, abscondito. Heb. ut non modo aperta, sed etiam occulta peccata Dei judicio subsint, neque evadendi locus. Hunc dictorum finem, hanc summam « pariter omnes audiamus, » in eaque acquiescamus : ita faxit Deus.

PRÆFATIO

IN CANTICUM CANTICORUM.

I. Christi cum Ecclesia sanctisque animabus conjunctio, conjugalis amoris figura ac sacramento, adumbrata. — II Salomonis, ac filiæ Pharaonis casti amores, ad hujus mysterii figuram assumpti, ex Psalmo XLIV, cum utriusque carminis discrimine. — III. Nuptialis festivitas per septem dies : hinc hujus dramatis sive eclogæ pastoralis constitutio ; quæque personæ inducantur. — IV. A quibus et quo spiritu hoc Canticum legendum ; qualesve interpretes habuerit

I. Verbi Dei, seu Sapientiæ divinæ, atque Ecclesiæ, sublimiumque, quibus illa maxime constat, animarum miram conjunctionem, miros amores Scriptura prædicat. Verbum enim illius amoris vi pertractum in terras suscepit hominem, et sublimes animas adjunxit ita sibi, ut, teste Paulo, unus cum eo sint spiritus. (I. Cor. VI. 17.) Ecclesiam quoque, ac sublimiores animas, Verbo ad se accedenti, miram amoris rependere vicem, testantur illa Pauli, « Mihi vivere Christus est : » (Philip. I, 21.) et illud Davidis, « Mihi autem adhærere Deo bonum est : » (Ps. LXXII. 28.) et illud, « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum : » (LXXXIII. 3.) aliaque ejusmodi. Hos ergo amores Salomon ille templi conditor, quo veram Ecclesiam adumbravit : et pacifici nomine Christum repræsentans, de quo item, ut speciali Christi figura, dictum est, « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium ; » (II. Reg. VII. 14.) hos, inquam, amores Salomon in hoc Cantico, miris affectibus, mira varietate et concinnitate cecinit. Hujus autem Christi cum Ecclesia conjunctionis, in conjugali amore sancto illo, castoque, ac divinitus instituto, vivam expressit imaginem. Quo etiam sensu in Proverbiis, « Posside sapientiam..... dilige eam, et conservabit te..... arripe illam, et exaltabit te : glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus : » (Prov. IV. 5, 6, 8.) quod interpretatus ille, qui Salomonis nomine ac spiritu, librum Sapientiæ scripsit : « Hanc amavi, » inquit, « et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius : » (Sap. VIII. 2.) quare per omnia Scripturæ volumina hæc imago diffusa est ; neque quidquam frequentius, quam sponsi et sponsæ nomine, Dei et Ecclesiæ æternam conjunctionem, amorem vehementissimum, firmam et incommutabilem fidem passim denotari. Unde etiam infidelis animæ, ad falsa numina deficientis, opprobrium, adulterii, fœdæque prostitutionis infamiam, prophetæ quidem omnes, Ezechiel vero omnium copiosissime et vehementissime expressit : (Ezech. XVI. XXIII.) Osee etiam, famosa muliere in uxorem ducta. (Os. I. 2, 3.) Manavit ea similitudo ad novum Testamentum : unde illud Joannis Baptistæ, « Qui habet sponsam, sponsus est : » (Joan. III. 29.) et passim in Apocalypsi, Ecclesia procedit ut sponsa, Christo sponso, ornatu, amore,

nde dignissima; nuptiæque Agni celebrantur: « et spiritus et sponsa dicunt, Veni: » (Apoc. XXII. 17.) eo plane more, rituque, quo se in hoc libro sponsus et sponsa mutuo invitant. Quin ipse Paulus apertis verbis docet, virum et mulierem, eorumque conjugium, jam inde ab initio fuisse a Deo institutum, ut esset « sacramentum..... magnum..... in Christo et in Ecclesia: » (Ephes. V. 32.) ipsamque corporum conjunctionem assumit ad exemplum conjunctionis animæ cum Deo, sive, quod idem est, cum Verbo ac Sapientia Dei: « Membra » enim, inquit, « sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus: propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. » (Ibid. 30, 31.) Et iterum, « Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur; erunt enim, inquit, duo in carne una; qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. » (I. Cor. VI. 16, 17.) Hæc si quis diligenter attendat, et ab opere Dei, quod est sanctum et castum, peccato inolitam fœdam concupiscentiæ labem separet, facile intelliget merito Salomonem, conjugalis amoris et consuetudinis specie, sanctam castamque Ecclesiæ, animarumque fidelium conjunctionem expressisse. Ille autem carissimus atque amantissimus Ecclesiæ sponsus, et multis seculis expectatus fuit, nec nisi multis votis expetitus, copiam sui fecit, et postquam ad nos venit, ac Verbum caro factum est, abiit ad Patrem, aliquando rediturus, ut nos ad se raperet, varioque respectu Ecclesia et ejus compos effecta est, et adhuc venturum expectat. Quod autem cum universa Ecclesia gestum est, id quotidie geritur in fidelibus animis, ut ad eos Christus eat, redeatque per admirabiles vices, sintque animæ perfectæ quædam, quæ in altissimam contemplationem evectæ, suo quodam modo Verbo potiri videantur: quæ vota, ac suspiria, et expectantis animæ languorem, potientis fructum atque delicias, per amoris etiam humani artifices incredibilisque motus Salomon explicanda suscipit; nullum ut vitæ christianæ in Christum crescentis gradum prætermisisse videatur. Quo etiam factum est, ut sublimes animæ hoc Canticum semper mirum in modum delectarentur, in eoque voluptatem Domini, ubertatemque degustarent.

II. Et quidem Salomon se, castosque suos erga filiam Pharaonis affectus, in exemplum profert; dumque in vera historia ea fingit, quæ flagrantissimo amori congruant, describit aptissime, sub elegantissimæ fabulæ involucris, cœlestes amores, Christique et Ecclesiæ conjunctionem canit. Unde Bernardus: Serm. I. in Cant. « Rex Salomon sapientia singularis, sublimis » gloria, rebus affluens, pace securus,... divinitus inspiratus, Christi et » Ecclesiæ laudes... et æterni connubii cecinit sacramenta:... et epithalamii carmen, exultans in spiritu, jucundo composuit elogio, figurato tamen: » velans et ipse, instar Moysi, faciem suam,... quod rari erant eo tempore, » qui revelata facie gloriam istam speculari sufficerent. » Quibus verbis ut totam Salomonis Christum figurantis dignitatem, ita totam hujus carminis rationem expressit. Suavissimo Cantico præluserat ipse sanctus David Psalmo XLIV. prophetico spiritu, seu quisquis ille fuit, qui eodem spiritu plenus eructavit sermonem optimum, Salomonique conjugium initurus epithalamium cecinit, eademque figura Christi et Ecclesiæ nuptias celebravit. Idque hoc tamen discrimen est, quod ille victorias, prælia, atque heroica prosecutus est; noster autem Salomon amoris vim, ac suavitatem carmine molliori complexus. Sed ne parum congrue, regio nomine, in amatorios sensus, ac verba deflueret, majestate tantisper seposita, pastorem induit, et in idem vitæ genus Pharaonis traduxit filiam; ac sub ea figura divinissimam fabulam lusit. Porro Judæos delectabat innocentissimæ pariter, atque occupatissimæ pastoralis vitæ commemoratio, quam ab initio generis humani optimus quisque, ipsique

Patriarchæ cæteris prætulisssent; neque illud indecorum, quod rex pastorem egerit, recordatus reges in Scripturis passim pastores appellari, patremque Davidem ab ovibus, ad Dei populum pascendum, vocatum fuisse. (Ps. LXXVII. 70, 71.) Quin etiam instituto operi congruebat, ut velut e solio descendens, amatorem ageret, celebraturus eum, qui victus amore, e paterno sinu ad nostra delapsus est; neque mysterio vacat, quod Ægyptiam a se ductam canit, quæ est imago Christi, Ecclesiam ex alienigenis ac gentibus congregantis: quo etiam pertinebat illud: « Audi, filia, et vide:... et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. » (Ps. XLIV. 11, 12.) Hoc igitur Salomonici carminis institutum est.

III. At postquam antiquos mores imitatus, pastoralem eclogam canere aggressus est, eam in septem dies divisisse videtur. Neque enim diei ac noctis passim in hoc Cantico recurrentis vices temere memoratas arbitrari nos decet. Quid enim illud semel bisque inculcatum: « Adjuro vos, ne evigilare faciatis dilectam: » (Cant. II. 7. III. 5.) et illud: « donec aspiret dies, et inclinentur umbræ: » (ibid. II. 17. IV. 6.) haud minore studio repetitum? nonne perspicue indicant aliquot dierum ac noctium seriem? Quid quod sponsus bis per noctem a sponsa quæritur, sponsa bis in custodum manus diversissimis circumstantiis incidit? (Ibid. III. 1, 2, 3. V. 2, 6, 7.) An hæc temere effutita, sponsaque nullo ordine dormitat aut vigilat? quis hoc de pulcherrimo atque artificiosissimo carmine crediderit? Aperte ergo indicat Salomon, hic distinguendos dies, eorumque initia, ubi obscurius latent, tamen esse inquirenda: neque enim omnia eodem tenore dici, artis ac variandi operis ratio sinebat. Cur autem has somni et vigiliæ, dieique ac noctium vices, ad septenum numerum revocaremus, causa in promptu fuit; quippe quod antiquis Hebræis usitatum, ut nuptias per septem dies celebrarent: unde Laban Jacobo se delusum querenti, propter inductam loco Rachelis Liam: « Imple, inquit, hebdomadam dierum hujus copulæ; et hanc quoque dabo tibi: » (Gen. XXIX. 27.) et ab ipsa origine mundi, propter requiem Domini, septem dierum circulus, multis quidem populis, ac Patriarchis maxime, eorumque posteris commendatus est; manavit enim ad universam gentes mos, omnia fere solemnia per hebdomadam peragendi: hinc et luctus septem dierum, et festi dies fere in hunc morem compositi, maxime vero nuptialis festivitas: sic Samson, ducta uxore Philistæa, (Jud. XIV. 12, 15, 17.) septem dies convivii agitabat, dieque septimo finiebatur celebritas; et Raguel profecturum post nuptias Tobiam juniorem adjuravit, ut duas hebdomadas moraretur apud se: (Tob. VIII. 23.) commorationis scilicet tempus ad hebdomadam revocans, duplicarique tantum postulans a genero, nunquam ad se postea redituro. Hujus rei constans est apud Judæos traditio, expressa imprimis a Rabbi Eliezer in sententiis Patrum: (Pirce Abot. c. 16.) adeoque hujus ritus tenaces esse memorantur, ut qui plures sponsas simul duceret, eum singulis singulas hebdomadas epulares impendere, easque cum æqualibus adolescentulis, choreis et lusibus peragere doceant. Congruum ergo Salomoni visum est, septem dierum spatio carmen nuptiale definire; quos dies, diligentissime, quoad fieri poterit, certis notis distinctos, in iisque vitæ perfectæ incrementa dabimus. Porro Salomon hoc carmen, majoris suavitatis ac varietatis gratia, dramaticum esse voluit. Collocutores, Sponsus, ipse Salomon, et in eo delitescens Christus; Sponsa, quæ et Ecclesia, et sublimiores animæ; Puellæ, sponsæ comites adolescentulæ, animæ infirmiores, quæ tamen nonnullo sponsi, ac sponsæ amore teneantur: et hoc Salomon ex Ps. XLIV. ad suum carmen transtulit; sic enim Psalmi auctor ad Salomonem: « Astitit regina a dextris tuis: » et, « Adducentur regi virgines post eam: adducentur in templum regis: »

(Ps. XLIV. 10, 15, 16.) id etiam ex Hebræorum moribus, apud quos et juvenes et puellæ sponsis comites addebantur; quod etiam in Samsonis ac Philistææ nuptiis factitatum, (Jud. XIV. 11.) delectique juvenes triginta numero, qui cum Samsone essent. Neque puellis deerant æquævæ virgines; unde etiam in Evangelio decem illæ memorantur: (Matt. XXV. 1.) memorantur et amicus sponsi, et filii sponsi, sive nuptialis festivitatis comites, (Joan. III. 29. Matt. IX. 15.) prorsus ex antiquis ritibus. Legimus etiam apud Theocritum elegantissimum idyllium de Menelai et Helenæ nuptiis, (Epith. Hel. fol. 18.) quo multa ex priscis illis moribus etiam ad Græcos traducta reperias. Certe coævæ virgines præsto sunt; quarum e numero selectæ duodecim, nobilissimo genere, ac Lacedæmonis decus, quæ ipso in vespere, ipso nuptiali thalamo, epithalamium canerent, festasque choreas ducerent. Has igitur hanc immerito sponsæ comites dixeris, a Salomone toties memoratas. Sic interveniunt sacro dramati Sponsus, Sponsa, Chorus comitum, sive aliarum quarumcumque puellarum; sive Hierosolymitanarum, sive etiam agrestium: chori enim variant interdum, nec unius sunt generis, neque desunt mutæ personæ, nempe amici sponsi.

IV. Hos igitur sponsi et sponsæ castos amores, qui ad amorem divinum, propter quem hæc scripta sunt, referre velit, is necesse est, ut humanum amorem divinumque complexus, hanc allegoriam exequatur; neque enim aliter, quam ex eorum nexu interpretatio apta consurgat. Qua in re haud leve periculum est, ne amoris humani fluxa licet gratia deliniti sensus, animum ab excelsa sede dejiciant: neque immerito ab hoc Cantico arcebantur adolescentuli, proni ad voluptates; teste Origine, in Proleg. utriusque operis in Cant. et Hieronymo passim, Præfatione in librum I. Comment. in Ezech. etc. Procul ergo hinc illi, qui terrena sapiunt, animales, spiritum non habentes: adsint casti castæque, qui sanctum amorem spirent, Deoque, qui est caritas, adhærescant; accedant boni sanctique interpretes, qui non se immergant carnalibus, sed qui amorum humanorum sensus, et voluptates, ut periti musici chordas, levi digito pulsent, tantum ut amoris divini suavissimum sonum eliciant; qui, ut hoc quoque ex Canticis sumamus, caprearum cervorumque more, vix pede terram attingant, mox transiliant sensus humanos, atque ad excelsa se efferant. Tales dedit Christus Ecclesiæ suæ Canticorum interpretes: principem omnium Origenem, de quo hæc merito Hieronymus, ejus Commentariorum fidus interpres: « Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. » (Præfat. in Orig. Cant.) Hunc sequitur Philo Carpathius, quarti seculi Episcopus, quos nuptiis complexus est sanctus Bernardus, quanquam ipse habuit docentem se de omnibus cœlestem unctionem. Hos maxime auctores secuti sumus; nec prætermisimus Theodoretum, Gregorium Magnum, Aponium, Bedam, hisque accinentem sanctum Thomam Aquinatem; neque e recentioribus Gasparem Sanctium, Societatis Jesu Theologum, aut Libertum Fromundum Lovaniensem; quique nostro ævo ex Augustiniana familia Aloysius Legionensis, divinorum librorum apud Salmanticenses interpres, Cantica Canticorum explanavit, pari pietatis, doctrinæ et elegantiæ laude: nec defuit sanctus Ambrosius, apis instar, mellitissima oratione passim hunc librum depascens. Hos semel honoris causa appellatos, nihil necesse erit ubique nominatim adducere; sed addere licebit, quæ sacri textus sensibus eruendis congrua videbuntur. Cæterum ex Salomonis cantio tota scatet deliciis; ubique flores, fructus, pulcherrimarumque plantarum copia, veris amænitas, agrorum ubertas, horti vernantes, irrigui, aquæ, putei, fontes; odoramenta, sive arte confecta, sive quæ sponte sua humus parturit; ad hæc columbæ, turturum voces, mella lac, vina liquen-

tia; postremo in utroque sexu formæ honestas ac venustas, casta oscula, amplexus, amores tam pudici quam blandi; si quid horrescit, ut rupes, ferique montes, ac leonum cubilia, totum ad voluptatem, ac velut pulcherrimæ tabulæ ornatum varietatemque compositum. Quorsum ista? nisi ut eorum specie delectati, sciamus quanto horum Dominator speciosior sit, (Sap. XIII. 3.) divinique amoris Canticum ordiamur: cujus quidem Cantici, teste Gregorio, hæc ratio est, hæc vis, ut loquentes de corpore, extra corpus fiant, humanique amoris discant sermonibus, qua virtute in divinitatis amore ferveant. (Proœm. in Cant.) Non ergo prætermittendus amor humanus, sed danda opera, ut ad divinum velox sit transitus; ne machina, quæ ponitur ut levet, ipsa magis opprimat et aggravet. (Ibid.) Hæc igitur præfati, jam aggrediamur divinissimum librum, quem qui legerent, eos legendi fructum hunc ferre volumus, ut quoties amoris vim incredibilem irrequietamque viderint, aut nulla ex parte senserint, tantos animorum motus, indignos quocumque creato ac fluxo bono, ad verum pulchrum bonumque transferri oportere cogitent. Det autem ipse Christus, ut amatorium ac nuptiale carmen amore inflammati tractemus, accensisque lampadibus Sponsum ac Sponsam faustis vocibus prosecuti, intremus cum eis ad nuptias. Amen, amen.

CANTICUM CANTICORUM

SALOMONIS.

CAPUT PRIMUM. Osculum oris : ubera : odores : tractio : cellarium : nigra, sed formosa : ornatus : pulchritudo : lectulus : tigna : laquearia.

1. Osculetur me osculo oris vino,
sui : quia meliora sunt ubera tua

« Canticum canticorum. » Non tam quod sit omnium longissimum, quam quod sit omnium longe præstantissimum ; neque tantum inter ea cantica, quæ Salomon bene multa composuerat, (« fuerunt » enim « carmina ejus quinque et mille : » III. Reg. IV. 32.) sed etiam inter omnia quotquot sunt cantica, cum in eo canatur præcellentissimum incarnati Dei et Ecclesiæ sacramentum, eaque quæ nunquam excidit, et virtutum omnium major est, caritas. Unde Bernardus ait, Serm. 1. in Cant. n. 8. « Pro sui excellentia, nuptiale hoc carmen hujusmodi titulo præsignatur, ut merito Cantica Canticorum singulariter appelletur; sicut is quoque cui canitur, singulariter est dictus, rex regum, dominus dominantium. » « Salomonis : « pacifici, quod nomen convenit principio libri, qui incipit a signo pacis ; quod est osculum. Bern. ibid.

PRIMA DIES

1 « Osculetur me osculo. » Peracto ex more nuptiali convivio, solemnique precatione facta, cujus exempla et in Genesi et in Tobiæ libro habentur ; Gen. XXIX. 22. 23. Tob. VII. 15, 17, 19. sponsa castissima vesperi ad virum introducta est : ibique sumendum nuptialis hebdomadis initium, Hebræorum more, qui dies a vespera numerabant. Sponsus autem summo mane, quod passim in hoc libro videre est, amore quidem incensus, nihil tamen infractus ad mollitiem, consueta rusticanæ pastoralisque vitæ officia repetiit. Interim sponsa evigilans amore tabescebat ; eumque puellæ comites frustra solatia, frustra fomenta adhiberent, desideriis votisque confecta, prorumpit in has voces : Ipse, ipse unicum solatium, atque unicus amor, ipse « osculetur me osculo oris sui : osculo : » ex osculis. Hebr. id est, uno ex osculis; quasi diceret volo quidem, congeminet et conturbet oscula ; sed interim reficiet vel unum. « Oris « illius pulcherrimi, suavissimi, facundissimi : quo, more amantium, totam infundat animam, et eliciat meam : Amb. de Isaac, cap. 3. « Mihi enim vivere Christus est : » Phil. I. 21. et, « Vivo autem, jam non ego : » Gal. II. 20. Ecclesia igitur qua parte perfecta est, hoc est, sublimes animæ divino amore percitæ, unoque spiritu afflatæ, conjunctim et singulatim hæc dicunt, et synagoga quidem : Qui tamdiu locutus est per prophetas, ipse nunc adsit. Ecclesia vero novi Testamenti, quam hic magis spectamus, jam nupta, jam potita, postulat, ut non per speculum et in ænigmate ac per fidem, sed ipso manifesta in luce refulgeat. Ac sublimes animæ, alii alia ; ego sacrosanctum osculum flagito, non pedum, quod pœnitentis est, sed oris, quod est sponsæ, Sponsa porro sponsi osculo perfruitur, dum verba vitæ percipit, et velut in ipso dicentis ore legit, diffusamque in labiis haurit gratiam ; Ps. XLIV. 3. exclamans cum Petro « Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes. » Joan. VI. 69. Verba autem audit, non sonantia foris, sed intus immissa, ipso Spiritu sancto infuso, quod Patris et Filii osculum est. Hic ergo exhibetur anima justificata a peccatis, et conjugata Verbo : quæ jam conversa sit ad perfectiorem vitam et Christum experta, amplexus repetat. Ad amoris impetum pertinet statim

2. Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te.

3. Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum, recti diligunt te.

4. Nigra sum, sed formosa, filiæ

ab osculi desiderio inchoare, nulla circuitione, ac sponso nequidem appellato. Sic Mariæ Magdalene ad Christum, quem hortulanum putabat; « si tu sustulisti eum. » Joan. xx. 15. Ad eumdem impetum pertinet, quod ab una persona statim ad aliam transfertur oratio; a comitibus ad sponsum, quem, amore capta, ut præsentem alloquitur, cum ait : « Meliora sunt ubera tua vino : ubera tua : » amores tui : Hebr. nunc et ita passim in hoc Cantico. Antiqui autem interpretes habent « ubera, » haud magno discrimine utriusque vocis apud Hebræos : neque abludit sensus; « ubera » enim deliciæ meræ, amores meri; quæ sponsi « ubera » Patres intelligunt duo testamenta amorem spirantia, promisso primum, deinde exhibito Christo. « Ubera » autem matrem et nutricem sonant. Quisquis ergo vult Christi hærere uberibus, atque inde lac sugere, simplice animo ad christianæ vitæ redeat infantiam. « Meliora : vino : » sic illa apud Salomonem : « veni : inebriemur uberibus : » sive amoribus. Prov. VII. 18. Inebriat Christi amor, ac mentem extra se rapit. Unde Paulus : « Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis. » II. Cor. v. 13. « Et nolite inebriari vino.... sed implemini Spiritu sancto. » Ephes. v. 18. quam ebrietatem, in discipulis Spiritu pleni, Petrus agnoscit. Act. II. 15, 16, 17.

2 « Fragrantia unguentis optimis : » ad odorem unguenta tua optima : Hebr. Idem iisdem verbis sponsus sponsæ dicit, infra, IV. 10. Habet Christi amor omnia quibus animæ capiantur : inest gustus velut sapor vini; inest vis delectans et inebrians animas; inest fragrantia a longinquo etiam alliciens, qui verus est christianæ gratiæ fructus, ut longe licet positi, et extra nos rapti, ad Dominum trahamur, ut habet sequens versus. Christi ergo bonus odor est prædicatio Evangelii, et suavitas gratiæ. « Oleum : » eadem vox Hebr. quæ supra, unguentum. « Nomen tuum : » nam ab unctione, Messiæ seu Christi nomen : quod Evangelii prædicatione toto terrarum orbe diffusum est : et consonat illud Psalmi XLIV. 8. « Propterea unxit te, Deus, Deus tuus. Adolescentulæ : » fideles animæ in novitate vitæ ambulantes, ac spiritu, velut musto recente, plenæ.

3 « Trahe me : post te curremus. » Cupit sponsa tam arcte alligari sponso, ut quocumque ierit pertrahatur : neque, inquit, invitam rapies, ego enim et comites ultro sequemur, et quidem cursu, unguentorum tuorum suavitate perductæ. « Trahe me, » qui dixisti : « omnia traham ad me ipsum : » Joan. XII. 32. et, « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum : » ibid. VI. 44. « In odorem unguentorum tuorum : » deest Hebr. Recte tamen explicationis causa ex ante dictis repetitum. « Post te curremus; » si traxeris. Omnis enim qui audivit et didicit, venit ad te, ibid. 45. Neque quisquam sapientiæ se conjungit, nisi quem ipsa prior invitaverit, infunderitque aliquid sui. Sponsa ergo, quantumvis vehementissimo amore incitata, agnoscit se, nisi tractam, blandaque vi ductam, accedere non posse. Præclare Ambrosius; lib. III. Ep. II. Anima « osculata Verbum Dei, modum non capit.... Cupit attrahi ut sequi possit. Propterea adolescentulæ dilexerunt te : propterea certamus, sed comprehendere te non possumus : attrahe nos ut possimus currere, ut odore unguentorum tuorum, accipiamus virtutem sequendi. » Idem. n. 10. de Isaac 3. « Attrahe nos; » curremus : » habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum infundit gratia. Sed quia cursus tuos æquare non possimus, attrahe nos, ut auxilio tuo fultæ, vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus et nos. » En suavis prædicatio gratiæ. « Trahe me : curremus : » quod Ecclesia et una sit et plures omnesque animæ in eam unitatem concurrant; tum quod sublimes animæ ut Petri, ut Pauli, valide tractæ, aliis verbo et exemplo pertrahendis inserviant. « Introduxit me rex, in cellaria, » in cubicula sua : Hebr. in secretaria, in thalamum, sive conclave intimum; in arcanos Scripturarum sensus. Et quidem non mirum est quod amantissimus novæ sponsæ ostendat omnia : illud suavissimum, quod ad intima deduxerit beatis amplexibus fruituram; atque id ipsa sponsa jactat ad comites, quod sublimiores animæ interdum faciunt, ut et inferiores trahi se sinant, tum etiam ex gaudii redundantia. « Rex : » tametsi rex Salomon hic ludit cum Sulamite regis filia sub pastoralis vitæ formâ, tamen interdum majestatis signa præsertim ex persona sponsæ resumit, gratioremque familiaritatem facit ipsa majestatis recordatio. Quoties autem sponsa vocabulo regis utitur, significare videtur, animam ad divinam Christi naturam carne transgressa penetrasse; unde hic in cubiculum, in ipsum penetrale admittitur. « Exultabimus in te : » statim enim ad sponsum redit. « Recti diligunt te : » eo sponsæ carior, quo bonis omnibus amabilior; et merito ad Christum; « recti diligunt te : » tu es enim ipsa veritas, tu rerum omnium regula et modus.

4 « Nigra sum, sed formosa : » aliud enim est color, aliud venustas oris ac lineamentorum membrorumque, et totius corporis apta connexio; nigra autem sive fusca, quia perusta sole; colore adventitio, qui facile detergatur, unde infra, VII. 2, 4. candor ejus prædicatur. Sponsa

Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol, filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.

6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.

autem, sponsi pulchritudine intellecta, veretur ne parum illi placeat, fateturque se decoloratam anteactæ vitæ peccatis. Excusat tamen eum colorem, quod non tam nativus sit, quam aliunde advenerit, formosæ ex opere Dei, deletisque peccatis ad primævi coloris splendorem et gratiam rediturræ. « Sicut tabernacula Cedar : » Adducit quæ et nigra placeant, ut tentoria Arabum ac præsertim Salomonis ipsius, quæ caprinis pellibus per se nigris exterius tecta, intus tamen aulæis ac tapetibus pretiosis niteant; qua prope figura dixit Virgilius, Ecl. 10.

Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra :

nisi quod hic exempla magnificentiora protulit Salomon. Ecclesia igitur in terris peregrinata vere simillima est regiis tentoriis soli, pulveri, pluviæ expositis, adeoque extra deformibus ac nigris, intus ornatis. Sic se habet Ecclesia, verbum crucis ac stulta Dei prædicans : I. Cor. 1. 18, 25. quæque in mysterio abscondita est « sapientiam, » ibid. 11, 7. apparentque extra « ignobilia mundi, » ibid. 1, 28. et Paulus cujus sermo contemptibilis, ac « præsentia corporis infirma ; » II. Cor. x. 10. intus, arcana sapientiæ Dei, meritoque Salomon Psalmistæ accinit dicenti : « Omnis gloria filiæ regis ab intus. » Ps. XLIV. 14.

5 « Nolite me considerare, quod fusca sim. » Solent mulieres excusare decoloratum vultum, ejusque causam in alios refundere. Sic ista, cujus specie fideles animæ adumbrantur, coactam se dicit a fratribus alienam custodire vineam, cum delicata nec custodiret suam. Hoc autem competere videtur Ecclesiæ in pastoribus, quos ad custodiendam vineam, ipsam scilicet Ecclesiam, fraterna cogit caritas, cum se ad se ipsos custodiendos minime sufficere posse putent; atque hinc maculæ ex necessitate conversationis humanæ; quod sæpe Augustinus, Gregorius, Ivo Carnotensis vir sanctissimus, et alii deplorant, ac solitudinis desiderio suspirant. « Decoloravit me sol : » vehemens tentatio, meridiano ardori comparata : unde dæmonium meridianum. Ps. xc. 6.

6 « Indica mihi. » Hic incipit intervenire sponsus, velut dilectæ sponsæ citatus suspiriis et clamoribus ; exoriturque blandum utrinque colloquium ; et illa confestim : « Indica mihi : » quasi diceret : tardus advenis ; at si venire te pigebat : « Indica mihi..... ubi pascas, ubi cubes : » ipsa enim ultro accurram. « In meridie : » non me ardor meridianus a te insequendo prohibebit. Indica ergo mihi quam umbram refrigerando pecori seligere soleas, ad quas aquas pascas gregem. Sic anima fidelis Deum pastorem quærens ait : « Dominus regit me.... super aquam refectionis educavit me. .. virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt : » Ps. XXII. 1, 2, 4. Et boni pastoris vocem oves audiunt, eumque sequuntur, et ingrediuntur, et egrediuntur, et pascua inveniunt. Joan. x. 3, 4, 9. Anima ergo Christum quærens, ab ipso petit, ut indicet ubi requiescat, ne post philosophos, aut sapientes hujus seculi, aut post pseudoprophetas et hæreticos, similitudine quadam delusa aberret ; neque enim sponsum, nisi ipso indicante, invenerit. « Ne vagari incipiam : » quid enim ero, quasi declinans ad greges sodalium tuorum? Hebr. quod concitatius est : vult enim sponsa statim ac facile invenire sponsum non ab aliis, etiam sodalibus, aut qui sodalitii titulo glorientur, ubi soleat esse, percontari.

« 7 « Si ignoras te : » si ignoras tu, Hebr. « abi post vestigia gregum : » atqui hoc erat ipsum quod sponsa verebatur, ne de grege in gregem vagari oporteret. Hic ergo videtur subirasci sponsus, quod ignoret sponsa ubi ipse versari soleat : quid enim ? an amantem nescire oportet, ubi dilectus consuescat ? sane amans et scire et sciri vult. Itaque ignoranti, ambigua, nec satis ad se inveniendum profutura respondet. « Egredere » ipsa quo vis ; neque enim te docebo : « et abi post vestigia gregum : » quære ipsa locum, et vagis gregum insiste vestigiis : quin etiam ipsa « pasce hœdos tuos : » gregem tuum tibi habe si velis : « juxta tabernacula pastorum : » cum aliis versare pastoribus : non enim me invenies. Sic ergo sponsæ irascitur ; qua reprehensione docta ac facta diligentior, rogantibus puellis quo ille declinarit, locum ipsa indicat. v. 17. VI. 1. « Pulcherrima : » pulchra quidem, sed parum sponsi studiosa. Itaque Patres uno ore hic volunt increpatam sponsam ; sponsumque indignatum respondisse, ut siquidem ipsum ignoraret, egrederetur quo vellet, nec jam ut antea manifestam viam, sed cæca et erraburda gregum vestigia sectaretur et pasceret, non agnos sed hœdos, carnales sensus scilicet, eosque qui a sinistris sunt greges, sequereturque non gregem unum, ac pastorem unum, sed greges multos et pastores ; quod evenire solet iis, qui sua negligentia nesciant, aut etiam obliti sint, ubi sponsus pascat. « Si ignoras te : » sic legunt et LXX. quo loco monent Patres mala multa eventura sponsæ, si seipsam ignoraverit, et ad cujus similitudinem facta esset, et a quibus peccatis liberata, et ad quam destinata felicitatem.

8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.
9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.
10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.
11. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.
12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

8 « Equitatui meo : » equæ meæ : Heb. pulcherrimæ equæ, et quidem suæ, quam præ cæteris diligat : qua comparatione illustrat formæ dignitatem; equæ ejus scilicet, quæ non indomita indocilisque lasciviat, sed quæ jam jugi patiens, aptetur curruï; atque ut ille dicit, munia comparis æquare possit. Unde et ipsum conjugii et *suzugias* nomen. Sane apud Theocritum elegantissimo idyllio, quod jam in præfatione memoravimus, Thessalico equo formosissimo, et jam currui apto Helena Menelao conjuncta comparatur. Idyl. 18. Atque ut ad sacros libros revertamur, Apoc. XIX. 11. equus albus super quem in Apocalypsi sedet Verbum Dei, significat beatas animas, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant talem sessorem super se : ut : quocumque ipse voluerit, flectat eas, et ad omnia ducantur et reducantur voluntate sessoris. Origenes hic. Hom. 2. « Pharaonis : » Ægypti meminit, unde optimi equi adducerentur; alludit et ad sponsam ex beatissima et opulentissima regione deductam. Ex hoc versu incipiunt *amoibaia*, alterni seu reciproci sermones, fere ex comparationibus : quæ nota in eclogis, semperque alia ex aliis clariora.

9 « Pulchræ sunt genæ tuæ-sicut turturis : » ita LXX. læves, decoræ, atque ex ipso candore subruhræ visæ : faciem ejus laudat, et genarum rubore succenditur. « Pulchritudo quippe mulierum in genis dicitur esse quam maxima. » Origenes. Hom. 1. « Collum tuum ut monilia : » ex LXX. collum tuum etiam nudum, ac sine ullo decore per se pulchrum, sibique est ornamentum : ibid. elegantissimum : tamen Heb. aliter. Pulchræ sunt genæ tuæ in gemmis : (pendentibus circum et e capillatura defluentibus) collum tuum in monilibus. Sponsam laudat, quod nativæ speciei congrua ornamenta aptare noverit. Spirituali ac vero sensu : « Liga (legem Dei) in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo : » Prov. VI. 21. ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Ibid. 1. 9.

10 « Murenulas aureas : » ornamenti genus : eadem vox quæ supra per turturem vertitur. « Murenulas aureas : vermiculatas argento : » quas antiqui interpretes aurum tortile, argenteis clavis seu virgulis interstinctum vertunt. Gregorio, inauris : ad similitudinem pisciculi qui captus se in circulum vertat. Hieronymo autem hujus interpretationis auctori, « murenula » quid esset, ipse melius exponet; aurum scilicet colli, quod quidem murenulam vulgus vocat, quo scilicet metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur. Ep. XV. ad Marc. Recentiores addunt, collucentes gemmas. Utcumque est, sponsus significat, quandoquidem dilectæ hujusmodi ornamenta cordi sint, sibi quoque ac sodalibus voluptati futurum, ut ei compingant talia : « faciemus, » inquit, « tibi. » Spirituali sensu : ego et qui verbum meum ministrant, variis te dotibus ornabimus, mixto caritatis auro cum argenti, sacrique eloquii, virtutumque omnium gemmis. Quale ornamentum sanctis animabus apparabat Paulus colligens « fructus spiritus, » quales sunt : « caritas, gaudium, pax, » etc. Gal. V. 22, 23. Quanto autem studio animas, sponsas sibi destinatas Deus exornet, his verbis docet apud Ezechielem : XVI. 11 et seq. « Ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum; et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. » Sponsus amantissimus in sponsa nihil inornatum relinquit : et dona donis cumulat : « habenti enim dabitur et abundabit. » Luc. XIX. 26.

11 « Dum esset rex... nardus mea : » tam exquisita, tam odorata erat. Sponsa enim jactat suam in conquirendis odoramentis quibus rex delectetur industriam, et illa quidem sponsi laudaverat fragrantiam, qua pertracta ad ipsum curreret : ỹ 2, 3. nunc autem sponsum eadem arte conciliat. Christus quoque et nos trahit nominis sui fama, ac dulcedine, et a nobis trahitur odore virtutum. Neque enim tantum Christo, sed etiam piis animabus sua odoramenta sunt, « quæ sunt orationes sanctorum, Apoc. V. 8. VIII. 4. castusque verbi amor sponsum ad animam invitans, ut in eam cum Patre veniat et maneat. Joan. XIV. 23. Antiqui etiam sancti suavissimis votis Christum venturum advocantes, assidueque clamantes : « Rorate, cœli, desuper; » eum in Patris sinu recubantem, ideoque hic regem appellatum, ad se exciverunt, Isa. XLV. 8. quo impletum est illud : « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Prov. VIII. 31.

12 « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. » Per myrrham mortuis corporibus impendi solitam Patres intelligunt Christi mortem ac sepulturam, iisque inhærentem pœnitentiam christianam; quam myrrham offeramus cum Magis illis, primis e gentili populo Christi cultoribus. « Inter ubera mea. » Puellæ delicatæ odoratos fasciculos apponunt pectori : mihi unus ille fasciculus sponsus est; semper ante oculos, ipsique pectori infixus, hoc est, principali cordis, in quo Ecclesia Christum, vel anima verbum Dei desiderii sui vinculis alligatum tenet et adstrictum. Orig. hom. 2. « Ubera. Decebat in carmine nuptiali mammas potius appellari quam pectus. » Idem. ibid. n. 5. p. 18.

13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.
14. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.
15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.
16. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

CAP. II. Flos campi : lilium inter spinas : sub umbra : cella vinaria : languor : amplexus : somnus : vox dilecti : capreæ hinnulique pernicitas : cancelli : fenestræ : paries. Grata post hiemen veris amænitas : flores : tempus putationis : vox turturis : vulpeculæ : dilecti ac dilectæ consensio.

1. Ego flos campi, et lilium convallium.
2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.
3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

13 « Botrus cypri. Copher : » Heb. Non e Cypro insula, sed arboris cujusdam odoriferæ fructus. Cyprus odoramenti genus Plinio memoratum, lib. XII. cap, 24. Theodoreto notum, infra IV. 13. ubi iterum hujus mentio. « In vineis Engaddi. » Hieron. de loc. Heb. Engaddi in campis Jerichuntinis, usque hodie vicus prægrandis Judæorum juxta mare Mortuum, unde et opobalsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat. Balsamum autem et gustu et adoratu suavissimum, ut sponsa in dilecto delicias omnes reposuisse videatur. Botrus autem cypri, non idem est fructus cum illo qui nascitur in Engaddi vineis : sic ergo supplendum ex hebraicæ phraseos ingenio : Botrus cyprii; Botrus in Engaddi vineis, etc.

14 « Oculi tui columbarum : » columbæ oculi, amoris, suavitatis ac modestiæ pleni. Laudata Christo columbæ simplicitas procul omni fictione et simulatione, laudatus oculus simplex qui recta videat; non ille eruendus, qui videat ad concupiscendum, et nos scandalizet. Matt. V. 16. VI. 22. V. 29.

15 « Ecce tu pulcher es..... et decorus. » Aliud enim est pulchrum, aliud ipsum decens, cujus maxima vis est. Amor est pulchri desiderium, et in ipso quies. Unde sponsa tota est in sponsi pulchritudine commendanda. Hanc pulchritudinem Augustinus paucis comprehendit, in Ps. XLIV. n. 3 : « Nobis credentibus ubique sponsus pulcher occurrat..... pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro.

16 « Lectulus noster floridus : » en deliciæ; jam magnificentia : « tigna cedrina : laquearia cypressina : » abiegna : Heb. queis magnifica domus et ampla describitur, qualem decebat esse Salomonis. Neque hæc decebant pastorem eum, qui Abrahæ patriarcharumque more, dives pecorum et auri, nihilo tamen secius eorum exemplo; rusticana opera exerceret. Laboremus et nos contignare domum, Orig. firmisque fulcire nos verbi divini præsidiis. Tigna robori, laquearia ornamento. S. Thom. Eidem, « lectulus, » pax Ecclesiæ post persecutiones.

1 « Ego flos. » Eo quod statim dixerit : « lectulus noster floridus » I. 15. imo, inquit, nos ipsi sumus recentes odorantesque flosculi. « Ego flos campi : » se floribus sponsa comparat, qui in campis atque convallibus, non in cultioribus hortis nascantur; et castarum animarum modestiam ac simplicitatem exprimit.

2 « Sicut lilium. » Cum se lilium appellet sponsa, resumit sponsus; lilium quidem eam esse, sed inter spinas, mediisque in sentibus crescentem, comitesque utcumque formosas, spinarum instar esse, si cum ipsa conferantur : demonstraturque simul fidelis animæ pura caritas inter mundi aspera, sollicitudines, illecebras item ac fallaces divitias, quas etiam spinas Christus appelat. Matt. XIII. 22.

3 « Sicut malus : » sicut arbores fructiferæ et cultæ inter silvestres et steriles. « Sub umbra illius,... et fructus ejus : » tanquam arboris scilicet quæ et umbra delectet et fructu. Sub umbra autem, siquidem in principio non possumus cum Verbo proprium conferre sermonem; verum, ut ita dicam, quadam majestatis illius umbra perfruimur. Orig. Umbra etiam tutela; protectio « Sub umbra alarum tuarum : » Ps. XVI. 8. Indicat sane optatis se potitam amoribus et amplexibus; ea ratione qua supervenit Spiritus sanctus in Mariam, et obumbrante Altissimi virtute Verbum illa concepit : quo etiam spiritu influente fideles animæ fœcundantur. Allusum etiam ad uxoris copulandæ ritum, de quo Ruth. III. 9. « Expande, » inquit ad Booz, « pallium tuum super famulam tuam. Sub umbra illius..... sedi : » acquievi, cum audivi dicentem : « Venite ad me, qui laboratis. » Matt. XI. 28.

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.
5. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo.
6. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.
7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.
8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

4 « In cellam vinariam : » ad verbum, in domum vini : in deliciarum sedem : quo introducti sunt illi quibus Christus enarrabat Scripturas, seque ipsum in illis; cum dicerent : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? » Luc. XXIV. 27, 32. Vinum in locis mundis et ornatis, cum oleo aliisque liquoribus veteres recondebant. Qualis erat Ulyssis apotheca in edito cœnaculo, ubi testas vino et oleo plenas cum auro, argento et veste asservabat : Odyss. B. 237. ubi etiam thalamus erat nuptialis. « Ordinavit in me caritatem : » vexillum ejus super me caritas : Heb. amorem suum super me professus est, quasi vexillis expansis: LXX. et post eos Vulgata, « ordinavit : » unde Origines, Augustinus et alii Patres passim intelligunt de caritate, quæ a Deo ad proximum suo ordine graduque descendit : quæ Justus Orgelit. paucis complexus : hæc est ordinata caritas, ut diligat proximum propter Deum, sic vero diligat Deum, ut semetipsum abneget propter illum. Bernardus ad discretionem refert, qua in cella vinaria haustum ferventioris amoris poculum temperetur. serm. 49. in Cant. n. 4, 5 et seq.

5 « Fulcite me. » In hanc igitur cellam introducta, tantique amoris recordatione perniota, amore ipso deficit, fulcirique petit « floribus : » lagenis : Heb. vini scilicet potione. « Stipate me malis : » iis scilicet quorum odore et succo languida recreetur, ut citreis, granatis, etc. Quibus designantur amori deficienti adhibita a Christo solatia, quæ nos sensibilis devotionis vocamus. His abundat anima in ipsis vitæ perfectioris initiis, eaque undecumque conquirit.

6 « Læva ejus sub capite meo : » sic per dulcia colloquia, aliasque blanditias tandem labente die ad castos amplexus sponsa perducitur : lævamque sustentantis, dexteram amplexantis et protegentis agnoscit; quo divinæ gratiæ adumbratur virtus sustentans, ac fovens et delectans. Verbum autem, velut in animæ sinu, requiescit, cum eam requiescere facit a perturbationibus, ut cum Davide canat : « In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me : Ps. IV. 9, 10. Qui animæ in Christum defluentis, in eoque acquiescentis beatissimus somnus est; de quo iterum infra, v. 2. atque is primæ diei finis.

SECUNDA DIES.

7 « Adjuro vos. » Manifestum alterius diei initium : jam jam evigilatura sponsa. Suavissimo somno captam relinquit sponsus : quem interrumpi vetat, quiescentique prospicit, ipse ad consueta opera profecturus. « Filiæ Jerusalem, ne evigilare faciatis dilectam. » Solebant canere duplex epithalamium; alterum ad vesperam sponsis quieturis, alterum matutinum sponsa e cubili processura, ut ad faustos cantus et obdormiscere et expergisci videretur. Hujus rei testes adducimus toties ex Theocrito, Idyl. 18. citatas virgines Menelao et Helenæ gratulantes : quæ quidem ad crepusculum decantato epithalamio spondent se redituras ad auroram, ubi primus cantor gallus), versicolorem cervicem erigens, velut canendi signum dederit. Ergo virgines jam adstantes et brevi canituras monet sponsus, ne « dilectam » excitent « quoadusque ipsa velit. Per capreas, » per oblectamenta vestra, per capreas et feras quas assidue insectamini : quibus significat eas esse venatrices. Palæstinis enim virginibus idem videtur, qui vicinis Tyriis, mos fuisse, gestare pharetram, etc. Æneid. I. Libet hic observare priscos mores, si quis eorum commemoratione delectatur; ut puellæ quoque ac virgines operibus, vigiliis, venatu assiduo exercitæ, procul a nostrorum temporum mollitie ac desidia viverent. Spirituali sensu : habet Christus ut piscatores, ita et venatores suos, de quibus propheta : « Mittam eis multos venatores. » Jerem. XVI. 16. Sic prohibet ne fideles animæ, quæ alios Christo venantur et capiunt, ipsam sublimem animam divino amore et alta contemplatione defixam, in eaque suavissime quiescentem, ad actuosam vitam revocent, quoad ipsa divino spiritu acta, eo se sponte conferat. Quo loco Bernardus, serm. 52. n. 6. « Novit sponsus..... satis propria caritate matrem sollicitari de profectibus filiarum,.... propterea que secure discretioni ejus credendam censuit hanc dispensationem. » Gregor. Quiescentem « sponsam carnales qui sunt in Ecclesia importune excitant, « quia ejus vitam a vulgatis laboribus abstinentem, inutilem existimant. Capreæ et hinnuli, quorum hic passim mentio, fidelium animarum sunt imagines; quod statim tacta terra resultent, saltibusque potius quam gressibus ferantur : capreæ acutissimo visu feruntur : quippe *dorkades* dictæ, *apo tou dorkein :* videre. Phil. Carp. « Dilectam : » amorem, caritatem, Heb. LXX. sponsam ipsam, amores meos, delicias meas; imo amorem ipsum.

8 « Vox dilecti mei. » Hæc et similia videtur primum sponsa secum ipsa loqui, ut fit in magnis affectibus; postea autem, tanquam votis vocatus et suspiriis, ipse intervenire sponsus Illa ergo, ut sponsum semper somniabat, eum audire se putat evigilans; quin etiam videre ci-

9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi :

10. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

11. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit.

12. Flores apparuerunt in terra nostra : tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra :

13. Ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni :

14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ : ostende mihi faciem tuam ; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.

tatis ad se passibus properantem, jam montes, jam colles transilientem more caprearum atque hinnulorum, jam proximum : et revera sponsus ad auroram egressus, ut vidimus, sed brevi reversus aderat amoris impatientia.

9 « Capreæ, hinnuloque : » blanda vocabula, quibus sponsus et sponsa vicissim se compellant. Unde illud in Proverbiis, v. 19. « Cerva carissima, et gratissimus hinnulus : ubera ejus inebrient te in omni tempore : in amore ejus » (casto illo et conjugali) « delectare jugiter : » quæ blanditiæ, ex venandi studio juvenibus puellisque communi, profectæ esse videntur : hic autem velocitatem sponsi occurrentis exprimunt. « En ipse stat post parietem : » paries inter nos et Christum, mortalitatis conditio. Paries, lex vetus Christi morte vacuata, ut solutis inimicitiis, gentes cum populo Dei in unam Ecclesiam coalescerent. Eph. II. 15, 16. Paries, iniquitates quæ inter nos et Deum dividunt, et abscondunt faciem ejus a nobis, ne exaudiat : Isa. LIX. 2. etiam ne vox ejus penetret ad nos. Paries, creaturæ post quas stat ipse Deus per eas loquens ; ac si fas dicere, paries, ipsa Christi caro oppansa divinitati, per quam dulce sonat, vimque suam exerit. « Prospiciens per fenestras.... per cancellos : » non intrare ausus, ne dormientem excitaret ; cum tamen velut amore victus, statim alloqui incipiat. Præclare Ambros. In Ps. CXVIII. oct. 6. n. 18. Sponsus « tanquam lascivienti ludens amore, quia velit pertentare sensus amantis, sæpe egressus ut quæreretur a sponsa, sæpe regressus ut invitaretur ad oscula, » adstans « post parietem, » prospiciens « per fenestras, eminens super retia » (seu cancellos), « ut non totus abesset, nec quasi totus intraret, et ipse ad se sponsam vocaret, ut veniendi ad se invicem fierent gratiora commercia, amorisque vini mutuis adolerent » (accenderentque) « sermonibus. »

10 « Surge, propera. Prædica verbum : insta opportune, importune : » II. Tim. IV. 2. Properato opus, nec segnes conatus patitur aut spiritus efficacia, aut animarum periculum. « Surge : » de quiete contemplationis in qua me unum cogitas, et « veni » ad excitandos desides animos. « Columba, » deest hic Heb. sumptum ex LXX. habetur infra 14.

11 « Hiems : » persecutiones, tentationes.

12 « Flores : » rus invitat ipsa veris amœnitas. « Tempus putationis advenit : » age, pariter arripiamus cutellos mundandis ac putandis arboribus et vineis. Spirituali sensu, « sectio, remissio peccatorum est, » moderatio affectuum : Orig. Hom. 2. in Cant. « Vox turturis : ejus avis quæ semper in montium jugis et arborum verticibus commoratur : » n. 12. p. 22. vox scilicet sublimium animarum, procul ab hominum consortio degentium. « Vox turturis : » fidissimæ, castissimæque amantis, nec post unum amatorem, alterum admittentis unquam. Apon. Item, « vox turturis » ingemiscentis potius ac veluti suspirantis, quam aliquid resonantis; quod nobis quoque solitarie agentibus inspiret pios gemitus, et ad unum Christum blanda suspiria.

13 « Ficus protulit grossos. » Ab arbore fici [illegible] parabolam » Matth. XXIV. 32. A proventu ramorum, foliorum, nodorum, fructuum, piarum animarum progressus cognoscite. Origenes. « Vineæ florentes : » si flores erumpunt, erit et uva : si odor, erit et sapor : ita et in piis animabus. Idem

14 « Columba mea : » columbæ similis illi solitariæ, quæ « in foraminibus petræ, » seu rupis, trepida latitat : aut « in caverna maceriæ, » in hiatibus sicci muri, sive interrupti et labentis. Age, erumpe e tuis latebris. « Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua : » si aperire non vis, ostende te saltem, dignare vel verbulo, amantique ac dolenti aliquid solatii impertire. Sic amans vel exiguum quid a dilecto volente ferre velit; neque aliter, suo more Christus.

15 « Capite nobis vulpes. Posteaquam sponsa tam blande invitata consurgit, jam ad puellas sponsæ comites se convertit sponsus, easque cum ipsa simul invitat ad insectandas vineæ insidiantes vulpeculas. Hæc igitur, inter oblectamenta rustica, secunda dies desinit, peragratisque campis, ac venatu delatigata sponsa domum anteit, multum adhortata sponsum ut nulla mora veniat; negat enim, aut sibi sine sponso, aut ipsi sine sponsa fas esse vivere, unde sequitur :

16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascit inter lilia,
17. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.

16 « Dilectus meus mihi, et ego illi; » quod repetit infra VI. 2. et VII. 10. quale illud Apocal. III. 20. « Cœnabo cum illo, et ipse mecum. Qui pascit : » qui agit oves « inter lilia. » Alii : pascitur : nam ipse quoque pascitur : reficitque se in locis amœnissimis. Hoc etiam iterat infra VI. 2. sponsum semper videns floribus, et omni veris amœnitate circumdatum. Pulchre Ambrosius in Ps. CXVIII. Serm. 2. « Pauci possunt dicere : » « Dilectus meus mihi, et ego illi : » « ille dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, et aliud cogitare non noverit : non ille, cui non satis est Dei filius, in quo sunt omnia : non ille, qui jussus omnia vendere, contristatus est : ille dicit, qui potest dicere : » « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Matth. XIX. 22, 27.

17 « Donec aspiret dies : » donec redeat dies, cujus initio et aura lenis afflare solet et umbræ diffugere. De qua aura Anchises apud poetam : Æneid. V.

Et me sævus æquis Oriens afflavit anhelis.

« Inclinentur umbræ : » fugiant. Heb. « Similis esto capreæ hinnuloque cervorum, » qui versantur « super montes Bether : » Adrichomio, in Benjamin montes nemorosos, repletosque plantis aromaticis, quibus cervi et capreæ maxime delectentur. His ergo tam vegetis, tam velocibus rediturum sponsum æquiparari postulat. Ergo summa est : Revertere ad me, capreis hinnulisque velocior, quieturus mecum, donec te dies revocet ad consuetos labores.

His autem adumbratur sublimis anima, sopitis sensibus, altissima intus quiete potita, sponsique intus alloquentis incitata vocibus. Atque is prout vult spirat, venit, elabitur, appropinquat, accelerat, abit, revocatur; per cancellos prospicit et fenestras, quia hujus vitæ tempore non plena luce se infundit, hortaturque sponsam et provocat, non sedere intrinsecus segnem, sed exire ad se foras, et conari ut, non jam per fenestras et cancellos, sed procedens foras facie ad faciem, videat eum. Origen. Hom. 3. in Cant. Ver post hiemem : gratia post peccata per pœnitentiam. Ibi in floribus certa spes fructuum, virtutumque primitiæ, animæque diligenter excultæ suavis odor et sponso gratissimus. Hac igitur secunda die, grata vitæ novitas; et recentiore adhuc conversione hiemis transactæ commemoratio, et in ampla licet virtutum copia, tamen comparatione futurorum proventuum, flores potius quam fructus, tempusque putationis, ac multa resecanda; quodque eodem alia sub figura recidit, captura vulpium pusillarum. Sunt enim maligni spiritus, Origen. Hom. 4. vulpes illæ pusillæ, quæ per foveas et occulta insidiantur vineis, ubi primum germen ostenderint, nec sinunt eas ad florem pervenire; sive etiam pravæ cupiditates, quæ dum adhuc parvæ sunt, capi jubentur; tunc enim facile perimuntur; alliendique ad petram parvuli Babylonis, neque permittendum ut crescant. Huic aliisque patribus accinit Bernardus. Sponsus saliens in montibus, transiliens colles, est Christus præteriens Angelos, ac semen Abrahæ apprehendens : Origen. Homil. 3. idem. Christus animæ laboranti Scripturarum ænigmata intus exponens, sponsus est loquens ille quidem, sed tamen adhuc post parietem delitescens, mox per fenestras et cancellos aspiciens pleniore jam luce. Qui cum magis ac magis appropinquare cœperit, et illuminare quæ obscura sunt; tunc eum videt anima salientem supra montes et colles, excelsæ scilicet intelligentiæ sensus suggerentem. Rursus, hiems, tempus passionis Christi : ver, Ecclesia nascens : tempus putationis, martyrum ætas, qua Ecclesia succisa crevit : vinearum florentium odor, Ecclesiarum recentium fama ubique diffusa : vox turturis, vox Ecclesiæ Christo discedente desolatæ, ejusque desiderio laborantis; tum suaves gemitus pœnitentis animæ. Vulpeculæ, hæretici Ecclesiam devastantes; qui primum per insidias sese insinuant infanda astutia; mox aperte grassantur, vix ut comprimi possint, nisi principiis obstes : dolosum animal, nec mansuescere solitum. Apon. Bern. Thom.

Duobus his diebus licet intueri crescentem amorem. In primo sponsa quantumcumque ardens, sponsumque confidenter invitans, nonnihil tamen suæ formæ diffidit, ac veretur ne pulcherrimo sponso fastidio sit : blanditias adhuc quærit : necdum satis novit ubi recubet sponsus, aut eum satis subtiliter a sodalibus discernit. Secunda vero die, sponsus statim atque discessit, citato gressu, et quidem non vocatus redit, sponsamque ultro, omni sermonis suavitate, omni objecta ruris amœnitate, vocat ad loca solitaria, ubi secum assidue versetur; invitat etiam ut capiat vulpeculas, inolitasque labes abstergat. Quæ omnia ad animæ purgationem, primumque christianæ vitæ perfectioris gradum pertinere videntur : positis interim beatæ contemplationis initiis, in illo sopore animæ, Verbi inter amplexus suaviter quiescentis.

CAP. III. Lectulus : quæsivi nec inveni : circuire : vigiles : odoramenta lectus : custodia : ferculum : diadema Salomonis.

1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, et non inveni.

2. Surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea, quæsivi illum, et non inveni.

3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea, vidistis ?

4. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.

5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii ?

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel :

8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi : uniuscujusque en-

TERTIA DIES.

1 « In lectulo meo. » Hic sponsa ad altiorem statum provehenda, incipit exercere desiderius et curis : postquam enim tertiæ diei initio in lectulo sponsum expectans, nescira quidem nocte advenisse sentit, angitur, eumque moræ impatiens, quærit. « Per noctes : » plurali numero, qui sæpe pro singulari ponitur. An quod expectanti nox longa, nec jam una esse videatur.

2 « Circuibo civitatem. » Me miseram, quæ petita Verbo, et ad ejus thalamum recto tramite intromissa per excelsissimas contemplationis vias, nunc circuire cogor, ac per vicos plateasque oberrare amens, avia, sine duce! Sic sæpe piæ ac sublimes animæ desolatæ ad tempus relinquuntur : sed quo magis recedere sponsus videtur, eo vigilantius latentem, ac veluti fugientem investigare oportet. « Per vicos et plateas quæram. » Cœlum terramque peragrabo, ut dilecti vestigia relegam, eumque reposcam ab omnibus creaturis.

3 « Vigiles, qui custodiunt. » Heb. custodes qui circumeunt « civitatem. » En Ecclesiæ pastores, eorumque officium designatum. « Num quem diligit : » quasi vero omnes tenere oporteret quid cogitet ipsa. Bern. serm. 79. in Cant. n. 1.

4 « In domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. » Ejusdem materni cubiculi mentio iterum infra VIII. 2. Certus quidem erat apud antiquos thalamo lectoque geniali destinatus in ædibus locus, ac nepotibus sacer. Sic Isaac Rebeccam introduxit in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem. Gen. XXIV. 67. Vel ergo matrem sponsi suam vocaverit, vel proverbiali locutione maternum vocaverit thalamum nuptialem; quanquam aliud postulare videntur hæc verba : « in cubiculum genitricis meæ : » Heb. ejus quæ me concepit : nec absurdum, postea quam filia Pharaonis traducta est Jerosolymam, etiam insecutam matrem; cui unica et unice dilecta fuisse memoratur VI. 8. aut aufugientem sponsum a sponsa deductum ad parentem carissimam, ejus quoque fideliori sollicitudine asservandum domi. Hæc etiam juxta litteram in Maria Magdalena, quæ Ecclesiæ typum tenuit, impleta sunt : Joan. XX. 1, 2, 13, 17. quæ surgit e lectulo cum adhuc tenebræ essent, quæsitura Christum; nec invento, hac illacque discurrit, a tumulo ad apostolos, ab apostolis rursus ad tumulum, videtque non ipsum, sed angelos, custodes Ecclesiæ datos; ac dum quaquaversus circumspicit, ipsum Jesum intuetur nondum tamen sua specie, parique cum sponsa amoris impetu quærit : « Domine, si tu sustulisti eum. » Joan. XX. 15. Denique intuetur coram, tenuitque pedes ejus increpante licet Christo, neque dimisit unquam, quæ in eum resurgentem credidit, fidemque resurrectionis afflictæ Ecclesiæ prima tradidit. Hæc fere Beda, lib. III. in Cant.

5 « Adjuro vos. » Transacta nocte surgit sponsus, sponsamque sopitam relinquens, eadem comitibus præcipit quæ supra II. 7.

6 « Quæ est ista. » Jam surrexerat, jam ornata et unguentis delibuta, relicto thalamo procedebat, « per desertum : » per agros ubi sponsum inveniret; quam chorus comitum admiratur. « Virgula fumi : » alii, columna : ex Heb.

7 « En lectulum Salomonis. » Ne me admiremini, sed sponsum Salomonem, regalemque qua stipatur cohortem, ædiumque et supellectilis magnificentiam. Jam ergo adest Salomon a sponsa requisitus, atque ultro accurrens. Adest autem non jam pastorali habitu, sed ut Salomon, regia majestate verendus, diademate redimitus, et solito satellitio clarus, quasi sponsæ ostentans regiæ custodiæ dignitatem et robur. Nec absimilis locus de Davide insidente cathedram, fortissimorum stipante caterva. II. Reg. XXIII. 8.

8 « Propter timores nocturnos : » eam in rem maxime comparati; quanquam etiam die adeunt ad apparatus magnificentiam.

sis super femur suum, propter timores nocturnos.

9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani :

10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit propter filias Jerusalem.

11. Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

CAP. IV. Oculi columbarum : occulta sponsæ : capilli : dentes : duo ubera : tota pulchra : cordis vulnera : in uno crine : soror et sponsa : favus : lac : hortus conclusus : odoramenta : fons : puteus : aquilo : venti.

1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

9 « Ferculum : » Heb. « Apirion, » quod alii lectum genialem exponunt, quasi a fœcunditate dictum; alii lecticam gestatoriam; quod huic pompæ magis convenit. « De lignis Libani : » de odoratis illis, atque incorruptis cedris.

10 « Reclinatorium.... ascensum : » Hebr. stratum, sive stragulam auream, integumentum sive cœlum, ex purpura. « Media : » neutro plurali, ea quæ media sunt : LXX. id quod intus. « Caritate constravit, » medium ejus stratum est amor : Hebr. in medio ipse amor, Salomon scilicet collocatus, qua figura, sponsa quoque vocatur amor, supra II. 7. III. 5. « Propter filias Jerusalem. » Hæc omnia fecit, ut se puellis mirabilem exhiberet, his enim maxime delectantur.

11 « Egredimini,.... filiæ. » Palam igitur apparente Salomone, totaque gloria coruscante, hortatur sponsa comites ad admirandam novi sponsi magnificentiam, matrisque in eo adornando studium. « Diademate : » et sponso et sponsæ etiam privatis coronæ imponebantur, teste Rabbi Eliezer, Pirce-Aboth. c. 16.

His adumbratur Ecclesia, sive ejus optima pars sublimis anima, quæ jam adulta viribus probatur et exercetur. Neque tamen despondet animum, sed exsurgit, totamque circuit Ecclesiam, imo universum orbem, ubique occurrentibus, uti prædictum est, sponsi vestigiis : quærentem inveniunt Ecclesiæ pastores, quibus maxime auctoribus, dilectum erat inventura ; neque tamen iis hæret, sed pertransit, paululum tamen ; neque enim aut ab ipsis expectat omnia, aut omnino declinat : statimque invenit sponsum. Ipse enim occultus illabitur, quem statim atque irradiat complectitur sponsa, quoad in ipso genitricis Ecclesiæ sanctuario cum ipso conquiescat. Hoc autem designat sacra mysteria, intimos Scripturarum sensus, et arcana divinæ sapientiæ animæ se infundentis. Unguenta, sponsæ bona opera et exempla. Locus ille quo de Salomone loquitur, ex illis est in quibus, persona pastorali tantisper omissa, ad propriam redeunt; neque immerito. Nempe ut significent post sollicitudines, et quærendi laborem ac perseverantiam, apparere sponsum, manifesta in gloria, jam Salomonem, jam Regem, jam Christum et Deum. Quare sub Salomonis figura commemorat sublimia Christi mysteria, ejus nempe invictam fortitudinem, apostolosque et doctores undique circumstantes, et regiam magnificentiam ascendentis in cœlos, totamque Ecclesiam illustrantis. Quo statu, occultam hactenus divinitatem exerit, dicitque : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; » Matt. XXVIII 18. estque gloria et honore coronatus : Hebr. II. 9. « et in capite ejus diademata multa. » Apocal. XIX. 12. « Die desponsationis ejus. » Aponio; quo immaculatus immaculatæ conjungitur, suique corporis et sanguinis tactu immaculatam efficit Ecclesiam.

1 « Quam pulchra es : » Meminerimus jam adstare Salomonem, atque ab ostentato splendore ad amores, blanditiasque conversum. « Absque eo quod intrinsecus latet : » Hebr. absque occultis tuis, mihi tantum, tibique notis; quæ verba repetit infra 3 et VI. 6. LXX. *ektos tês siōpēséōs sou :* præter silentium tuum; sive, ut antiqua Vulgata vertebat, apud Ambrosium passim, et Hieronymum, Is. XLVII. 2. præter taciturnitatem tuam, præter tacenda in te. Significat autem singulares animi dotes, et in ipso corpore, imo vero in ipso vultu, in ipsis oculis, in genis, labellis, reliquisque de quibus hic agitur, præter ea quæ ab omnibus collaudantur, multa aliis indeprensa, occultam videlicet gratiam, venustumque illud et decens, quod verbis exprimi nequeat; certe amantes in dilectæ dotibus detegendis perspicaces esse se volunt. Nam quod hic alii alia suspicantur, etsi verba non repugnant, nec abhorret Hieronymus, a consequentia sermonis alienissimum est. Quidam ex Hebr. vertunt, præter cincinnos tuos; quod ex comis defluentibus, genis accedat gratia ; non tamen tanta illa, ut tanto affectu bis terque ingeminanda videatur. Atque omnino arcana illa sponso dulcissima, sacroque occultanda silentio, petant ad mysticos sensus infra commodius reserandos. « Sicut greges caprarum : » caput ip-

2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas.

3. Sicut vitta coccinea, labia tua, et eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.

6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

7. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

10. Quam pulchræ sunt mammæ

sum sponsæ comparat monti eminus viso, ut infra VII. 5. capillos gregi caprarum, tum propter nigredinem et nitorem, tum quod pecora in montis cacumine gregatim incedentia, eminus prospicientibus fluctuare videantur. « De monte Galaad : » altissimo, pinguissimo.

2 « Sicut greges tonsarum : » quod albi dentes, quod æquales, et sibi cohærentes. « Omnes gemellis fœtibus. » Hæc ad ornatum addita, ut res subjiciatur oculis; neque in comparationibus, sive in allegoriis, ac parabolis omnia minutatim excuti et aptari necesse est, dum summa ipsa conveniat. Cæterum hæc ut pleraque, quæ litterali sensu vix ullam habent congruentiam, spiritualiter intellecta, illustriores habent sensus infra memorandos. De comparationibus tamen illis sublimioribus, gregum, montium, turrium, civitatum, quæ deinceps passim occurrunt, hæc ad litteram semel admonere sufficiat, eas amoris indoli imprimis convenire : cum enim amantes, ex amoris vehementia, in se mutuo excelsius aliquid atque humana forma augustius videantur; hinc fit, ut omnia, quæ usquam sunt decora et splendida, sive etiam jucunda, conquirant, atque ad exprimendam eam, quam ardent, pulchritudinem, congerant; neque refugiunt illa quæ a vulgari sermone abhorreant, propter eam quam animo informaverint, rei amatæ imaginem : quam cum verbis assequi se posse desperent, nimirum per ardua et quodammodo absurda præcipitant, quod etiam magis congruit Orientalium ferventioribus ingeniis.

3 « Sicut fragmen mali punici : » propter figuram et colorem.

4 « Sicut turris : » collum altum et erectum. « Cum propugnaculis : » humeris scilicet. Nam sponsa vere formosa, non juncea, ut ait ille apud Comicum, gracilique statura, nec decore modo, sed quadam etiam majestate conspicua. « Mille clypei : » ex monilium figura. « Omnis armatura fortium : » tanquam ad sponsam amantium munera, ut devictorum ducum arma, appensa sint.

5 « Sicut duo hinnuli : » an propter teneritudinem ? an etiam quod geminorum animalculorum more, spirare sub veste, ac velut micare viderentur ? an potius, quod a tactu abhorreant, feri, atque uni sponso tractabiles ? quo sponsæ formosissimæ severa et inaccessa castitas commendatur. Utcumque est, has amantium blanditias, in pudico, conjugalique amore, et a nobis indicari, et levissimo pede transiliri oportebat, ne quid excideret quod litteræ tangeret elegantiam. « Qui pascuntur in liliis : » propter pectoris candorem.

6 « Donec aspiret dies : » donec illucescat. « Vadam ad montem myrrhæ : » ad sponsam ipsam, odores suavissimos efflantem. Infra 10, 11, 14, 16. Memor lamentorum quæ sponsum quærendo per noctem sponsa profuderat, spondet non discessurum, usque ad lucem futuram.

8 « Veni.... coronaberis : » undecumque veneris, sive de Libano, sive de monte Hermon, locis omni ubertate et amœnitate conspicuis, sive de locis horrentibus, ferarumque latibulis; quamcumque ludendo et venando, sive etiam peregrinando, Israelitici agri partem peragraveris, grata et jucunda venies, tibique flores decerpemus, et coronas nectemus. Alii : omitte montes quos incolebas aut peragrabas, atque hic consiste mecum. « Coronaberis : » alii ex Hebr. respice, hoc est : tantum respice; læta erunt omnia, undecumque aspexeris.

9 « Vulnerasti cor meum : » LXX. elegantissime; cor abstulisti nobis : *ekkardiôsas êmas*, ut habent nonnulli codices apud. Flam. Ambrosius in Ps CXVIII. serm. 16. n. 19. cor meum cepisti, et alibi; corde nos cepisti, quo exponit illud : « defecit anima mea : defecerunt oculi mei : » quod est, in id unumquodcumque migrare quod diligit. Simili phrasi, Prov. VII. 10. idem LXX. de muliere blandiente, quæ facit juvenum avolare corda. « Uno oculo : » uno aspectu : tanta vis inest. « Uno crine colli tui : » vel uno in collum delapso; adeo te omnia decent : uno torque, Hebr. uno ornamento imposito. Non multis ornamentis eges : placet ipsa simplicitas.

10 « Mammæ : ubera : » amores : Hebr. eadem vox utrobique et eadem quæ supra I. 1.

tuæ, soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

11. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

14. Nardus et crocus, fistula et cinna momum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.

15. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

16. Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

CAP. V. Hortus fructuum : sponsi convivium : somnus corde vigili : vox dilecti pulsantis : sponsæ cunctatio : sponsi fuga : iterum circuitio ad quærendum : custodes : sponsa cæsa, nudata : dilecti pulchritudo : candidus : rubicundus : quæremus tecum.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.

« Pulchriora : » meliores, amores scilicet : Hebr. « et odor unguentorum. » Idem de sponso supra, I. 2.

11 « Favus distillans. » Sic Menelai apud Homerum melle dulcior flaebat oratio.

12 « Hortus conclusus : » post formæ pulchritudinem, suavitatemque sermonis, nunc integritatem, castitatemque commendat. « Fons signatus : » sic illud : « Bibe aquam de cisterna tua..... » et : « habeto eas solus. » Prov. V. 15, 17.

13 « Emissiones : » propagines : ex te omnia grata et pulchra proveniunt. Ex te clara soboles orbem illustratura : quale illud : « Pro patribus tuis, nati sunt tibi filii. » Ps. XLIV. 17. « Cypri » seu cyperi « cum nardo : » omnigena odoramenta, ut supra I. 13. de quibus, si tantum est operæ pretium, vide Theodoretum hic lib. 3. in Cant.

14 « Lignis Libani : » arboribus thuriferis : Hebr.

15 « Fons hortorum : » unde scilicet hortus irriguus. Ejusmodi ergo horto uberrimo, atque odoratissimo sponsam comparat.

16 « Perfla hortum meum : » sponsam scilicet. « Et fluant aromata : » odor diffundatur flatu.

1 « Veniat. » Si hortus sum tuus, ut memoras, « veniat dilectus meus, neque abscedat unquam. Resumit sponsus : equidem « veni : » prima persona præteriti temporis : Hebr. venio. « Messui myrrham meam : » demeto montem illum myrrhæ de quo supra IV. 6. « Comedi favum : » comedo : tanquam diceret : venio equidem, sed post cœnam amicis jam paratam. Sunt tamen qui de vero horto simplicius intelligunt, in quo amicis paret. Vide autem quam ineptas et simplices dapes. « Inebriamini, carissimi : » notum in Scriptura, inebriari quid sit, hoc est, læta inter pocula, dulcesque sermones, hilare nec immodestum agitare convivium. Hic certe ad cœnam et vesperam tertii diei finis; ac sponsa discedit, seque somno tradit, ut habet ỳ seq. Neque liberiori, et ad multam noctem protractæ inter juvenes cœnæ, sobria et pudica mulier interesse narratur.

Jam ut ad veros sensus animum erigamus, Christus sponsam purgatam cupiditatibus et tentamentis exercitam, totam pulchram et sine macula esse proclamat, IV. 7. quippe quam « gloriosam » sibi sponsam exhibeat, « non habentem maculam aut rugam,.... sed ut sit sancta et immaculata. » Ephes. V, 27. Unde apud Ezechielem, XVI. 13, 14. « Decora facta es vehementer nimis.... perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus : » itaque ejus forma rapitur, eique suavissime invitanti se tradit, amatque et laudat impense, quam infudit ipse pulchritudinem, delectaturque opere suo. Testatur autem non modo voluptate perfusam, sed miris etiam exercuciatam curis, quod eam non de locis modo uberibus, amœnisque sed etiam asperis evocat, ferarumque cubilibus, IV, 8. Refertur quoque ad persecutiones. Philo Carpathius et alii, leones intelligunt reges persecutores; pardos, hæreticos variis maculis errorum ac vitiorum inspersos. Hi ergo pias animas vexant : quæ vexatio, emolumento est; attestante Isaia, XXVIII. 19. « Sola vexatio intellectum dabit. » Huc etiam pertinet illud : « Surge, aquilo, » IV. 16. Quo significat irruentes, ventorum instar, curarum et tentationum turbines, effecturos ut latius virtutum odor diffundatur. Idem evenit Ecclesiæ flantibus ventis, sævientibus scilicet

2. Ego dormio, et cor meum vigilat, vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea,

persecutoribus, cum victoriis martyrum clarescceret, fieretque id quod ait Paulus, Philip. I. 12. « Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio. » Sic martyriorum fama, velut a quatuor ventis, electi vocabantur, implebaturque illud : « Surge, aquilo, et veni, auster, et perfla hortum, et fluant aromata ejus : » quod ex omnibus mundi partibus odor sanctæ religionis adoleseeret, ut ait S. Ambrosius, lib. I. de Virginit. De unguentis autem hic et alibi sæpe memoratis, sanctus Bernardus, serm. 10, 12. ut sponso, ita et sponsæ unguenta sua assignat. Unguentum scilicet pedum, quod est pœnitentiæ; Luc. VII. 38. unguentum effusum in caput, quod est pietatis in Deum, ex recordatione beneficiorum ejus; Matt. 26, 7 denique unguentum Christi sepulti, quo totum illius corpus perungitur : Joan. XIX. 39, 40. quod est fraternæ caritatis, eoque omnia Christi membra conduntur. Partes autem corporis studiosissime descriptæ, IV et V. sic ad animam referri possunt, ut oculus quidem sit prudentia, rectaque et simplex animi intentio : unde, « si oculus tuus fuerit simplex, etc. Matt. VI. 22. et propterea columbinus dicitur. Labia verbi prædicatio, qua nihil est pulchrius aut dulcius, unde illud, « sicut vittæ coccineæ, labia tua : eloquium tuum dulce, » IV. 3. ac postea 11. « favus distillans labia tua, sponsa. » Favus, Ecclesiæ prædicantis oratio ex propheticorum apostolicorumque librorum, velut florum, libatione, seu potius depastione collecta : ubera, ipsissima caritas lac parvulis ministrans; IV. 5. dentes, Ecclesiæ filii firmiores quibus non jam lacte opus sit, sed solido cibo, ℣ 2. quo respectu ascendunt de lavacro, velut oves per baptismum lotæ, nec steriles, quippe bonorum operum feraces, ac geminæ caritatis fructibus comitatæ. Per dentes, alii prædicatores intelligunt, qui in persona Petri jubentur comedere immunda, et incorporare Ecclesiæ, Act. X. cujus rei gratia matribus ovibus merito comparentur. Capilli, ℣ 1. multitudo fidelium eam ob rem gregi amplissimo, ac pinguissimo comparata. Greg. Apon. Thom. Genæ rubore suffusæ ad verecundiam referuntur : cervix jugo Domini destinata, ad obedientiam : corporis habitus sublimis et erectus, designat animum sapientem quæ sursum sunt : unde illud : « sicut turris David collum tuum : » IV. 4. quod turris in editis montibus posita, « non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. » Ambr. in Ps. CXVIII. serm. 4, n. 5. Turris autem hæc munitissima : primum, quod sit David bellicosissimi regis; tum quod ædificata cum propugnaculis; denique quod ad eam appensa arma fortium quos Ecclesia dejecit. Idem ibid.

Jam tacenda sponsæ, IV. 1, 3. eæ virtutes sunt, quas humilitate contegat et verecundia; ut verum sit illud, Ps. XLIV. 14. « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. » Placent ergo sponso, quæ ipsa sponsa profert exempla virtutum : multo vero magis, quæ hominum subtrahit aspectibus. Hinc illa occulta toties commendata : IV. 1. 3. VI. 6. amatque ipse sponsus, et ad cellam vinariam intimaque conclavia sponsam deducere, II. 4. et ab ipsa deduci ad secretiora cubicula, III. 4. VIII. 2. verumque illud : « intra in cubiculum.... ora in abscondito. » Matt. VI. 6. occultaque omnia sponso intus spectanti gratiora. Quare imprimis solitudo delectat, VII, 11, 12. petræque foramina, II. 14. et cubilia ferarum, IV. 8. quo etiam spectat illud : « hortus conclusus, fons signatus, ibid. 12. En occlusa omnia ut uni sponso pateant; non multiloquium, non conventus; sed secessus, umbræ, alta ubique silentia.

Ecclesia vere est hortus ille conclusus, ac fons signatus, quo nullus error; sublimis quoque anima, quam nulla prava penetret cupiditas; ac vera illa Jerusalem civitas sancta, qua nullus incedat « incircumcisus et immundus : » Is. LII. 1. tum hujus horti mira fœcunditas, fructusque toto orbe diffusi : ℣ 13. quæ fœcunditas Ecclesiæ maxime tribuitur; propter sublimes animas Deum genitibus exorantes, atque impetrato spiritu Ecclesiam fœcundantes : ut August. passim. Aquæ, doctrina salutaris; ℣ 15. nunc puteo abscondita, propter profunditatem : nunc cum impetu fluens a Libano, propter celestem verbi efficaciam. S. Thom.

Vestimenta sponsæ, bona sunt opera : attestante Joanne, Apoc. XIX. 7. 8. « Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se : et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido : byssinum enim justificationes sunt sanctorum : » unde Isaias de imperfectis operibus : « Telæ eorum non erant in vestimentum, neque operientur operibus suis. » Is. LIX. 6.

De convivio autem dominico, quo suos convivas pascit; V. 1. deque ejus rationabili et sine dolo lacte, quod innocentes animæ concupiscant; I. Pet. II. 2. deque optimo vino et ebrietate spirituali, ac mentis excessu, per se omnes intelligunt. Neque omittendum bonum convivam Christum, non tantum pascere, sed etiam pasci. Habet enim cibum suum de quo dicit : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus, » quod est salus hominum. Joan. IV. 34. Nostra ergo salute pascitur; nos in se trajicit et in corpus suum coagmentat : hoc est, mel ejus, inquit Ambrosius, lib. III. de Virg. quod diversarum virtutum concretum floribus, illarum apum quæ sapientiam prædicant, consono opere congregatum, sancta Ecclesia in favis, condit, ut cibus Christi sit. Item mel, Christi doctrina salutaris, ros cœli purissimus, mera suavitas.

QUARTA DIES.

2 « Ego dormio. » Quartæ diei initio sponsa recepta in thalamum, et quiescens sopitis sen-

quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium?

3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen; et venter meus intremuit ad tactum ejus.

5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo, manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.

6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est, quæsivi, et non inveni illum, vocavi, et non respondit mihi.

7. Invenerunt me custodes qui circumeant civitatem: percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

11. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

sibus, tamen animo est ad sponsum arrecto, unde ad primum ejus pulsum evigilat: sponsus ex hortis, cœnæ cum amicis facta, nocte intempesta adest tardior; unde ipsa tanquam subinduans aperire cunctatur. Ipse quoque iratus aufugit: nec desint iræ, quas amor ut excitare, ita sedare possit unus, suavius post iras redintegrata gratia. Hæc summa hujus diei; jam ad singula. « Aperi mihi, soror mea: » sic sponsa, VIII. 1. « Quis mihi det te fratrem meum: » amor verus omnibus necessitudinum vinculis delectatur. « Quia caput meum plenum est rore: » ne tantum amore, sed etiam misericordia compellatur ad aperiendum; tum ut statim rure profectus, non quoquam diversatus videatur.

3 « Expoliavi me tunica,.... lavi pedes meos: » delicatæ sponsæ colorata excusatio; sed sanctis animabus magno documento futura.

4 « Manum.... per foramen: » LXX. de prospectu, de fenestra, quasi irrupturus. Melius, per foramen seræ, quasi aperturus digito. Ut claves, ita seræ multum a nostris distabant, ingensque erat apertura, clavesque humeris gestabantur. Is. XXII. 22. « Venter meus intremuit ad tactum ejus: « pulsantis fores, aditumque tentantis: interiora mea commota sunt super eo: Heb. LXX. ad ejus præsentiam.

5—6 « Manus meæ stillaverunt myrrham: » delicatissimis unguentis perfusæ cubabant, cubili etiam his asperso: « aspersi » enim « cubile meum myrrha et aloe et cinamomo. » Proverb. VII. 17. « Digiti mei..... myrrha probatissima.... Pessulum ostii: » LXX. Digiti mei myrrham plenam super manus pessuli, scilicet effuderunt: Heb. myrrha transeunte super manubria pessuli. Aperui dilecto meo: hoc est pessulus ipse unctus est myrrha, qua perfusæ erant manus, nec enim extersi digitos, tanta erat festinatio. « Anima mea liquefacta est: » egressa est: Heb. LXX. Rapit me totam, et in sui amorem ac desiderium transfert. Ambr. « Deum locutus est: » ostendit se non sponsi neglectu, sed desidia quadam et indignatione cunctatam, sive quodam ejus probandi studio.

7 « Invenerunt me custodes. » Iterum per plateas discurrit quærens, ut supra, III. 2.. sed pejus habita est a custodibus per noctis tenebras, ac licentiam militarem, demonstratque se nullum periculum fugisse, ut dilectum inveniret. « Pallium: » LXX. theristrum: Philoni Carpathio, capitis velamentum: Amb. de Is. 6. n. 55. pallium quo caput ob nuberet.

8 « Adjuro vos: » Cæsa, spoliata, non tamen plagas, sed amoris vim sentit; idque unum solatio est, si dilectus sciat amari se, quem nuntium ad eum perferendum quibusvis obviis mandat. « Si inveneritis, nuntiate: » alii cum LXX. ex Hebr. sic vertunt: si inveneritis dilectum, quid annuntiabitis ei? (nempe id) quod amore langueo; quod ego illa sum amore vulnerata: flagrantissime et elegantissime.

9 « Dilectus.... ex dilecto: » præ dilecto, Hebr. dilectissimus.

10 « Dilectus meus. » Sponsa vehementissimis motibus abripi solita, hic primum et semel sponsum studiose describere aggreditur, puellarum interrogatione provocata. « Electus ex millibus: » ex myriadibus: Hebr. insignis illæ formæ præstantia, qui etiam inter millia facile dignosci possit.

11 « Caput ejus aurum: » quodcumque pulchrum et pretiosum est, aurum dicitur. « Comæ: elatæ palmarum: » cincinni ejus crispi: Hebr. aliter: acervi: « thalthalim: » Græc *élatai*, arborum genus, sive abies, seu palma; aut potius recens palmarum germen: unde hæc vox, « elatæ, » quæ græca est in Vulg. invecta: additum, palmarum, ad designandam arborem. Beda hic ex Plin. lib. XII. cap. 28. Comæ autem comparantur arborum ramis, ea translatione, qua frondescentes rami arborum comæ dicuntur.

12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.

13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis : talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo declinavit dilectus tuus : et quæremus eum tecum ?

CAP. VI. Descendit in hortum : dilecti ac dilectæ consensio : sponsa decora : terribilis : ejus forma : reginæ, concubinæ, adolescentulæ : una perfecta : ut aurora : ut luna : ut sol : hortus nucum : nescivi : revertere : Sulamitis.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

2. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascit inter lilia.

3. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata.

12 « Oculi ejus sicut columbæ : » sicut oculi columbarum : « quæ lacte sunt lotæ : » tam candidæ, tam nitentes, ut lacte lotæ videantur : qualium oculi pulcherrimi et suavissimi esse solent. « Juxta fluenta : » juxta plenitudines : Hebr. pulcherrimæ, habitantes in locis uberrimis et irriguis.

13 « Areolæ aromatum consitæ : » ut areolæ aromatis, ut flores odoriferi : Hebr. id est, ut areolæ consitæ floribus et plantis odoriferis. Unguenta e comis in genas defluentia notat. « Lilia : » sunt lilia quædam purpurea : his labia comparantur, propter mollum flexum, quo se lilii calix aperit, et spiritus suavitatem : unde « myrrham primam, » seu præcellentissimam stillare dicuntur.

14 « Manus illius tornatiles aureæ : » circuli aurei : Hebr. propter teretes digitos omni auro pretiosiores. « Plenæ hyacinthis : » gemmis, violaceis : « tharsisim : » manus levissimæ efflorescentibus venulis. « Venter ejus : » interiora · Hebr. quibus pectus etiam designatur : unde, « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Joan. VII. 38. « Eburneus : » candor eboris : Hebr. « Distinctus sapphiris : » e summa aut ex tenui veste, pectoris candor apparet inter lapillos ipsi vesti intextos.

15 « Crura : » quatenus infra vestem parebant. « Columnæ marmoreæ : » propter candorem et firmitatem. « Super bases aureas : » calceamenta scilicet auro intertexta. Per Libanum et cedros, staturæ proceritas et dignitas designatur.

16 « Guttur illius suavissimum : » mellita oratione, halitu, vocis suavitate. « Totus desiderabilis : » totus desideria : Hebr. LXX. Quasi diceret : quid singula commemorem, aut singula membra describam ? totus est desiderabilis, totus est amor. S. Thom.

1 « Descendit in hortum suum, » quo matutinus ire solebat, vel quo se prædixerat iturum, « ut pascatur in hortis : » alii : pascat : ut ad hortos greges agat, et ad valles liliis abundantes. Quam elegans autem, dum pascuntur greges, ipsum legere flores, ad sponsam deferendos ?

2 « Ego dilecto meo : » quocumque loco sit, et ego illum, et ille me cogitat.

3 « Pulchra es. » Jam sponsus adest et loquitur. « Suavis et decora : » pulchra es, amica mea, sicut Thersa, decora sicut Jerusalem : Hebr. Thersa erat urbs regia antiqua sub Chananæis, Jos. XII. 24, quæ Jeroboami et insequentium Israelis regum sedes fuit : III. Reg. XIV. 17. XV. 33, etc. sub Salomone quoque nobilis. Sensus est : non ita Thersa Ephraimitis, Judæis urbibus Jerusalem, ut tu cunctis mulieribus antecellis. Sunt qui memorent sponsarum, more urbium, turritas coronas, ad quas hic allusum ; nec absurdum puellas urbibus comparari, quæ ipsæ passim in Scriptura puellis comparentur ; unde filiæ Judæ, et apud Græcos, metropoles. Memorat autem urbes celeberrimas, atque amœnissimas. « Terribilis ut castrorum acies : » ut necesse sit a te perdomari corda omnium. Eadem vis formæ muliebris in malam partem exprimitur his verbis ; « multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. » Prov. VII. 25, 26.

4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam.

4 « Me avolare fecerunt ; » me mihi surripuerunt ; invaluerunt : Hebr. Fortiores me sunt, ut nec ego ferre possim. « Capilli tui : » hæc cum duobus sequentibus versibus repetuntur ex IV. 1, 2, 3. iterare enim juvat, quæ maxime affecerunt animum.

7 « Sexaginta sunt reginæ : » reginæ principum filiæ erant, concubinæ ancillæ, adolescentulæ quæ ministrabant in regia, nondum thori honore dignæ. Ait ergo Salomon : cum tot illæ sint quas ad magnificentiam habeat, unam tamen antecellere omnibus, unam esse quam diligat. Habuit autem postea longe plures, nempe reginas septingentas, et concubinas trecentas, diciturque multas adamasse ; sed primam, filiam Pharaonis, quam initio regni duxit, eique regiam extruxit. III. Reg. XI. 1, 3. Ibid. III. 1. VII. 8.

8 « Una est columba mea : » cum tot ac tantæ sint, una est quam vel aspectu cognoscas, adeo omnes et forma et decore vincit. Sic apud Theocritum elegantissimo illo de Helena Idyllio XVIII. canunt selectæ virgines : Adsumus quater sexaginta coævæ virgines, flos puellarum pulcherrimus ; at nullam sine labe compereris, si cum Helena comparentur, ut ipsa comparatione cum formosis etiam fœminis sponsæ pulchritudo magis elucescat. « Una est matris suæ, » jam inde a parvula præ cæteris cara : quod ad commendationem formæ pertinet, matribus filiarum egregia specie imprimis delectari solitis. « Viderunt eam filiæ : reginæ et concubinæ. » Tam pulchra est, ut a mulieribus, et ab ipsis æmulis laudem extorqueat, quæ tanta laus est, ut in ea sponsus merito conquiescat. Neque adhuc sponsam, aut uberius laudavit, aut amavit ardentius, incensus piis, quibus illa per noctem se excruciaverat, curis ; sic iræ in amorem desinunt. Hic quarti diei finis, cujus hæc series : sponsa nocte intempesta domo exsilit ; adolescentulis mane occurrit, tum sponsum reperit ; miris ejus afficitur laudibus usque ad ℣ 9. quem ad sequentem diem aptius referemus.

Jam ad veros sensus. Anima iterum exercetur, sed vehementius, ac durius, quam tertia die, supra III. Non solum enim exercetur, sed etiam castigatur tardius aperiens, docetque sponsus statim atque pulsat, aperiendum esse, cum ipse statim transiturus sit, nisi aperias. Unde sic præmonet : « Ego quos amo, arguo et castigo.... » tum continuo : « Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. » Apoc. III. 19, 20. It enim, reditque raptim, arrectamque vult animam, neque somnolentam, sed quæ vere dicat cum sponsa : « Ego dormio, et cor meum vigilat, » v. 2. sin autem velut in lecto languescat, fit illud ℣ 6. « Quæsivi et non inveni : » quem ad locum Ambrosius in Ps. CXVIII. (Serm. XXII. n. 32.) « Ego te quæsivi, sed invenire non possum, nisi tu volueris inveniri : et tu quidem vis inveniri, sed vis diu quæri, vis diligentius indagari :.... non vis ut te dormiens quærat : non vis ut te jacens investiget. » Ergo amantem licet, cunctantem tamen nactus abit, nec vocanti respondet ; nempe ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exercetur amoris negotium. Bern. Serm. LXXV. Hinc ergo sponsa facta cupidior, mox sese ad requirendum tota aviditate dedit : Idem, ibid. nec tamen statim invenit, ut supra, III. crescenti enim amori gravior exercitatio incumbebat : invenitque custodes, pastores Ecclesiæ scilicet, qui percutiant, qui vulnerent, qui spolient ; sive bonos et peritos, qui vulnerent iis vulneribus, quæ osculis præferuntur : Prov. XXVII. 6. hoc est, qui desidem et cunctantem acriter reprehendant, et quodammodo spolient ; ℣ 7. id est, qui nudam collocent ante oculos suos, ut suas ipsa culpas agnoscat ; sive bonos sed imperitos, a quibus gravissima patiatur ; sive etiam malos, quibus offendatur magis. Sic et sponsi fuga, et ministrorum ejus opera vehementissime cruciatur. Unum interim solatium est, inclamare sponsum, et ab iis qui occurrant, requirere. Ipsa autem exercitatione surgit illa perfectior, ac sui amoris testificatione alios ad quærendum instigat, ℣ 17.

De sponsæ autem cunctationibus atque excusationibus, ℣ 3. Augustinus aliique Patres passim pedum lotionem revocant ad minutiora peccata : congruuntque Domini verba, Joan. XIII. 10. « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet : » Observant magnas animas in contemplatione quiescentes, metuere interdum, ne ad exteriora, vel leviter delapsæ, inquinentur ; neque tamen cunctandum, præcipiente sponso ; neque prætermittendum illud, sanctas animas, infusam sibi reveritas gratiam, mira diligentia cavere a peccatis. « Expoliavi me tunica mea : » exui veterem hominem ; quomodo induam illum ? quo sensu Paulus, Rom. VI. 2. « Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo ? » Sponsus digitos immittens foramini seræ, ℣ 4. Christus est per gratiam aditum quærens, animæque interiora commovens. Spon-

9. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

sus lilia colligens, VI. 1. et ubique liliis delectatus, idem Christus est, electos suos quorum innocentia et castitate delectatur, in unum coagmentans. Quod autem anima exercitata et castigata perfectior evadat, duo docent. Primum quod et sponsum cognoscat, et laudet impensius, et aliis innotescere faciat, toto cap. V. Alterum quod ipsi magis cognita sit, hoc est, magis amata, magisque laudata, cap. VI. sicut scriptum est : « Novi te ex nomine, invenisti gratiam coram me. » Exod. XXXIII. 12, 17. Jam verba sponsæ sponsum collaudantis intelligamus, v. 10. Candidus, propter divinitatem : « Candor est enim lucis æternæ. » Sap. VII. 26. Rubicundus, propter incarnationis, passionisque mysteria ; quippe qui habeat rubrum vestimentum, Isa. LXIII. 2. « vestitus » que sit « veste aspersa sanguine. » Apoc. XIX. 13. Caput ejus aurum optimum, v. 11. ipsa divinitas est. « Caput » enim « Christi Deus, » I. Cor. XI. 3. thesaurique sapientiæ et scientiæ absconditi : et omni auro pretiosior sapientia. Job. XXVIII. et caput omnium Christi præceptorum, caritas ; aurum illud ignitum, quod ab ipso emere animæ tepidæ jubentur. Apoc. III. 18. Capilli, velamen capitis, humanitas tegens divinitatem, nigri quidem, dum versatur inter homines : oculique mansuetudine columbini. Cæterum translato ad Patris gloriam, orbemque judicaturo, capilli candidi, tanquam lana alba, et oculi, tanquam flamma ignis. Apoc. I 14. Manus tornatiles, v. 14. sunt opera omnia apte concinneque facta Crura firma, quod stabili gradu stet, hostesque conculcet : item, v. 15. sive ut ait Ambrosius : crura ejus columnæ marmoreæ super bases aureas, quod solus Christus inambulet animis et gradiatur in mente sanctorum, in quibus, velut aureis basibus, fundamentisque pretiosis, solidata vestigia verbi cœlestis hæserunt. In ore verba vitæ, totusque ipse est amor, v. 16. Hæc Patres, ex quibus intelligi cætera facile possunt. Sic ergo sponsa sponsum cognoscit. Ad eam notitiam pertinet, quod scit ubi agat, ubi pascat, VI. 1. non id sibi indicari petit, ut antea I. 6. Jam sponsus, cap. IV. collaudatam sponsam, in hoc cap. VI. iterum laudat, sed impensius et magnificentius cum formæ venustati, ac dignitati addat hic robur invictum, posteaquam scilicet exercitata prœliis, et affecta vulneribus, vi denique spoliata, non minus agit fortiter institutumque persequitur, cap. V. 7, 8. Itaque non modo pulcherrimis, et celeberrimis urbibus eam comparat, præsertim Jerusalem in se ordinatæ, ac certa pace fundatæ, sed etiam exercitui, quod sit hostibus formidabilis, VI. 3. atque ad laudum cumulum appellatur nunc primum una et perfecta, 8.

Jam de Ecclesia quæ hic perfectissime adumbratur pulchrum illud comitum, v 9. « Qualis est dilectus tuus ? » nemini enim notus sponsus, nisi monstrante Ecclesia. Unde subdunt, ℣ 17. « Quo abiit dilectus tuus.... et quæremus cum tecum ; » ut cum doctrina sponsi laterę, et velut in longinquum declinasse videtur, cum sponsa, cum Ecclesia eam quærant, non ipsæ solitariæ, ne per avia exerrent, atque hæreticis prædæ sint. Ecclesia autem facile dignoscitur insigni pulchritudine ; urbs conspicua, et supra montem posita, Matth. V. 14. exercitus ordinatissimus, VI. 3. ducibus notissimis ; adversus hæreticos et impios egregie instructa. Est autem simul urbs et sponsa, sicut scriptum est de Jerusalem nova : unaque simul et perfecta. Apoc. XXI. 2, 9, 10.

Reginæ, concubinæ, adolescentulæ, VI. 7. varii sunt ordines animarum incipientium, proficientium, perfectarum : et inter perfectas eminent insigniores quædam, quæ quasi jam in cœlis cum sponso versari videantur, ipsisque præcellentissimis animabus miraculo sint, de quibus hic dicitur : « Una est columba mea : » quibus etiam competit illud supra ex Ezechiele XVI. 13. memoratum : « Et decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum : » supra omnes reginas eminentissima : quippe quæ cæteris et verbo et exemplo præsis. Hæc autem, vel maxime conveniunt Ecclesiæ catholicæ, quam aliæ sectæ, etiam æmulæ et invidæ, laudare cogantur, vi veritatis victæ.

Quod sponsus dicat : « caput meum plenum est rore ; » intellige verba gratiæ quibus animæ irrigentur, qua de re præclare Ambrosius, lib. de Virg. cap. 12, n. 70. « Caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. » Quod autem Christus ab aspectu sponsæ avolet ℣ 4. Patres interpretantur, ab iis qui curiosius inspiciant, ipsa sua altitudine effugere. « Scrutator » enim « majestatis opprimetur a gloria, » Prov. XXV. 27. Cæterum ubi sponsus dicit, « averte oculos tuos : » recordari oportet Jacob Deo prævalentis : Gen. XXXII. 28. ac Moysi, cui dicitur : « Dimitte me : » Exod. XXXII. 10. Jeremiæ etiam qui sæpius veretur orare pro populo ; sanctarumque animarum quæ veluti Deo vim inferant, quibus etiam dicat sponsus : Averte oculos tuos illos humiles ac supplices et vim inferentes, quia fortiores me sunt, juxta Hebr. quæ vis Deo grata est : Tertull. Apolog.

QUINTA DIES.

9 « Quæ est ista ? » Sic sponsam domo mane progredientem, ac primum apparentem adolescentulæ salutare et admirari solent : supra III. 6. infra VIII. 5. Quare merito hic initium quintæ diei collocamus, nulla licet facta noctis mentione ad variandam eclogam. « Quasi aurora consurgens : » consurgens deest Hebr. et hoc tempus designat domo procedentis et quasi exorien-

10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

11. Nescivi; anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12. Revertere, revertere, Sulamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.

CAP. VII. Sponsæ pulchri gressus : juncturæ : umbilicus : ubera : caput : assimilata palmæ : dilecti et dilectæ consensio : mane surgamus : poma nova et vetera.

1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Juncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

tis, ut auroræ illucescenti comparetur, quod poetis etiam cæteris usitatum, ut Q. Catulo de Roscio, noto epigrammate, Theocrito de Helena, et aliis. « Pulchra ut luna ; » crescit comparatio de aurora ad lunam. « Electa ut sol : » soli sponsa comparatur, ut sol sponso thalamo egredienti, Ps. XVIII. 6. Quæ igitur mane pulcherrima apparent, aurora, luna sæpe, mox sol oriens luce purissima, prodeuntis sponsæ pulchritudinem ac splendorem exprimunt. « Terribilis ut castrorum acies : » vide supra 3.

10 « Descendi in hortum. » Hic sponsus : profectus, inquit, eram in hortum, curaturus arbores; consistere non potui, coactus sum ad sponsam quam citissime regredi. « Hortum nucum. » Vidimus alium sponsi hortum, qui erat florum et aromatum; propter quem pascebat oves inter lilia, supra VI. 1. Hic hortus fructuum est, ubi nuces, poma, vinea, mala punica.

11 « Nescivi : » nihil videbam amore turbatus. « Anima mea conturbavit me : » anima mea posuit me quadrigas Aminadab. Heb. Curriculo reversus sum, quasi citatissimis quadrigis invectus : quales videntur fuisse Aminadab equis velocibus nobilis, sive ille peritus auriga. Alii vertunt; quadrigas populi mei nobilis; quales scilicet nobilissimi habere solent.

12 « Revertere. » Alia parte discedentem sponsam, nec absente sponso ferentem hominum conspectus, puellæ revocant, ejus aspectu delectatæ. « Sulamitis : » pacifica : nomen fœmininum eadem origine et notione ac Salomon, ad ejus uxorem designandam, quæ jam ut dilectissima nota esset. Aquila vertit pacificam, teste Theodor. hic qui legit ut nos, Sulamitem; non Sunamitem, ut Græcum hodiernum, nullo sensu.

1 « Quid videbis : » videbitis : Heb. ad puellas. Audito enim sponsæ nomine, exsilit sponsus, et ad eas conversus : quid in ea, inquit, videbitis nisi læta omnia ut in choris, composita ut in castris? « Quam pulchri : » sponso accinere videtur puellarum chorus. « Pulchri gressus tui : » id est, gratus accessus, ut pulchri pedes evangelizantium pacem. Atque etiam laudantur pedes calceamentis ornati. « Filia principis : » ducis, Theodor. ex Symm. Pharaonis. « Juncturæ femorum : » qua parte genibus committuntur ; quæ commissura exquisitissimi est operis. Alii ex Heb. moduli ambitus femorum, qui sub veste tenui vento agitata et corpori applicita, appareant. « Sicut monilia : » id est, affabre facta, apte tornata.

2 « Umbilicus tuus. » Hac minutissimarum etiam corporis partium enumeratione, docet Gregorius commendari misericordiam Dei, quod egregius artifex in præstantissimo opere nihil negligenter egisse videatur. Greg. procem. in Cant. Si autem tanta fuit cura elaborandi corporis, quanto magis in anima quam diligit nihil inornati reliquit? sed hæc ad spiritualem sensum ; nunc ad litteram, Umbilicus, trans vestem subtilem, etiam in quibusdam antiquis statuis, studiose signatus visitur. Porro orientales totum corpus, ac præsertim umbilicum, etiam valetudinis causa, unguentis perfundebant; unde crateri tornato et pleno comparatur. « Crater tornatilis : » tornatile dicitur in hoc Cantico id quod affabre elaboratum videtur, ut supra v. 14. manus illius tornatiles. « Nunquam indigens, » semper plenus, « poculis, » potione; mixtura : Heb. unguenti compositione quod LXX. vertunt *krama;* quod idem est ac *krasis*, potio mixta; unde crateris nomen. Igitur, commendato etiam umbilico, nihil prætermittitur, ut sponsa ad unguem, ut aiunt, perfecta appareat. « Sicut acervus tritici : propter figuram et ubertatem. « Vallatus liliis : » ejus candorem ex reliquo corpore æstimant : omnia florida. Hæc autem laudantur in femina liberius a puellis, cum quibus et lavari potuerit; quæque una pulchritudinis admiratione teneantur, non ullo alio sensu : sic scriptor decoro servit.

3 « Duo ubera : » supra IV. 5.

4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

5. Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.

6. Quam pulchra es, et quam decora, carissima, in deliciis!

7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.

8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus; et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut malorum.

9. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.

10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

4 « Collum tuum sicut turris eburnea : » figura, rectitudine, candore. « Oculi tui : » oculi tui fontibus splendissimis splendidiores. « Ain » Heb. et oculum et fontem significat : Hesebon civitas regia, Jos. XIII. 17. in cujus porta duo perlucidi fontes fuisse memorantur. « Filiæ multitudinis. Bath-rabbim ; » nomen urbis ac portæ ad eam urbem. « Nasus tuus sicut turris Libani : » cum caput monti comparetur, ℣ seq. recte nasus turri eminus prominenti : nasus autem altos spiritus, et formæ dignitatem exprimit.

5 « Caput tuum (Heb. LXX. super te) ut Carmelus ; » ut Carmelus e campis ; ita caput tuum ex humeris exsurgit, montis instar editi, floribus ac ramis virentibus coronati. Vittas indicat capitis, ac florum coronas. « Comæ sicut » purpura : purpuræ comas comparat, non colore, sed textura : et vox, « argaman, » purpura, a texendo deducta. LXX. Plexus capitis tui purpura. « Purpura regis : » exquisitissimæ texturæ ; nec absurdum comas purpuræ comparari, propter intextos purpureos flores ; purpureas vittas. « Purpura... vincta canalibus : » in purpurariorum canalibus alligata, ut bis tingatur : Heb. comæ capitis tui ut purpura ; rex vinctus in tignis. LXX. congruunt nisi quod pro tignis habent : rex vinctus in transcursibus, quod hebraice radici congruit : rex vinctus in crinium plexibus, nodisque ; ac vitiis hinc inde circa caput currentibus : quod scilicet supra IV. 9. dixerit : « vulnerasti : » sive surripuisti « cor meum in uno crine colli tui : » in tignis autem juxta Heb. intelligi potest, quod ut tigna in laquearibus, sic nodi crinium, vittæque summo capite se protendant ; sive alludit ad quemdam nectendæ capillaturæ ritum a tignis appellatum alicujus similitudinis causa, qualia bene multa sunt in ornamentis muliebribus.

6 « Quam pulchra es. » Hic sponsus loquitur, ut ℣ 8. satis indicat. « Carissima, » caritas, amor meus, ut supra II. 7. III. 5. « In deliciis : » voces mollissimæ, ac tenerrimi affectus ; dum enim canunt comites, sponsus in delicta defixus, et hoc intuitu et earum cantibus inardescit, inclamatque istud flagrantissimo amore : « Quam pulchra es ! »

7 « Statura tua assimilata est palmæ : » eo quod sit procera et recta. « Ubera tua botris : » vineæ quæ palmæ adhæreat, ex ℣ seq.

8 « Dixi : Ascendam in palmam : » irruam in amplexus. « Apprehendam fructus ejus : » ramos, palmites : Heb. tenebo implicitam : addit ubera, ora, fontesque omnes dulcedinum. Sic ipse in Proverbiis, v. 18, 19. « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ... ubera ejus inebrient te... in amore ejus delectare jugiter : » Quæ præcipiebat ut ab amore adulteræ averteret ; unde subdit : « quare seduceris, fili mi, ab aliena ? » ut hoc quoque ad bonos mores pertinere suo modo videatur, apud antiquum certe populum ; cum nunc altiora moneat Paulus : nempe « ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint.., et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. » I. Cor. VII. 29. 31.

9 « Guttur tuum ; » o sponsa, vox tua, eloquium tuum, « dignum dilecto meo : » vadens amico meo directe : Heb. eadem locutio in Proverbiis, XXIII. 31. ubi Vulgata habet ; « ingreditur blande, » vinum facile et jucunde potabile amico meo cuilibet : eadem vox, « Dodi, » supra v. 1. ubi Vulgata habet : carissimi : ne quis de solo sponso eam intelligat. « Labiisque et dentibus : » loquens labiis dormientis : Heb. sermo tuus, o sponsa, mihi tam suavis est, quam suave esse solet amico meo optimum vinum, quo epoto dormitantis instar, somnolenta et incondita loquitur : sic se sponsæ intuitu ac blanditiis in eumdem morem ebrium esse significat.

10 « Ego dilecto meo : » sponsi respondet votis. « Ad me conversio ejus : » appetitus ejus Heb. cupido : sicut in Genesi III. 16. de prima muliere : ubi Vulgata vertit : « sub viri potestate eris : » eadem ubique vox, « Thesuca : » id quod Græci *pothon, imeron, philoteta* nominant : Homerus et Theocritus passim. Summa : pendemus alter ab altero, invicem ardescimus casto et conjugali amore vehementissimo ; nec requies, nisi fruamur optatis amplexibus. Quo fine quintum diem claudunt : ut supra II. 6. infra VIII. 3. novumque exoritur rerum ac sermonum initium.

Jam ut ad altiora et cœlestia, his quasi gressibus, provehamur, sublimis anima non tantum

11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.
12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores parturiunt: si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera mea.
13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma; nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

sponso, sed etiam adolescentulis miraculo est, et quidem laudare cœperant supra III. 6. procedentem vaporis instar thuris odoratissimi. Nunc undique splendescentem altiori carmine concelebrant, ut auroram, ut lunem, ut solem, ut castrorum terribilem hostibus aciem, galeis et scutis percutiente sole fulgentibus, VI. 9. vocaturque Sulamitis ex ipsius Salomonis deducto nomine, VI. 12. VII. 1. ac pulchritudo ejus mirifice commendatur, ut quæ sit perfectissima in minutissimis quoque partibus, VII. 1, 2. erectoque in cœlum, instar turris ac montis, habitu: 4, 5. Hæc maxime congruunt Ecclesiæ, Christi nomine nuncupatæ ac veræ pacificæ, quæ electos omnes unitate sua ac pace complectitur; in ea igitur sunt chori, ut scriptum est: « Sicut lætantium omnium habitatio est in te; » Ps. LXXXVI. 7. armorumque terror, verbum Dei scilicet, quo percutiuntur impii. Eamdem ad se adventantem novi populi consalutant. « Quam pulchri sunt gressus tui! » VII. 1. « Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » Isa. LII. 7. Rom. X. 15, beatamque proclamant, quod cœlesti unctione perfusa, in Christi nomen transeat, ac numeris omnibus absoluta sit. Unde illa studiosa enumeratio partium quam vidimus, ne omisso quidem umbilico ac ventre, femorumque juncturis: v. 1, 2. Præcisus umbilicus justificationem a peccato significat; sicut scriptum est: « Radix tua... de terra Chanaan: et... in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem. » Ezech. XVI. 3, 4. Sensus ergo: ut præcisum umbilicum corpori, ita præcisa peccata, Ecclesiæ decori vertere; multamque gratiam, ut mixturæ optimæ plenitudinem, loco peccati induci: juxta illud: « ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: » Rom. 5. 20. Neque obscurum, ventrem acervum tritici appellari, propter Ecclesiæ feracitatem: vallatum autem esse liliis, propter candorem castitatis, eo quod Ecclesia tam casta quam fœcunda sit. Hanc qui amat, vestibus quoque ejus et calceis (ibidem) filiæque regis fimbriis, ipsisque adeo ritibus ac cæremoniis delectatur, mira undique veritatis luce perfusis, et agnoscit ubique, et per omnia pulchram, in qua ubique sit Christus, « ex quo totum corpus compactum et connexum est; » Eph. IV. 16. sed maxime in juncturis (ibid.), qua parte membra cohærent, atque coaptantur sicut addit Paulus: « Per omnem juncturam subministrationis... augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate. » Duo horti sponsi, alter florum, alter fructuum, VI. 1, 10. designare videntur in Scripturis quæque oblectent animum, quæque nutriant. Hortum nucum interpretatur Ambrosius eum, in quo fructus est propheticæ lectionis et sacerdotalis gratiæ, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Lib. III. de Virg. Augustinus autem passim figura nucum significat arcanos Scripturæ sensus, qui nonnisi effracto nucleo extundi possint. Christus autem cum interdum a sponsa secedere videatur, tamen ultro redit, quasi amoris impatientia victus, ỳ 1. eique arctissimis amplexibus adhæret. ỳ 8. Quid sit autem Christo, amare, ac frui castis animabus, agnoscet qui intelligit illud: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum: » Prov. VIII. 31. et illud: « in caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans: » Jerem. XXXI. 3. et illud: « convertimini..... quia ego vir vester: » ibid. III. 14, illud denique: « Et vidi te: et ecce tempus tuum tempus amantium: et expandi amictum meum super te... et facta es mihi: » Ezech. XVI. 8. Quod quidem quid est aliud, quam uxorem duxi te, et potitus sum tui? Addamus illud Pauli: « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo, » II. Cor. XI. 2. Fruitur etiam Christus piis animabus per verbi dispensatores, cum eorum obedientia delectati, dicunt: « Ita frater: ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino: » Philem. 20. et alia sexcenta. Per guttur sponsæ optimo vino comparatum, sermo Ecclesiæ, id est, prædicatio Evangelii, quod ipso novo vino et generoso Christus comparat: Luc. V. 37.

SEXTA DIES.

11 « Veni, dilecte mi, egrediamur. » Significat receptos domum, sed ubi illuxisset statim egressuros, initio scilicet sextæ diei. « Egrediamur in agrum. » Novum id ac singulare hac die, quod non sponsus ut antea solus domo profectus, postea experrectam sponsam ad agros invitet, ut supra II. 10. sed ipsa sponsa sponsum; quasi pertæsa urbium turbæque, ac solitudinis amans ubi eum liberius amplexetur. « Commoremur. » Novum vitæ genus instituunt: non enim, inquit, jam ambulemus per agros, sed commoremur deinceps, ac pernoctemus.

12 « Mane surgamus ad vineas. » Mature surgamus, ut ruris amœnitate perfruamur. « Ibi dabo tibi ubera mea. » Amores meos, ut supra. Liberior scilicet, ipsaque amœnitate ruris, atque auræ suavitate, hortorumque silentio et arborum umbris incensa in amorem.

13 « Mandragoræ: » quæ odorata radice celebrantur. « In portis nostris: » ad ostia: Hebr. pro foribus omne fructuum genus, nec longe exquirendi. Cum scilicet non in urbe jam, sed in ipsis hortis agrisque versabimur. « Nova et vetera. » His ingens copia designatur, sicut scrip-

CAP. VIII. Oscula palam : in domum matris : me docebis : amplexus : ascendit de deserto : super dilectum : sub arbore malo : signaculum : dilectio : æmulatio : flamma inextincta : soror parvula : vinea : fac audire vocem tuam : fuge.

1. Quis mihi det te fratrem meum surgentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te; et jam me nemo despiciat?

2. Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ; ibi me docebis; et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

3. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

4. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

5. Quæ est ita, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

tum est : « Comedetis vetustissima veterum ; » Levit. XXVI. 10. et alibi : « profert de thesauro suo nova et vetera : » Matth. XIII. 52. « Servavi tibi : » in tanta copia, adhibita quoque diligentia et delectus : gratiora futura sponso, quæ sponsa ipsa selegerit, ac sponso reposuerit.

1 « Fratrem meum : » ut fratrem : Hebr. « Sugentem ubera : » fratrem uterinum, eadem matre genitum et lactatum, eoque cariorem. Amantes enim nullo non necessitudinis nomine delectari vidimus, ℣ 2. optat etiam eum, tam libere amplexari ac deosculari posse, quam fratrem infantulum. « Me nemo despiciat : » nemo exprobret, aut contemnat, tanquam nimis amori indulgentem.

2 « In domum matris meæ : » vide supra III. 4. Etsi enim palam amplexari liceat, tamen ipso arcano delectatur magis. « Me docebis : » proba mulier, viroque ut decet obediens, ab ipso eruditi cupit. Sic mulieres jubentur domi viros suos interrogare, I. Cor. XIV. 35. Sic apud Xenophontem Iscomachus uxorem domi seducit et docet : Xenoph. Œcon. « Et dabo tibi poculum. » Inter loquendum, suaves liquores propinabo.

3 « Læva ejus : » hic diei finis, ut supra. II. 6.

Hic sublimis anima inducitur uno jam amore occupata, quoque magis oculis omnium splendet, eo magis latebras, dulcemque secessum cum sponso quærens, instar Mariæ, quæ audit a Domino : « porro unum est necessarium : » Luc. X. 42. Tales fuere prisci illi anachoretæ, qui Joannis Baptistæ exemplum secuti, longe a convictu etiam piorum, uni Deo vacare totis animi viribus studebant: Hic igitur omnia mutantur in melius : adestque copia non modo florum, sed fructuum, pomaque vetera et nova, dum fructus fructibus, virtutes virtutibus superveniunt. Hoc statu anima audacior facta, ac velut sui impos, palam etiam amori indulgere cogitur, nec tenere se potest : fitque illud quod ait Paulus : « sive mente excedimus Deo, » II. Cor. V. 13. « caritas enim Christi urget nos : » ibid. 14. et illud, « os nostrum patet ad vos, o Corinthii: cor nostrum dilatatum est. » ibid. VI. 11. et illud : « vivo ego, jam non ego, » Gal. II. 20. Qualia multa sunt in vitis Patrum. Optat tamen cubiculum, ubi sit in abscondito, Matth. VI. 6. et secus pedes Domini posita, docentem audiat intus potius quam foris. Luc. X. 39. Unde merito sequitur amplexus suavissimus, et altissimæ contemplationis quies, sequente postremo die.

Neque hic desunt Ecclesiæ dotes, mane surgentis excitantisque pastores, ut explorent commissam sibi vineam, ubi flores, ubi fructus, ubi etiam virtutum radices per mandragoras designatæ : VII. 11, 12, 13. qua diligentia optima nutrix ubera sua impleat, ac plena Christo porrigat : nova etiam veteribus cumulet, Apostolos et Martyres, Patriarchis, Prophetisque subjungens, nova semper prole nobilis, Judæis etiam ad extremum Domino reservatis.

SEPTIMA DIES.

4 « Adjuro vos. » Sponsus ut solet, ad auroram excitatus, sponsæ adhuc quiescenti consulit, ut supra II. 7. III. 5. incipitque septima et ultima dies.

5 « Quæ est ista ? » Igitur ineunte die sponsa prodit, ac solita puellarum admiratione excipitur, ut supra III. 6. VI. 9. Videtur autem esse sabbatum. Unde, quod hactenus non vidimus, cum sponsa sponsus ipse procedit. Aliis enim diebus, sponso ad rustica opera summo mane profecto, ipsa thalamo procedebat sola. Tum hic nihil operis, non horti cultio; non ad pascua deductum pecus. Inter se tractant : cum amicis versantur, simul ut in die festo in publicum prodeunt : exoritur pariter altior status. Neque jam commendatur sponsa ex odoratis vestibus; aut ex cultus splendore, ac formæ gratia; sed quod una cum sponso ejus manu prehensa pro-

6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

8. Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

10. Ego murus; et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos; tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

cedat, eoque innixa, jam beatissima sit. « Sub arbore malo suscitavi te. » Excitavi a somno : Hebr. sponsum scilicet ipsum ; aitque se, cum primum illum vidit dormientem sub illa arbore conspicatam, ibique exarsisse in flammas, neque temperare potuisse, quin ludibunda exagitaret, et e somno excitaret formosissimum juvenem. Addit sub illa ipsa arbore natum esse, ut in ejus veluti natali umbra libentius conquiesceret. Quarum rerum suavissima est amantibus recordatio : ut est illud poetæ, eclog. 8. « Sepibus in nostris, » etc. « Ibi corrupta est.. .. violata est, » enixa : Hebr. eadem voce repetita. Ita et LXX. bis habent *ôdinéssé* neque abludit a vero rusticanam mulierem, qualis hic fingitur, dum ruri occupata discurrit, sub obvia arbore peperisse. Martial. VI. epigr. 64. de Curione, quem

dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice conjux.

Quidni etiam hæc sponsa finxerit, tali sub arbore, tam pulchra, tam frugifera; tam florentem, tam virentem te nasci oportebat. Potest et Vulgata retineri, eodemque recidit, ut ibidem conceptus sit pastor sponsus; sive ibi ortus sit parentum amor, unde ipse conceptus est, pastoribus pro more sub arbore ludentibus. Hæc igitur amori congrua, divinisque mysteriis servitura, ex moribus vitæ pastoralis finxerit, vel, si mavis, ad occultam alluserit historiam.

6 « Super cor tuum : » sponsa prosequitur; est enim Hebr. pronomen masculinum. Tam cupio pectori tuo et brachio adhærere, quam sigillum ceræ, ut vel minimum a te divelli, sine gravissimo cruciatu, non possim. Mox amoris, æmulationisque cruciatum exprimit, ut quæ hujus aliquid experta sit, supra III. et V. gravioraque sentiat ex amoris impatientia incumbere. « Lampades : » prunæ : Hebr.

7 « Aquæ multæ : » sic amor exercetur, et tamen vincit.

8 « Soror nostra, » mea, quam tu quoque mei gratia ducis tuam. « Ubera non habet : » nondum nubilis est, adhuc impubes : sic « ubera tua intumuerunt, » Ezech. XVI. 7. « Quando alloquenda est : » quando de ea loquendum est : Hebr. de ea scilicet nuptui collocanda. Et ita Ambrosius in Psalm. CXVIII. oct. 22. Sponsum omni fiducia complexa, de rebus familiaribus cum eo consilium habet, minoremque sororem commendat.

9 « Si murus est.... propugnacula argentea : » turriculas. Alii, coronidem argenteam. Respondet sponsus : si solido est ingenio, conjungamus eam viro nobili et opulento, qui sit domus ornamentum et propugnaculum « Si ostium est, compingamus, » muniamus « illud. » Si levi est ingenio, et versatili, sapienti viro, virtute incorrupta, tradamus, qui firmiter coerceat.

10 « Ego murus. » Sponsa talem se esse gloriatur, qualem sponsus designabat, murum solidum, formaque et ætate viro gratissimam. « Ubera mea : » quasi diceret : non ego sine uberibus, ut soror; mea eminent ubera « sicut turris : » Hebr. LXX. sicut turres : quæ stant annexæ muro, pulchri operis appendix pulchra. « Quasi pacem reperiens : » inveni gratiam apud illum.

11 « Pacifico, » Salomoni : Hebr. LXX. « In ea, quæ habet populus : » in « Bahal hamon : » nomina propria : ita et LXX.

12 « Vinea mea » (quæ mihi : Hebr.) « coram me est, Pacifici : » Hebr. pacifice, o Salomon : ita et LXX. His duobus versibus loquitur sponsus ut pastor, qualem se hac ecloga finxit. Nihil ego, inquit, invideo Salomoni ; non me regiæ opes, non regii fundi capiunt; habet quidem rex Salomon agros, vites, cellas vinarias, quique iis præsint; habet vineam quæstuosissimam, partem regii patrimonii haud ignobilem ; forte vineam Engaddi balsamo insignem, I. Paral. XXVII. 27. sed vinea mea præsens mihi est, nempe sponsa. Habe tibi, rex Salomon, vineam tuam, ac ducentos vinitores tuos quos mille argenteis annuis dones, ad demonstrandam vineæ nobilitatem ; mihi sponsa sufficit, hæc una mihi possessio est. Cur autem ex tot regiis opibus, hortis, palatiis unam vineam commemoret, in promptu est; rusticanæ enim personæ quam agebat nihil est commendabilius agris, rure, vinea.

13. Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.

14. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.

13 « Quæ habitas in hortis : » ex flagrantissimo amore petit, ut dum in hortis est, omnesque ei silent, voce suavissima canat.

14 « Fuge, dilecte mi. » Hanc quidem illa orditur suavissimam cantilenam; simul canendo indicat se, non multis, sed uni canere velle, ac vivere; tanquam diceret : Amicis canere me vis ? non ego ita affecta sum ; nequeo ferre turbam ; pete velox loca sola ac remotissimos montes; tui me oculi premunt; quo ferme sensu ipse dixerat : « averte oculos tuos, » supra VI. 4. secessu opus est ut tantos ignes exhalare possim. « Montes aromatum ; » odoratis plantis plenos, quales fuisse montes Bether diximus, II. 17.

Hic sponsa, seu sublimis anima, in gradu caritatis perfectissimo apparet; nihil jam verita, neque diffisa formæ, ut cum dicebat : « nigra sum ; » innixa dilecto, in ejus amplexus resoluta, eique plane et familiariter incumbens; quippe quæ ad eam pervenerit caritatem, quæ « foras mittit timorem, » I. Joan. IV. 18. deliciis affluens propter eam pacem, « quæ exsuperat omnem sensum, » Phil. IV. 7. Recordatur autem arboris, sive crucis, in qua Christum dormientem, seu mortuum suscitavit, fide resurrectionis. Neque id prætermittit, sub arbore item Evam, totamque adeo naturam humanam fuisse maledictam atque corruptam; sub qua etiam arbore natura eadem, eadem Eva salvatorem ex sua venturum propagine jam spe enixa est, promittente Domino, « inimicitias ponam.... » Gen. III. 15. « ipse conteret caput tuum, » secundum LXX. sive « ipsa, » mulier, edito Christo. Tantæ igitur calamitatis, tantique beneficii memor, sanataque, ut Ecclesia canit, per arborem, a malis ex arbore prognatis, magis magisque incumbere vult dilecto, ejusque hærere brachiis, imprimique pectori, more Joannis quem Dominus diligebat, in ejus pectore recumbentis. Tum significat sponsa amoris ardorem vehementissimum, summosque cruciatus. Tulis est enim vitæ præsentis etiam perfectissima, Deoque conjunctissima caritas; coarctatur anima plene cum Christo esse desiderans et quadam æmulatione succensa, reliquiis culparum, et vel minimis inolitæ concupiscentiæ maculis, et ipsa carnis infirmitate torquetur. Amor tamen prævalet instar ignis indefessi, quem nulla vis aquorum extinguat : dicente Apostolo. « Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio ? » etc. Rom. VIII. 35. « Unde sponsa : « aquæ multæ non potuerunt, » etc. VIII. 7. indicatque se pro sponso passuram mille mortes; ac martyrum præcinit fortitudinem; subditque : « Si dederit homo omnem substantiam, » etc. ad commendandam pariter eorum gloriam, qui dixerunt : « Ecce nos reliquimus omnia; » Matth. XIX. 27. Neque sui tantum sollicita est anima conjugata Christo, ejusque amore fruens; sed sororum infirmiorum profectui invigilat, easque sponso mira libertate commendat, a quo etiam docetur quæ cuique animæ adhibenda cura sit. 9. Sororem parvulam S. Thomas intelligit nascentem sub apostolis gentium Ecclesiam. Hoc autem loco sponsa mirum experitur Christi in vinea sua, ipsa scilicet anima excolenda studium, utpote quam et diligat, et apud Isaiam non modo plantet, sed etiam sepiat, muniat, custodiat, et relictis omnibus unam curet, Isa. V. 2, 4, 7. Quo Ecclesiæ catholicæ unitas commendatur. Hic primum ipsa sponsa mirifice se extollit. « Ego murus, » ỳ 10. nixa scilicet sponso, quæ in se sunt dotes, eas, non ut suas, sed ut sponsi prædicat, ubi necesse est. Sic Paulus : « Abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. » I. Cor. XV. 10. et ille : « Multam inveni in me sapientiam, et multum profeci in ea : danti mihi sapientiam dabo gloriam. » Eccli. LII. 22, 23. Addamus Ecclesiam vere murum esse super petram fundatum, vallatumque pariter, et ornatum gemino præcepto caritatis. Denique sponsus invitat ad canendum suavissimum amoris canticum, quo amici quoque ad amorem rapiantur. Illa canit, « fuge, » quod et Ecclesiæ est, Christum ascendentem in cœlum, sed tamen rediturum laudibus prosequentis; et sublimis animæ, quæ Christum experta sæpe recedentem, et cum maxime teneri videtur, elapsum, amorisque negotium ipso discessu exercentem, ac tum maxime liberalem, adhortatur ad ejusmodi misericordissimam fugam. Dici etiam potest amoris delectatione victam, tantum pondus ferre non posse, quemadmodum ille dicebat : « Satis est, Domine, satis est : » et illa : « aut pati aut mori. » Licet autem admirari miras amoris vicissitudines, cum alibi absentiæ tædio desolata, exclamet anima : « Revertere, » caprea hinnuloque velocior, II. 17. hic castarum deliciarum torrente inundata, nec sese ipsa capiens; clamare cogatur : « Fuge, dilecte mi. » Fuga autem indicitur super montes aromatum, ut cum sponsus seipso semper excelsior, refugisse visus sit in quamdam immensæ suæ perfectionis arcem, ab ea tanquam ab inaccesso monte sponsa prohibita, ejus tamen quodam odore recreetur. Nec prætermittam illud Ambrosii, lib. III. de Virg. Nescit habitare, nisi in sublimitate virtutum; nescit commorari, nisi in talibus Ecclesiæ filiabus, quæ possunt dicere : « Christi bonus odor sumus. » II. Cor. II, 15.

SUMMA ET CONCLUSIO OPERIS.

Hic igitur ordo septem dierum. Perpetuum illud : Sponsa conjuncta Christo, et æterno

amore flagrans. Ili gradus. Primo quidem die, anima formæ diffidit suæ, ejusque vitia excusat, atque iis quæ sensus magis afficiunt, pietatis illecebris ac veluti blanditiis delectatur Secundo : conversa recens ad perfectioris vitæ studium, in ipsis conversionis initiis, anteactæ vitæ tot peccatis obnoxiæ commemoratione, ac tædio, novæque deliciis a sponso invitatur ad solitudinem, reliquiasque cupiditatum exterminat. Tertio die : incipiunt amoris exercitationes, inflammatur sponsa, fitque perfectior. Quarto : exercitatio vehementior est, graviorque cruciatus, animæque non tantum gratia, sed etiam robur additur, ac vis qua et hostium impetus frangat, et supra perfectissimas animas extollatur. Quinto : non tantum sponso, sed etiam cæteris omnibus, miraculo est. Sexto : quo splendidior est, eo magis ad solitudinem properat, eoque jam ipsa sponsum ultro invitat, ut amori liberius ac sine ulla interpellatione serviant, ac plenius ipsa doceatur. Septimo : in sponsum recumbens, velut suavissimo sabbato, conquiescit.

Recordemur autem hic semper agi de anima perfecta, et conjugata Verbo, quæ jam osculo digna sit, beatisque amplexibus; sed tamen in Christum magis magisque crescat, ut Paulus : « Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum. » Philip. III. 13. At cave hic tu mihi cogites animam per septem gradus certa methodo ac necessario deductam, in aliquo demum statu consistere. Hoc enim duntaxat apparet in hoc Cantico, quamcumque animam spiritus agit, eam continuis incitamentis ad ulteriora propelli, ut ea ipsa, quam Scriptura perfectem appellat caritas, seipsam supergressa, novis subinde conatibus in Deum assurgat. Huc etiam pertinet Cantici finis : « Fuge, dilecte mi, super montes aromatum. » Quæ quidem sic dicta sunt, ut eum quo magis comprehendi putatur, eo sublimiorem visum, et quasi fugientem, ipsa pro viribus secutura sit.

Ex hoc Cantico Ecclesia, Patres ac præsertim sanctum Ambrosium eo in argumento copiosissimum secuta, multa transtulit in Mariam : ut hæc, « vox turturis, » vox Mariæ dicentis : « Ecce ancilla Domini : » et, « Magnificat anima mea Dominum : » Luc. I. 38, 46. vox suavissima, quæ Joannem in utero matris latentem exciverit, ut Dominum ejusque matrem, velut tripudiis salutaret. Et illud, « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea, » omnique odore odoratior castitas, invitavit eum. Et illud, « Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum. » Et illud, « Tota pulchras es. » Et illud, « Videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua. Coronavit enim..... quando generavit, » inquit Ambrosius; de Inst. virg. 16. n. 98. « tamen » hoc ipso « quod ad omnium salutem eum concepit et peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit : » aliaque innumerabilia, quæ sublimioribus animis convenientia, eo magis Mariæ congruunt, non tantum accommodatione pia, sed etiam ad litteram, quo inter sublimissimas ac perfectissimas animas sublimissima ipsa ac perfectissima est.

Nihil autem attinebat ullam hic a Salomone, Dei aut Christi fieri mentionem, cum Christus totius allegoriæ, atque eclogæ sit ipse argumentum, absurdumque sit, rei figuratæ nomen parabolæ inserere. Cæterum allegoriæ vim satis demonstrat, non tantum communis synagogæ, christianæque Ecclesiæ traditio, sed etiam Paulus, Joannes in Evangelio et Apocalypsi, Christus ipse, dum passim ad divinissimi Cantici sensus ac verba respiciunt, sponsique et sponsæ mysteria celebrant, ut hanc parabolam non unus, aut alter Scripturæ locus, sed tota Scriptura edisserere videatur. Et quandoquidem is est Cantici fructus, ut Christum amemus, libet attexere Christi amorem spirantes sancti Ambrosii voces : antiq. edit. lib. III. de Virg. nov. edit. lib. de Virg. cap. XVI. num. 98. ut carmen amatorium in egregii amatoris affectus desinat. « Omnia, inquit, habemus in Christo; omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus ægra peccatis, sive clavis quibusdam secularis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis aliqua sit jam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est; et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. « Gustate » igitur « et videte, quoniam bonus est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo. » Psal. XXXIII. 9.

PRÆFATIO

IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

I. Quatenus liber iste Salomonis habeatur. — II. De auctore et ætate libri incompertum. — III. Libri divisio in duas partes; primæ partis documenta — IV. Documenta secundæ partis. — V. Divina libri auctoritas.

I. Librum hunc, regis Salomonis nomine, scriptum esse constat ex his verbis : *Tu elegisti me regem populo tuo .... et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*, (cap. IX. 7, 8.) quem etiam multi Patres græci, latinique Salomoni tribuunt, atque apud Græcos *Sapientia Salomonis* inscribitur : qui titulus diutissime etiam apud Latinos valuit. Nam in Carthaginensi concilio III. cap. 47. et postea in decreto sancti Innocentii I. inter Scripturas canonicas quinque Salomonis libri recensentur. Primus Gelasius in concilio Romano I. decreto de Apocryphis sic inscripsit : Salomonis libri tres, Sapientiæ unus, Ecclesiastici unus : quam inscriptionem latini postea secuti sunt codices. Eatenus autem Salomonis esse creditur, quod ejus sensus, non tamen compositionem aut verba contineat : neque enim tantum, ut ait Hieronymus (Præfat. ad Heliod.) græcam eloquentiam redolet, verum etiam sapit sophisticem illam sonam et eruditam, quæ sub Macedonum regum imperio, toto Oriente, ac præsertim Alexandriæ viguit. Deo enim visum est, hunc etiam stylum, ab hebraica licet simplicitate abhorrentem, divinis oraculis conscribendis dicari, consecrari, ut sapientia illa cœlestis, omnium hominum ac temporum sensibus et gustui sese accommodaret, quod etiam secundus Machabaicæ historiæ liber luculenter ostendit.

II. De auctore libri nihil est memoriæ proditum, præter illud beati Hieronymi, loco mox laudato. Nonnulli scriptorum veterum, illum esse Judæi Philonis affirmant, filius scilicet, quem Josephus (lib. I. cont. Appion.) Demetrio Phalereo supparem memorat : neque quidquam comperimus, quo ea conjectura firmetur. De Philone vero Alexandrino, scriptis post æram christianam editis notissimo, quod nonnulli memorant confutatione non eget; adeo et ætas, et auctoritas, et ipse stylus discrepant.

De scriptionis tempore æque incompertum. Sane Ecclesiastici liber ad ea pertinet tempora, quæ Machabaicis propiora videantur, ut suo ostendemus loco. Sapientiæ liber nullam præfert temporum notam, neque quidquam aliud, quam quod ante Ecclesiasticum in Scripturarum canone collocetur : quanquam Hieronymus in sua Præfatione testatur, se vidisse codices, in quibus Sapientia sub Ecclesiastæ nomine secundum obtineret locum, Ecclesiastico

Siracidæ Parabolarum titulum præferente, addito et altero Cantico Canticorum, ad Salomonis exemplum.

III. Sapientiæ liber duas habet partes. Prima est commendatio sapientiæ usque ad caput IX. quo capite incipit prolixissima, atque ad finem usque libri deducta precatio, qua prisca historia recolitur, atque in tuenda pia gente, ejusque hostibus ulciscendis, divinæ justitiæ ac sapientiæ arcana, ab ipsa rerum origine reserantur.

Prima illa pars duo habet imprimis, quibus hujus libri divina ac prophetica commendetur auctoritas; alterum est de Christo patiente manifestissimum vaticinium, consonum Evangelistis, nec semel a veteribus memoratum; (cap. II.) alterum, de increatæ Sapientiæ nativitate ac dotibus præclara documenta quæ Salomonica illustrent, ipsi Paulo facem præferant, ut suo notatur loco. I. VII. VIII.

Huc accedunt egregia illa; mortem non a Deo, sed a peccato esse, et diaboli invidia introductam, I, II. et tamen usque adeo beneficentiæ vertere, ut cita morte eripi ab hujus vitæ malis ac periculis, pars sit vel maxima divini muneris. IV.

Quem ad locum pertinet illa perspicua, ac veteris testamenti conditionem propemodum supergressa, de futuræ vitæ bonis atque suppliciis revelatio, quæ evangelicæ veritati viam parare videatur, Deo ita providente, ut quo propior erat Christus, eo copiosius atque illustrius arcana cœlestia panderentur. (cap. III, V.)

Insigne etiam illud de casti connubii, imo etiam de sanctæ continentiæ fructibus, deque imminente adulterorum soboli ultione. (III. IV.) Neque prætermittendum id, quod est vel maximum, et ad hujus libri assequendum institutum, imprimis memorabile, nempe hunc directum esse, ac veluti inscriptum, dedicatumque regibus, optimatibus, judicibus. Unde illud initium: *Diligite justitiam, qui judicatis terram,* (I. I.) patefacto etiam arcano, potentes potenter tormenta passuros, et judicium durissimum his qui præsunt fieri. (VI.)

IV. In illa precatione, qua divinissimi libri postrema pars continetur, primum illud: veram sapientiam, quæ continentiæ quoque nomine appelletur, Dei esse donum. (VIII. 21. IX. 4, 9, 10.) Hinc ad finem usque libri, decursa Pentateuchi historia edocemur, qua mente, quo fructu sacra legatur historia; considerata scilicet divina sapientia, quæ suis semper consulat, ulciscatur malos; quo loco hanc habemus divinæ justitiæ, æternæque legis regulam; per quæ quis peccat, per hæc et torqueri; (XI. 17.) impiosque sibi esse supplicio, et convenientissimis affici pœnis: tum illud præclarissimum; Deum parcentem omnibus, non uno semel ictu, totaque effusa ira conficere adversarios, sed lente et paulatim, ut ad pœnitentiam provocet; nec nisi contumaces suæque misericordiæ contemptores adigat ad interitum; quo enim potentior, eo indulgentior, nihilque præpropere aut inordinate, sed omnia mensura, pondere, numero apta disposuit. (XI. XIII.)

V. His igitur, aliisque divinissimis atque altissimi spiritus documentis Sapientiæ liber merito a Patribus ad summum auctoritatis culmen evectus est, divinorumque voluminum canone recensitus. Jam concilii Carthaginensis III. sancti Innocentii, sancti Gelasii, Romanorum Pontificum, edita eam in rem decreta retulimus, quæ sequitur et firmat Tridentina Synodus, notissimo decreto de Scripturis canoniris. Sess. IV.

Præluxerunt antiquissimi, ac primæ etiam ætatis Patres, apud quos et Sapientiam et Ecclesiasticum, sacræ Scripturæ titulo prænotatos passim invenias, nec leviter ac velut perfunctorie; sed asseveratione ea, quæ et firmissima sit, et ad posteriora secula permanarit.

De canonicæ Scripturæ titulo, non nihil a Latinis Græci discrepare visi; interim quosdam libros a Græcis divinos ac propheticos fuisse habitos, quos tamen in canonem non referrent, vel una illa Origenis ad Julium Africanum de Susanna et aliis confirmat epistola : favet ipsum Salomonis nomen, quo non nisi divinitus inspirata volumina dignarentur.

Quod autem sanctus Hieronymus memorat, (ead. Præf.) legi quidem ab Ecclesia hos libros « ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam : » pace summi viri dixerim, non ita Augustinus : qui ad confutandam Pelagianam hæresim, passim hunc adhibet Sapientiæ locum : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus :* (Sap. IV, 11.) et illum de continentia ab uno Deo impetranda celeberrimum, (VIII. 24.) aliosque non paucos ; atque ut pariter de Ecclesiastico conficiamus, deductum ex eo libro profert egregium locum, de libero arbitrio, pari auctoritatis commendatione cum cæteris, qui vel divinissimi et maxime canonici habeantur. (S. Aug. lib. de Gr. et lib. Arb. cap. II. n. 3. Eccli. XV. 11.)

Nec mirum, cum hinc egregios locos ipse etiam Cyprianus attulerit, et adversus Judæos, opere imprimis dogmatico, quo non nisi receptissima, et a divino Spiritu dictata protulit, propheticum illud de Christo patiente testimonium adhibendum censuerit, ad confirmandam fidei veritatem.

His ergo permotus S. Augustinus eos, qui libri Sapientiæ detrectabant auctoritatem, sic castigabat : (lib. de Prædest. sanctor. 14, n. 27.) « Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum, tam longa annositate recitari, atque ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos, fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri. Ac postea, eum librum sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium, crediderunt. »

LIBER SAPIENTIÆ.

CAPUT PRIMUM. — Judices diligant justitiam : Dominus adsciscit simplices : peccatores, et simulatores repellit, 4, 5. arcana cordis penetrat : ergo a detractatione et mendacio abstinendum : mors non a Deo, sed a peccato, 13, 14, 15.

1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum.

2. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

3. Perversæ enim cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes.

4. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate.

6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor.

7. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere; nec præteriet illum corripiens judicium.

1 « In bonitate : » ut et de Deo bona omnia cogitetis, et ipsi de Deo cogitantes bona omnia sapiatis, quod magis sequenti congruit.

2 « Qui non tentant illum : » tentare Deum (quod sæpe vetitum in Scripturis) nihil aliud est quam diffidere Deo, nec verbis ejus, aut benignitati satis credere, nisi signa et prodigia, non sua voluntate, sed nostro arbitrio faciat; quod est contrarium ei quod subditur : « Apparet autem eis, qui fidem habent in illum. »

3 « Corripit insipientes : » arguit, convinci, Græc.

4 « Subdito peccatis : » peccato, Græc.

5 « Spiritus sanctus disciplinæ : » supple : magister, disciplinam inspirans; quo sensu dicitur Spiritus sapientiæ et intellectus, etc. « Effugiet fictum : » dolum, Græc. Amat enim simplices, veraces, justos, probos : non simulatores. « Corripietur, arguetur, convincetur. A superveniente iniquitate. » Ubi supervenerit iniquitas, convincetur falsi is, qui spiritu disciplinæ se jactabat prædituum; aut enim illum spiritum omnino non habuit, aut non habint ea qua eportebat animi constantia.

6 « Benignus est : » humanus, humanitatis amans, *philanthrōpos*, « Spiritus sapientiæ : » ut legit S. Aug. lib. de mend. c. 16. n. 31, sive, ut habet Gr. sapientia; id est, sapientia Dei, spiritus est hominum amans, quippe quos ad se tanta benignitate invitet ut patet Prov. VIII. « Non liberabit maledicum a labiis suis : » cum verbis suis ipse capiatur, audiatque illud a Paulo : « Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas : in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas : » Rom. II. 1. atque etiam a Domino : « Ex ore tuo te judico, serve nequam. » Sic Psal. CXXXIX. 10. « Labor labiorum ipsorum » (eorum elaborata ac fraudulenta consilia) « operient eos, » capient, comprehendent ut fossa, ut laqueus. « Renum : » interiorum, cogitationum, cupiditatum : hebraismus frequens. « Linguæ ejus auditor : » verborum, arcanorum licet.

7 « Quoniam Spiritus Domini : » ex eo quod Dei Spiritus ubique sit, et omnia sua virtute contineat, recte infert exaudiri ab eo quantumvis occultas hominum voces. Unde infert seq. ℣ 8. « Propter quod qui loquitur iniqua, non potest latere. »

9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit; sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

10. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.

11. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest; et a detractatione parcite linguæ; quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem, quod mentitur, occidit animam.

12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

14. Creavit enim, ut essent omnia; et sanabiles fecit nationes orbis terrarum; et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.

15. Justitia enim perpetua est, et immortalis.

16. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam; et æstimantes illam amicam, defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam; quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

CAP. II. Impiorum ratiocinia : post hanc vitam nihil : utendum præsentibus bonis : odiosum virum bonum : etiam Christum : de ipso prophetia, 18. quid his respondendum : ac primum mortem non a Deo, 22, 23, 24.

1. Dixerunt enim cogitantes apud se non recte : Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis;

9 « In cogitationibus impii interrogatio, » sive inquisitio, « erit : » cum latentes etiam cogitationes tam Deo notæ sint, quam si, inquisitione facta, responsa nostra audierit.

10 « Auris zeli, » sive Dei zelantis cogitationes hominum, eisque animum attentum adhibentis, « audit omnia : et tumultus murmurationum : » strepitus, susurrus quamvis occultissimus : quod sequentia produnt.

12 « Nolite zelare mortem : » atque ita vos gerere, quasi eam summo studio accessere cupiatis.

13 « Deus mortem non fecit. Creavit » enim « Deus hominem inexterminabilem..... invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum : » infra, II. 23, 24, et « Quare moriemini, domus Israel? quia nolo mortem morientis, » Ezech. XVIII. 31, 32. Unde subdit :

14 « Creavit enim » ille existens et existendi fons, « ut essent omnia, » non ut interirent; et ut salutares essent, hoc est, salutiferæ generationes mundi; elementa, plantæ, fruges; neque « est in illis medicamentum exterminii, » virus mortiferum, aut quidquam generi nostro insalubre aut noxium. Si enim ab initio tellus bonarum tantum herbarum ferax, nec nisi peccantibus spinas et tribulos germinavit; quanto magis venena aberant, sive ab universa terra, degenerantibus postea seminibus, seu quod magis crediderim, a voluptatis horto quem homines incolebant; eo quod

15 « Justitia, » in qua homo factus est, per sese « immortalis, » atque immortalitatem affert.

16 « Æstimantes illum amicam. Qui » enim « me oderunt, » ait Sapientia, « diligunt mortem. » Prov. VIII. 36. « Defluxerunt : » tabuerunt, defecti sunt viribus. « Sponsiones posuerunt ad illam; » cum ea pactum inierunt. Unde apud Isa. XXVIII. 15. « Percussimus fœdus cum morte, » quasi pacto fœdere nos ei habendos, possidendos sponte tradidimus : ac postea 18. « Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Quoniam digni sunt, » ut morti dedantur « qui » sunt « ex parte ipsius, » qui peccato commisso morti se partibus addixerunt. « Peccatum » enim « cum consummatum fuerit, generat mortem; » Jac. I. 15. et, a quo quis superatus est, hujus et servus est. II. Pet. II. 19.

1 « Cum tædio » vita nostra. Cavendum a tædio, unde ad sensuum obleccamenta propellimur, verisque ac suis gaudiis præoccupandus animus, juxta illud toties inculcatum : « Gaudete. Non est refrigerium, » Gr. remedium, curatio « in fine, et non est qui agnitus. » Oratio familiaris impiis : quare ille dives apud inferos : « mitte Lazarum : » et : « si quis ex mortuis ierit,.... pœnitentiam agent : » at Abraham : « Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. » Luc. XVI. 27, 30, 31 Nunc autem ad votorum cumulum habemus Christum a cœlo, ab inferis, ex mortuis reversum, cujus resurrectio sole clarior.

2. Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum;

3. Qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata;

4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.

5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri; quoniam consignata est, et nemo revertitur.

6. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter.

7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus; et non prætereat nos flos temporis.

8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.

9. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.

10. Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.

11. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur.

12. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

13. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat.

14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.

15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis.

2 « Ex nihilo nati sumus : » Gr. temere, casu, nulla causa, nullo certo vitæ fine : quod eodem recidit. « Fumus flatus est : » Gr. fumus aut flatus est « in naribus nostris : » res facile evanescens, sive sit vapor spissior, sive aer tenuis. « Sermo scintilla : » Gr. sermo scintilla; « ad commovendum : » sermo seu verbum, phrasi hebraica, pro re : sensus est : res illa quæ commovet cor nostrum, vitalemque calorem per artus diffundit, non nisi scintilla est quæ statim extinguitur, duabusque omnino rebus vanissimis vita nostra constat, flatu et igne tenui.

4 « Et nomen nostrum : » adeo nihil sumus, ut nec fama nostri supersit.

5 « Non est reversio finis nostri : » a fine ac post mortem. « Consignata est enim : » res est sigillo clausa, quod resignare non licet, atque ineluctabili decreto firmata, quod jam nihil simus.

6 « Bonis quæ sunt : » veris bonis. Crassi homines ac sensibus dediti, præter ea quæ palpant, cuncta habent pro inanibus ac nullis, cum e contra, « quæ videntur temporalia » sint, « quæ autem non videntur, æterna, » II. Cor. IV, 18 « quæ » etiam vere « sunt, » ut habes infra, VIII. 6. « Utamur creatura tanquam in juventute : in, » deest in edit. Rom. habet Complut. ipsa res sequentibus exponitur.

7 « Flos temporis : » Gr. aeris : odoratus vapor ex vino et unguentis veluti efflorescens.

8 « Nullum pratum : » et hoc ad licentiam pertinet, ut incerti ac vagi hac illacque discurrant : prata memorantur herbis virentibus læta, choreis ac saltationibus frequentanda : Gr. tamen deest.

9 « Nemo nostrum : » nemo se temperantem modestumque faciat : quod in illo voluptatum contubernio impatientissime ferunt.

10 « Opprimamus pauperem. » Recte Aug. in Psal. LVII. 10. Cum voluptas non nisi læta et benefica mitisque esse videatur, tamen facile prorumpere in vim ac rapinas, supplendis per scelerata compendia opibus per luxuriem exhaustis.

11 « Sit fortitudo nostra lex justitiæ. » Sic illi apud Platonem passim, justum, inane nomen; nec justitiam esse aliud quam validioris voluntatem. « Quod infirmum est : » virtus ac justitia, eo debilis, quod æquo bonoque conclusa, facile pateat injuriæ nihil non moventium, ac per fas et nefas grassantium.

13 « Promittit..... et filium Dei se nominat : 16. gloriatur patrem.... Deum. 17. Videamus.... si sermones illius veri sint. 18. Si enim est verus filius Dei : 20. morte turpissima. » Hic ille est locus aperte propheticus, toties a Patribus celebratus, et cum Matt. XXVII. 40, 42, 43. conferendus.

14 « In traductionem : » *élegchon*, reprehensionem, confutationem, convictionem.

vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus.

16. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum.

17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius.

18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum.

19. Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius.

20. Morte turpissima condemnemus eum : erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

21. Hæc cogitaverunt, et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum.

22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.

23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum;

24. Invidia autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum;

25. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

CAP. III. Prosequitur adversus impios : justorum spes : gloria sempiterna : impii maledicti : eorum maledicta conjugia : maledicta soboles, eunuchi spirituales, 14.

1. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.

2. Visi sunt oculis insipientium mori; et æstimata est afflictio exitus illorum;

3. Et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace.

4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

5. In paucis vexati, in multis bene

15 « Dissimilis est aliis.... immutatæ viæ ejus : » a vulgari hominum consuetudine abhorret. Viderint qui se satis excusatos putant, quod sequantur multitudinem.

16 « Præfert novissima justorum : » hoc est, quo vel maxime justi ludibrio habeantur, quod futura expectent spretis præsentibus. « Patrem se habere Deum : » Gr. brevius, gloriatur patrem Deum.

18 « Si est verus filius Dei : » Græc. Si est ille justus filius Dei. Si est ille Christus sub justi nomine tamdiu expectatus. Isa. XLI. XLV. LI. Dan. IX.

19 « Contumelia et tormento : » addamus plagis contumeliam : quod Christo factum est. « Interrogemus eum : » probemus, ut explicant sequentia. « Reverentiam : » obedientiam, tolerantiam : Gr. æquitatem, benignitatem.

20 « Morte turpissima : » cruce scilicet, servili ac teterrimo atque ignominiosissimo supplicio. « Erit enim respectus ex sermonibus illius. » Viderimus inter cruciamenta quid dicat, et an sibi constet.

22 « Sacramenta Dei ! » mysteria sive arcana consilia. « Animarum sanctarum : » Gr. irreprehensibilium.

23 « Deus creavit hominem inexterminabilem, » immortalem, ut recordatione pristinæ dignitatis erigat justorum animos, ne impiorum insectationibus victi jaceant. « Ad imaginem similitudinis suæ : » Græc. proprietatis. Deo enim proprium, ut sit per se immortalis; cætera omnia per se deficiant, nisi continuo divinæ virtutis influxu sustententur. Alii codices habent, æternitatis suæ, *aidiotêtos* pro *idiotetos*.

24 « Invidia diaboli mors. » Unde Christus : « ille homicida ab initio. » Joan. VIII. 44.

25 « Imitantur autem illum. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. » Joan. ibid.

1 « Tormentum mortis » Vox ultima deest Græc.

2 « Æstimata est afflictio; — 3 et quod a nobis est iter, » Insipientes arbitrantur exitum justorum sive mortem, nihil aliud esse quam cruciatum, et profectionem a nobis, interitum, excidium : Græc. contritionem.

5 « In paucis : » in corpore, in paucorum dierum vita, « vexati : in multis; » in æterna et interminabili vita : « bene disponentur : » Gr. per pauca docti (sub patientiæ disciplina habiti), maximis afficientur beneficiis. « Non » enim « sunt condignæ passiones hujus temporis

disponentur; quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.

6. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos; et in tempore erit respectus illorum.

7. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

8. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis; et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi; quoniam donum et pax est electis ejus.

10. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt; qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt.

11. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est; et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutila opera eorum.

12. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum.

13. Maledicta creatura eorum; quoniam felix est sterilis, et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum;

14. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.

15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ.

16. Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.

17. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum.

ad futuram gloriam : » et, « Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur. » Rom. VIII. 18. II. Cor. IV. 17.

6 « Quasi holocausti hostiam accepit illos : » Gr. holocaustum hostiæ, sive immolationis, eodem sensu, ut perfectam oblationem, qualis est holocausti, quæ tota Domino consecratur. « In tempore erit respectus illorum ; » suo et idoneo tempore respiciet Deus eorum studia et labores. At Gr. in tempore respectus illorum (quo illos respiciet Deus.)

7 « Fulgebunt, et tanquam scintillæ in arundineto : » clara luce, in materia quæ flammam facile comprehendat : « discurrent : » immortalem lucem circumferentes.

8 « Judicabunt nationes : » teste ipso Christo, Apoc. II. 26.

9 « Donum : » seu donativum. « Electis ejus. Stipendia enim peccati, mors : gratia autem Dei » (donum seu donativum, et gratuita largitio qua suos impertit milites) « vita æterna. » Rom. VI. 23.

11 « Vacua spes illorum. » Isa. LIX. 5, 6, 7. « Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt..... Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis : opera eorum opera inutilia ;.... cogitationes eorum cogitationes inutiles : vastitas et contritio in viis eorum.

12 « Mulieres eorum insensatæ. » Impiorum familia pravis exemplis corrupta.

13 « Maledicta : » execrabilis, « creatura » (seu progenies) « eorum : » pessimorum hominum pessima soboles. « Felix sterilis, et incoinquinata, » seu virgo, præ illis tam impie conjugatis. Tot probra, tot corruptelæ sunt in conjugiis et familiis, tanta etiam in connubiali thoro flagitia, ac dehonestamenta sunt, ut sterilitas et virginitas longo spatio antecellant. « Habebit fructum : » præclaram sobolem, bona opera, eorumque mercedem. « In respectione, » in visitatione et retributione : « animarum sanctarum : » deest Gr.

14 « Et spado : » supple, beatior. Alludit ad spadones illos, de quibus Isa. LVI. 3, 4, 5. « Qui non operatus est per manus; nec cogitavit : » qui nec opere, nec cogitatione peccavit. « Dabitur illi fidei donum electum : » excellens, singulare, scilicet, « nomen melius a filiis et filiabus ; nomen sempiternum..... quod non peribit : » Isa. ibid. ut jam non in sobole, ut cæteri homines, sed in bonis operibus immortalitatem consequantur. « Sors in templo Dei acceptissima : » Is. ib. « Dabo eis in domo mea et in muris meis locum ; » ut et illud animo providisse videantur, cœlibes honoratiore loco in templo Dei sessuros, sacrorumque administros futuros.

16 « Filii adulterorum in inconsummatione erunt : » Gr. inconsummati, impuri, non initiati, imperfecti abortivi instar ; ut infra, IV. 4, 5. « Ab iniquo thoro semen, » seu soboles, « exterminabitur, » aberit; contra ac Salomon pollicetur thoro intaminato et casto, Prov. V. 15, 16.

18. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.

19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

CAP. IV. Pii, clari, notique : malorum soboles instabilis : justorum beata mors, 7. beata etiam vita : etiamsi brevis, 1. senectute melior. 8, 9. cito rapi ex gratia est, 11, 14. vitæ pericula, tentationes, fascinum, 12. irrisi impii et infelices, 19, 20.

1. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

2. Cum præsens est, imitantur illam; et desiderant eam, cum se eduxerit; et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

3. Multigena autem imperiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur.

5. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.

6. Ex iniquis enim somniis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua.

7. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

8. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis,

9. Et ætas senectutis, vita immaculata.

10. Placens Deo factus est Dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.

11. Raptus est ne malitia mutaret

18 « Nec in die agnitionis : » in die quo benefacta et scelera recognoscentur. « Allocutionem : » solatium : Gr.

19 « Nationis : » generationis, seu sobolis « iniquæ, » inter adulteria sordesque natæ : « diræ sunt consummationes; » diri et infausti exitus.

1 « O quam pulchra casta generatio : » sive generatio illa bonorum operum, de qua supra, III. 13, 14. sive post exhibitas oculis impiorum et adulterorum execratas atque incestatas domos, piorum sobolem benedictam prædicat. Prima illa interpretatio magis Græco congruit, qui sic habet : « Melior est orbitas, sive sterilitas cum virtute » supple, quam illa impiorum ampla soboles. « Immortalis est enim memoria illius : « sterilitatis scilicet cum virtute conjunctæ : ut habes Isa. LVI.

2 « Incoinquinatorum certaminum præmium vincens : pro quo Gr. prælium. Sunt autem incoinquinata certamina, incruenta illa, neque ulla cæde polluta, quibus voluptatem virtute et castitate dejicimus. Posset etiam pro, « certaminum, » reponi, prælíorum : eodem ubique sensu quo illa prælia celebrentur, quæ puram, ac nulla cæde fœdam reportent lauream.

3 « Spuria vitulamina : » mendum : ex voce *moskeumatón*, vertendum autem, « spuriæ, » sive adulterinæ propagines, plantationes : » ut habet Aug. 2. de doct. Christ. cap. 12. hoc est, adulterorum soboles, « non habent radices altas : » ut sup. III. 16. etc. Ambrosius tamen ex hac versione Theclam, Agnetem, Pelagiam vocat « nobilia vitulamina, » lib. 2. epist. 7. (nunc ep. 37. n. 36.)

6 « Ex iniquis somniis : « illicitis amplexibus, sive delectamento somni, ut infra, VII. 2. quem poeta dulcem soporem vocat. « In interrogatione, » sive probatione « sua : » data occasione parentum se similes comprobabunt.

8 « Cani autem sunt sensus hominis : » sive, ut habet Gr. canities ipsa, prudentia est hominibus; ne eam coloræ aut annis æstimes.

11 « Raptus est. » Quem in locum Aug. lib. de Prædest. Sanct. XIV. n. 26. « Dictum est secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. » Quem Sapientiæ locum laudat etiam Cypr. lib. de Mortal. ab Augustino citatus.

intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.

13. Consummatus in brevi, explevit tempora multa :

14. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia :

15. Quoniam gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.

16. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti.

17. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus.

18. Videbunt et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit.

19. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum : quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur : et erunt gementes, et memoria illorum peribit.

20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

CAP. V. Piorum ab impiis discrimina post mortem : horum sera in inferno pœnitentia, 2, 6. in hac vita inanes labores, 7. inanis jactantia, 8. transitoriæ nullo relicto vestigio voluptates, 9, 10 et seq. vanæ spes, 15. justorum æterna stabilitas : Deus pro illis et contra impios armatus, 16 et seq. ictu certo et indeclinabili, 22.

1. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

2. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,

3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.

4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore :

5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

6. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et

12 « Fascinatio nugacitatis. » En vitam hamanam ; fascinatio, sive fallacia, atque deceptio, stoliditas, nugacitas, pravitas, inconstantia, sive vacillatio, *rembasmos :* hæc enim omnia græcæ voces sonant. « Inconstantia concupiscentiæ : » sensuum vagi ac mutabiles motus, unde Moses : « Nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes ; » Num. xv. 39. et Paulus : « Facientes voluntates carnis et cogitationum. » Ephes. II. 3.

14—15 « Populi autem... non intelligentes... : quoniam gratia et misericordia. » Supple, deplorabunt eorum præproperam mortem, quos jam æternitati maturos Deus ad se evocabat.

16 « Longam vitam : » longævam senectutem : Gr.

17 « Quare : » in quid; Gr. cujus rei gratia, « munierit, » firmaverit, « illum Dominus, » tot præsidiis instruxerit, tutumque servaverit, nempe ut æternum viveret.

19 « Inflatos : » præcipites : Gr. « sine voce, mutos, frustra hiscentes, verbis non secuturis, atque, ut in somniis, deluso vanis conatibus. « Commovebit illos a fundamentis; » dejectos omni spe, et in æternum alienatos « a vita Dei. » Ephes. IV. 18.

1 « Stabunt justi : » stabit justus, Gr. « Qui abstulerunt labores eorum : » alimenta, victum quantovis labore partum.

3 « In similitudinem : » in parabolam, Gr. sic Jer. XXIV. 9. civitas « in opprobrium et in parabolam, » hoc est, assumenda in exemplum magnæ calamitatis, ut Sodoma et Gomorrha, Deut. XXIX. 23. Jer. XLIX. L. etc.

6 « Justitiæ lumen : » sol intelligentiæ, sol simpliciter, Gr. Aliis, sol justitiæ, de quo Malach. IV. 2. Hoc est quod ait Paulus : « Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis; propter cæcitatem cordis ipsorum. Ephes. IV. 18.

sol intelligentiæ non est ortus nobis.

7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.

8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?

9. Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens,

10. Et tanquam navis, quæ pertransiit fluctuantem aquam; cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus :

11. Aut tanquam avis, quæ transvolat in aere; cujus nullum invenitur argumentum itineris. sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius :

12. Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum; divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius :

13. Sic et nos nati continuo desivimus esse : et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostra consumpti sumus.

14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt :

15. Quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur : et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur : et tanquam fumus qui a vento diffusus est : et tanquam memoria hospitis unius dici prætereuntis.

16. Justi autem in perpetuum vivent; et apud Dominum est merces eorum; et cogitatio illorum apud Altissimum.

17. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.

18. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

19. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum.

20. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem :

21. Acuet autem duram iram in lanceam: et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

22. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.

23. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines : excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter.

24. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos : et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.

7 « Lassati sumus in via iniquitatis : » lassati iniquitatis viis, sive ad satietatem pleni, Græc. « Vias difficiles; » deserta avia, inaccessa, Gr. atque hæc est cæcitas, ut lucet defatigati, tamen ad flagitia pertrahantur, nec possint referre pedem.

15 « Tanquam lanugo : » *chnous*, florum lanugines a ventis circumlatæ, quod nunc legitur : *chous*, pulvis : eodem sensu.

18 « Accipiet armaturam zelus illius : » armaturam zelum suum, Gr. æmulationem in contemptores.

22 « Ibunt directe : » directæ, Gr. *custochoi*, bene collimatæ, neque aberraturæ ab ictu; a sagittis comparatione ducta, ut sequentia demonstrant. « Exterminabuntur, emittentur, quod tamen Gr. deest. « Ad certum locum : » ad scopum.

23 « Et a petrosa ira : » Dei scilicet, « petrosa » autem, lapidante, instar machinæ saxa jacientis : *petrobolou*. Alludit ad eos locos, in quibus Deus in hostes saxis et grandinibus pluit. Exod. IX. 18. Jos. X. 11. « Aqua maris, et flumina : » venturi judicii signa. « Præsura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum. » Luc. XXI. 25.

24 « Spiritus virtutis : » ventus vehemens. « Ad eremum : » ad solitudinem, ad vastitatem.

CAP. VI. Omnis potestas a Deo : gravi rationi reddendæ obnoxia, 4, 5. potentes potenter cruciandi, 6, 7, 9 nulla acceptio personarum : justa juste : sapientia quam expetenda, tam obvia est omnibus, 13, 14. vere regnare quid sit ? 22, 23.

1. Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis.
2. Audite ergo, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ.
3. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum :
4. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur :
5. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.
6. Horrende et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum, his qui præsunt, fiet.
7. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.
8. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.
9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.
10. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis.
11. Qui enim custodierint justa juste, justificabuntur : et qui didicerint ista, invenient quid respondeant.
12. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam.
13. Clara est, et quæ nunquam marcescit, sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.
14. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.
15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet.
16. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus; et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit.
17. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis.
18. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.
19. Cura ergo disciplinæ, dilectio est; et dilectio, custodia legum illius est : custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est :
20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo.
21. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.
22. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.
23. Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.
24. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam : et non abscondam a vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem :

1 « Melior est : » deest Gr. Similis sententia. Eccl. IX. 18.

4 « Interrogabit opera vestra : » non adulatores vestros : interrogabit autem, probabit : ad normam exiget, non ad hominum opiniones.

8 « Non subtrahet » judicio « personam : non enim est acceptio personarum apud Deum. » Rom. II. 11.

11 « Justa juste : » ex Deut. XVI. 20. « juste quod justum est persequeris : » sancte sancta, Gr.

13 « Facile videtur : » de his et seq. vide Prov. II. VIII. etc.

19 « Dilectio, custodia legum. Qui enim diligit proximum, legem implevit. » Rom. XIII. 8. quod egregie exequitur Augustinus tract. 87. in Joan. De mor. Ecc. cath. cap. 15. n. 25, et alibi passim.

24 « Facta sit : » Vide VII. 25. 26.

25. Neque cum invidia tabescente iter habebo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.
26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum : et rex sapiens stabilimentum populi est.
27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.

CAP. VII. Regum et vulgi æqua nativitas : tam infirma, tam misera, 1 et seq. in una sapientia opes, 14. ac vera scientia : ibid et seq. æternæ sapientiæ dotes, 22, 23, 24. nativitas, 25, 26. vis, 27. lux et pulchritudo, 29, 30.

1. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro,
2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente.
3. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans.
4. In involumentis nutritus sum, et curis magnis.
5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.
6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus.
7. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ :
8. Et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.
9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.
10. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile est lumen illius.
11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius,
12. Et lætatus sum in omnibus : quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est.
13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.
14. Infinitus enim thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.
15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, et præsumere digna horum, quæ mihi dantur : quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator :
16. In manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina.
17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum,
18. Initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum,

1 « Qui prior factus, » seu fictus « est : » *prōtoplastou*.
3 « Plorans : » æque plorans, Gr.
10 « Super salutem : » valetudinem : « et speciem : » egregiam formam ; quæ duo hominibus jucundissima.
11 « Honestas : » decor, gloria.
12 « Antecedebat : » viæ ac vitæ dux. « Ignorabam : » antequam me studio addicerem sapientiæ. Sic sapientissimi quique ab ignorantia ordiuntur.
15 « Mihi autem dedit Deus : » det Deus, Gr. « ex sententia : » secundum optata, « Et præsumere : » animo, cogitatione ; cogitare, Gr.
17 « Ut sciam : » quantum homini fas est. Alioquin hæc omnia humano ingenio inaccessa Ecclesiastes passim docet.
18 « Initium, consummationem, medietatem temporum : » eorum nexum.

19. Anni cursus, et stellarum dispositiones,

20. Naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum :

21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici : omnium enim artifex docuit me sapientia.

22. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens,

23. Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus; intelligibilis, mundus, subtilis.

24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam.

25. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera : et ideo nihil inquinatum in eam incurrit.

26. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

27. Et cum sit una, omnia potest : et in se permanens omnia innovat : et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.

28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.

29. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior :

30. Illi enim succedit nox : sapientiam autem non vincit malitia.

CAP. VIII. Prosequitur sapientiæ dotes : fortis, suavis, 1. amanda, ducenda seu sponsanda, 2, 3. homines facit providos, 8. dulcis convictrix, 9, 16. gubernatrix, 14, 15. Bona indoles, 19, 20. Continentia ab uno Deo expectanda et petenda.

1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

2. Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.

3. Generositatem illius glorificat,

20 « Cogitationes hominum : » sive ratiocinationes, opiniones : nisi mavis ipsam ratiocinandi artem. Nota autem bestiis iras, vim ventis, hominibus cogitationes rationesque attributas.

21 « Omnium enim artifex docuit me sapientia. » Jam exemplo Salomonis erigit oculos ad illam sapientiam creatricem; de qua Prov. VIII. 22.

22 « Est enim in illa spiritus. » Jam inde ab initio sapientiam vocat spiritum. « Unicus, multiplex : » quod uno consilio, viaque simplice omnia deinde in numeros evolvantur. « Mobilis, » *eukinetos*, impiger, efficax, in agendo promptus. « Disertus : » pro quo in Gr. *tranos*, splendidus, luculentus. « Certus : » perspicuus, manifestus, Gr. Suavis : » innoxius, Gr. « Bonum amans : » æqui bonique studiosus. « Acutus : » penetranssimus, cui nihil impervium, unde « quem nihil vetat : » nihil arcet : ad omnia expeditus. « Benefaciens : » beneficus, Gr.

23 « Humanus : » humanitatis amans. « Certus : » additum ad stabilitatem vel securitatem. « Omnem habens virtutem, omnia prospiciens : » Gr. omnipotens, omniscius, sive omnium inspector. « Qui capiat omnes spiritus : intelligibilis, Gr. permeans omnes spiritus intelligentes, mundos seu castos, subtilissimos : omnium spirituum ponderator, scrutator, Prov. XVI. 2.

24 « Mobilior : » expeditior, actuosior. « Propter munditiam : » simplicitatem, immixtam puritatem, quam etiam philosophi, duce Aristotele, actum vocant purissimum.

25—26 « Vapor est..... emanatio... candor » seu splendor, « speculum, imago. » En Verbi incorrupta generatio, atque indeminutus, æternus, et omnis mutationis expers ex paterna substantia ac luce processus; quæ secutus Paulus, Christum imaginem Dei invisibilem prædicat, in quo omnia condita et creata sint, visibilia æque ac invisibilia, nec minus Angeli cujuscumque ordinis sint, quam homines. II. Cor. IV. 4. Col. I., 15, 16, 17. Item Heb. I. 3 eumdem Christum splendorem gloriæ Dei, ejusque substantiæ characterem vocat; atque hæc omnia, infectam, increatam, et tamen procedentem demonstrant Sapientiam; cæterum in nobis quodammodo factam, cum ejus illustratione sapientes facti sumus. Supra, VI. 24.

3 « Generositatem » (splendorem generis) « illius, » suam, « glorificat : » commendat ipsa

contubernium habens Dei : sed et omnium Dominus dilexit illam.

4. Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.

5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?

6. Si autem sensus operatur : quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?

7. Et si justitiam quis diligit : labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.

8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis : scit præterita, et de futuris æstimat : scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum : signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et seculorum.

9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum : sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei.

10. Habebo propter hanc, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores, juvenis :

11. Et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me :

12. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

13. Præterea habebo per hanc, immortalitatem : et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

14. Disponam populos : et nationes mihi erunt subditæ.

15. Timebunt me audientes reges horrendi : in multitudine videbor bonus, et in bello fortis.

16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

17. Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo : quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ,

18. Et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius : circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.

19. Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam.

20. Et cum essem magis bonus,

sapientia. » Contubernium; » ex eo quod consociet Deo. « Dilexit illam, et in sinu suo genitam, et ad homines postea propagatam.

4 « Doctrix..... est : » Gr. initiatrix, seu quæ homines initiet ad sacræ disciplinæ mysteria « Electrix : » quod alii legunt, *eurètis*, inventrix, quod et ipsa rerum ordinem invenerit, et invenire nos faciat.

5—6—7—8 « Si divitiæ. » Seu divitias diligas, seu prudentia, virtutesque prævaleant, sapientia omnia continentur. 6. « Horum, quæ sunt : » verorum honorum, contra quam arbitrantur impii. Sap. II. 6.

7 « Labores hujus magnas habent virtutes : » Gr. labores hujus (opera a sapientia elaborata, sunt virtutes.

8 « Sit præterita, et de futuris æstimat : » Gr. novit et præterita, et futura conjectari, hoc est, ut arbitror, futura ex præteritis. « Versutias sermonum : » ratiocinationum strophas. « Dissolutiones argumentorum : » ænigmatum. Gr. « Signa et monstra scit antequam fiant : » quales conjectores volebat Christus cum diceret : « Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire? » Matth. XVI. 4. et illud : « Ab arbore autem fici discite parabolam, etc. » Matth. XXIV. 32, 33.

9 « Allocutio cogitationis : » curarum solatium, Gr.

12 « Tacentem me sustinebunt. » ex Job. XXIX. 8, 9.

18 « Honestas sine defectione : » opes inexhaustæ, Gr. in coexercitatione conversationis illius : in frequentandis ejus colloquiis. « Præclaritas : » nominis claritudo.

19 « Puer ingeniosus : » bona indole, Gr. « Sortitus sum animam bonam : » decreta Dei sorti cuidam etiam Apostolus comparat : Eph. I. 11. quod horum nulla causa humana inveniri possit, sortesque Deus temperet. Prov. XVI. 33.

20 « Cum essem magis bonus : « Gr. magis autem (hoc est, seu potius) cum essem bonus, « veni ad corpus : » non quod esset bonus antequam veniret ad corpus; absurdum enim, cum de toto, uti se habet, loquatur homine, conjuncto jam corpore; neque quod corpus illud in

veni ad corpus incoinquinatum.

21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc domum : adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis :

CAP. IX. Incipit oratio ad finem usque libri producenda, 1. Hominis creatio : imperium, 2, 3. Petit sapientiam a Deo mittendam, 4. operum Dei rectricem, 9. adjutricem regum, 10 et seq. sine hac homines imperiti et imbecilli, 15 et seq.

1. Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo,

2. Et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est,

3. Ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet :

4. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis.

5. Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.

6. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

7. Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum et filiarum :

8. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio :

9. Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis.

10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te :

11. Scit enim illa omnia et intelligit : et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.

12. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum juste, et ero dignus sedium patris mei.

13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus ?

14. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.

15. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

16. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt,

iniquitatibus, humano more conceptum, atque immundo concretum semine, prorsus intaminatum esset tum cum infusa est anima ; sed quod puer bonæ indolis, bonamque sortitus animam, eo facile devenerit, ut corpus etiam incorruptum servaret a pravis libidinibus. Quanquam nec illud defugerim, quin anima e Dei manibus, seu potius ex oris ejus afflatu ad castum corpus suo quodam modo venisse dicatur, ut tamen bonum illud, castumque non absolute, sed comparate et vulgari hominum more sumatur : quod firmatur sequentibus.

21 « Et ut scivi : » Ne tamen crederemus bonam indolem, temperatumque corpus ad continentiam assequendam sufficere : docet nos unde vera continentia habeatur : Dei quippe dono : quod urget Augustinus de grat. et lib. arb. c. IV. n. 8. de bon. persev. XVII. n. 43, etc. Memoratu autem dignum videtur sequenti prece, quæ ad finem usque libri deducitur, nihil haberi speciale de continentia ; sed cum de sapientia ubique agatur, qua homo vere continens, suique compos efficitur, datur intelligi, sapientiæ nomine, comprehensam etiam continentiam.

4 « Sedium tuarum assistricem : » de qua Prov. VIII. 27.

5 « Minor ad intellectum judicii et legum. Ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum, et servus tuus in medio est populi:... infiniti, » etc. ut ipse Salomon, III. Reg. III. 7, 8.

8 « Similitudinem..... quod præparasti ab initio : » in deserto, scilicet, Exod XXVI. ad cujus formam templum extructum est.

15 « Sensum multa cogitantem : » mentem multa curantem : *poluphrontida.*

invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?

17. Sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis:

18. Et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines.

19. Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.

CAP. X. Sapientia claret ab initio mundi in tuendis hominibus: Adamo, 1, 2. Noe, 5. Abrahamo, 6. Jacobo, 10. Josepho, 13. tota Hebræorum gente, 15 et seq. maris Rubri transitus, 18. Cainus insipiens, 3. diluvium, 4.

1. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit,

2. Et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia.

3. Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit.

4. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans.

5. Hæc, et in consensu nequitiæ cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit.

6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim:

7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

8. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt, nec latere potuissent.

9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus liberavit.

10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum.

12. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam,

2 « Continendi omnia: » dominandi, regendi.

3 « Injustus: » Cain.

4 « Propter quem: » Cainum ejusque impiam sobolem; quæ filios Dei iniitis connubiis pervertit. Gen. VI. 2.

5 « In consensu nequitiæ: » Chaldæis, vicinisque gentibus in idololatriam consentientibus. « Scivit: » agnovit: ab aliis separavit: invenit, Gr. « Justum: » Abrahamum: « in filii » (Isaaci quem immolaturus erat) « misericordia fortem custodivit. »

6 « Justum: » Lot. Gen. XIX.

7 « Et incredibilis animæ: » incredulæ, uxoris Lot. Ibid.

10 « Hæc profugum » (ac velut exulem, Gr.) « iræ » (ab ira) « fratris » (Esau) « justum » (Jacobum.) « Regnum Dei. » Angelos scilicet ascendentes et descendentes, scalæque ad cœlos pertingentis cacumini innitentem Deum. Gen. XXVIII. 12, 13. « Scientiam sanctorum dedit ei nosse angelos, et cum eis scire Deum et cœlum, et domum Dei, Bethel sive locum in qua Deus coleretur. Ibid. 17.

11 « In fraude circumvenientium illum: » Labanis, ejusque familiæ, Ibid. XXIX. XXX. XXXI.

12 « Certamen forte: » cum angelo: ibid. XXXII. « Potentior est sapientia: » Gr. pietas.

13 « Venditum » a fratribus « justum » Josephum: « a peccato: » Gr. ab adulterio cum uxore Putipharis, ibid. XXXIX.

14. Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant : et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam.

15. Hæc populum justum, et semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant.

16. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis.

17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili : et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem :

18. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.

19. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum,

20. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et vitricem, manum tuam laudaverunt pariter.

21. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.

CAP. XI. Moyses, 1. via populi in deserto, 2. victoriæ, 3. præstita de cœlo auxilia, 4. quæ pœnæ sunt Ægyptiis, ea piis sunt gratiæ, 5, 6 et seq. animadversiones paternæ ad probandum : judicia ad puniendum, 9. 10, 11. Ægyptii bestiarum cultores per bestias puniti, 16, 18 et seq. per quæ quis peccat, per hæc et torquetur, 17. Dei inexhausta nec toleranda vis, 22, 23. benignitas parcens omnibus, 24 et seq.

1. Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti.

2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.

3. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.

4. Sitierunt, et invocaverunt te, et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro.

5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum a defectione potus sui, et in eis, cum abundarent filii Israel, lætati sunt;

6. Per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est.

7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis.

8. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate :

14 « Sceptrum » (sive administrationem « regni. Qui maculaverunt : » reprehenderant, Gr.

15 « Populum justum : » Hebræum. « Semen sine querela : » sive irreprehensibile, Gr.

16 « Servi Dei, » Mosis.

17 « In via mirabili : » per mare Rubrum. « In velamento diei : » die, Gr. « et in luce : per columnam nubis nocte rutilantem. Exod. XII. XIII, etc.

19 « Ab altitudine inferorum : » sive de profundo abyssi (maris) Gr. « Eduxit illos : » Israelitas.

21 « Os mutorum..... infantium : » Maria, et cum ea omnis sexus, omnis ætas, magnificentissimo carmine Dominum celebrabat.

1 « Prophetæ sancti : » Mosis.

2 « Casas, » seu tabernacula. Gr.

5—6 « Per quæ.... passi sunt : per hæc : » quod supplicio Ægyptiis, id Israelitis gratiæ vertit. Ægyptii enim tetra vexati siti, aquis in cruorem versis ; Israelitæ a pessimo sitis cruciatu refecti refotique. Cætera interserta, ab his verbis, « a defectione, » ad finem usque versus. 5. Quanquam huic loco aptissima, in hodierno Græco desunt ab uberiore codice repetita. His autem et seq. auctor duo agit, primum, ut quæ tentamento piis, ea exitio impiis futura sint ; tum illud vel maxime impios convenientissimis torqueri suppliciis, ut patebit ℣ 8, 16, 17 et seq.

7 « Sempiterni fluminis : » perennis : « humanum sanguinem dedisti : » immundo sanguine turbati. Gr.

8 « Qui cum minuerentur in traductione : » Gr. Ad convictionem, confutationem, redargutionem : sed hæc in latina interpretatione abrupta et pendentia, sic habent in Gr. a ℣ 7.

9. Ostendens per sitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares.

10. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur.

11. Hos quidem tanquam pater monens probasti : illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.

12. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur.

13. Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum.

14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

15. Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitientes.

16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes, et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam :

17. Ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.

18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones,

19. Aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes :

20. Quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed et aspectus per timorem occidere.

21. Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab

Nam cum (Ægyptii Israelitarum inimici) pro jugi flumine, sanguine immundo conturbati essent, in redargutionem præcepti de occidendis parvulis (Hebræorum, de quo Exod. I. 16.) dedisti ipsis (Israelitis scilicet) abundantem aquam insperate, hoc est, illi quidem turbati, aqua repente versa in sanguinem ; hi autem præter spem, aquarum copia recreati. Ait autem id contigisse Ægyptiis, in redargutionem præcepti de occidendis infantibus ; ut qui sanguinem innocentem fudissent, sanguine potarentur : quemadmodum in Apoc. XVI. 6. « Quia sanguinem sanctorum.... effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere ; digni enim sunt. »

9 « Per sitim quæ tunc fuit : » in deserto scilicet.

10 « Cum tentati sunt.... disciplinam accipientes : » quasi virga emendati, didicerunt sitim ipsis probationi, impiis supplicio fuisse, quod fuse declarant sequentia.

11 « Interrogans » (ac velut quæstione habita) « condemnasti : » Gr. interrogasti, convicisti.

12 « Absentes enim » Ægyptii, « et præsentes » Hebræi « similiter » eadem siti « torquebantur. »

13 « Duplex enim illos » Ægyptios, « acceperat tædium : » seu molestia, Gr. cum ad eos perlata esset fama ejus sitis, qua Israelitæ in deserto laborassent, duplici cruciatu affecti sunt. Primum quidem ex « memoria præteritorum, » atque horrendæ illius sitis quam perpessi essent, aquis in sanguinem versis : iterum autem, quod viderent Israelitas inimicos ex eodem incommodo tanta benignitate refectos, invidia tabescebant ; atque hoc postremum est quod habent seq.

14 « Cum enim audirent » Ægyptii « per sua tormenta, » per sitim, « bene secum agi : » bene cum illis agi, Gr. id est, cum Hebræis : « commemorati sunt Dominum : » ejus recordati sunt ; sive, ut habet Gr. senserunt Dominum, alios probantem, alios punientem : « admirantes in finem exitus : » Gr. deest.

15 « Quem enim » (populum Dei) « in expositione » puerorum projiciendorum in flumen, Exod. I. 22. « projectum deriserunt : » repudiaverunt ; eumdem Dei populum, « in finem eventus, mirati sunt non similiter justis sitientes : » *dipsêsantes*, siti affecti, aoristo præteriti vim habente. Viderunt se non eodem eventu sitisse, ac justos.

16 « Pro cogitationibus : » demonstrare pergit, quomodo Deus congruis quemque supplciis puniat, ut habes ad ℣ 5. « bestias supervacuas, » non tantum arietes, boves, sed etiam inutiles, serpentes, insecta alia.

18 « Ex materia invisa : » informi, Gr. Alludit ad locum Gen. I. 2. « Terra autem erat inanis et vacua : » cum tamen prius creasset illam informem materiam, ut habes ℣ 1. « In principio creavit Deus cœlum et terram. »

21 « Uno spiritu : » uno flatu tuo : aut « persecutionem passi ab ipsis factis suis : » urgente scelerum conscientia, quæ illos respirare non sineret : sive, ut habet Gr. ab ipso judicio, ab

ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ : sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.

22. Multum enim valere, tibi soli supererat semper : et virtuti brachii tui quis resistet?

23. Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.

24. Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.

25. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti ; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

26. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?

27. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.

CAP. XII. Deus lente et paulatim punit, et ad pœnitentiam expectat, 1, 2 et seq. Chananæi ab initio maledicti, 11 et seq. Dei supremum nullique rationi obnoxium imperium, 13. punit malos : nec tamen toto impetu, nec statim uno ictu, 15, 20 nam mavult parcere, 16. Dei inimici puniti per ea quæ colunt, 23, 24 et seq.

1. O quam bonus, et suavis est, Domine spiritus tuus in omnibus!

2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis : et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine.

3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,

4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et sacrificia injusta,

5. Et filiorum suorum necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis a medio sacramento tuo,

6. Et auctores parentes animarum

ipsa ultrice scelerum divina justitia. « Sed omnia in mensura. » Ducta similitudine a venditionibus, in quibus omnia traduntur certa mensura, ut agri jugera, frumentum, vinum, oleum ; certo numero, ut tot oves, tot calcei, tot tunicæ ; certo pondere, ut metalla et alia. Sic Dei sapientia modum et ordinem rebus imponens, dat omnia numerato, capillos etiam, ac minutissima quæque : mensurate, « Mensuram » enim « bonam et confertam, et coagitatam..... dabunt in sinum vestrum. » Luc. VI. 38. Ad pondus ; novit enim quam levi momento tribulationes, quam gravi et æterno pondere gloriam præstet. II. Cor. IV. 17. Quæ et universim valent, et hic speciatim. « Omnia » enim hæc « in mensura disposuisti, » hoc est, non agis cæco impetu, aut vires immoderatas effundis ; quæ altera fuit ratio, cur Deus minuta animalia immitteret, ne statim uno ictu conficeret impios, et daretur pœnitentiæ ac misericordiæ locus, ut habes infra XII. 2. 10.

22 « Multum enim valere, tibi soli supererat semper : » soli, deest Gr. Quidquid egeris, quantascumque vires effuderis, adhuc tibi superest infinita et inexhausta potentia.

24 « Misereris omnium, quia omnia potes. » En exemplum, ut quo magis viribus, eo magis clementia prævaleas ; quod repetit XII. 16.

25 « Diligis omnia quæ sunt. » Duabus de causis, et quod dederis ut essent, et quod cum sint, conserves ; recte Aug. de verb. Apost. XI. Non enim fecit, et deserit, non enim curavit facere, et non curat custodire ; et paulo post : utique non potest non curare quos fecit ; quod pertinet ad sequentem.

26 « Quod a te vocatum non esset. » Necesse est ut quæ sunt, jugi Dei influxu ab ipso nihilo evocentur.

1 « O quam bonus : » incorruptus, Gr.

2 « Partibus corripis : » paulatim, ut infra, 10. « partibus judicans : » singillatim, paulatim; quomodo etiam vertit ℣ 8. « Admonens alloqueris : » Gr. commemorans admones.

3 « Antiquos inhabitatores : » Philistæos, et alias impias gentes.

4 « Sacrificia injusta : sacra impia, Gr. *teletas anosious.*

5 « A medio sacramento tuo : » quod maxime abhorret a mediis sacris tuis, in quibus a sanguine vel maxime abstinetur.

6 « Et auctores » horum scelerum : « animarum in auxiliatarum : » liberorum, quos immisericorditer immolabant.

inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum,

7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior est terra.

8. Sed et his tanquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.

9. Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sæviis, aut verbo duro simul exterminare :

10. Sed partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

11. Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

12. Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?

13. Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injuste judicas judicium.

14. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

15. Cum ergo sis justus, juste omnia disponis : ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute.

16. Virtus enim tua justitiæ initium est; et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.

18. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos : subest enim tibi, cum volueris, posse.

19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum; et bonae spei fecisti filios tuos : quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

20. Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quæ possent mutari a malitia;

21. Cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum?

22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, et cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

23. Unde et illis, qui in vita sua insensate et injuste vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

24. Etenim in erroris via diutius erraverunt, deos æstimantes hæc,

7 « Ut dignam puerorum (pueris seu filiis Dei) perciperent peregrinationem : migrationem sive migrandi locum, coloniam.

8 « Vespas : » crabrones. Exod. XXIII. 28. Deut. VII. 20. Jos. XXIV. 12.

10 « Naturalis malitia . » ab ipso genere, pravisque majorum institutis insita. « Quoniam non poterat mutari : » Gr. quoniam non immutaretur, eo quod viderentur inemendabiles.

11 « Semen maledictum : » in Chanaan Philistæorum parente. Gen. IX. 25.

16 « Virtus tua (sive potentia Gr.) æqua est, ac justitiæ fons.

17 « Virtutem enim ostendis : » cum vinci te putant, tunc exsurgis victor. « Horum qui te nesciunt : » in his qui sciunt, Gr. utrumque verum : nempe, et scientibus et nescientibus æque invictam exhiberi Dei potentiam. » Traducis : » confundis.

18 « Cum tranquillitate : » Gr. æquitate, benignitate : *epieieia* : « cum magna reverentia : » Gr. moderatione, indulgentia.

20 « Cum tanta cruciasti attentione : » addit Gr. parcimonia, indigentia; quasi tibi non suppeteret ulciscendi copia.

23 « Per hæc quæ coluerunt : » Gr. per proprias abominationes; per animalia quæ abominabili cultu prosequebantur, ut supra, XI. 16.

24 « Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus (inter animantes) sunt supervacua : » reptilia et cætera quæ nulli utilitati sunt : ut ibid. XI. 16.

quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

25. Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti.

26. Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt.

27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cum exterminarentur, videntes illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt : propter quod et finis condemnationis eorum venit super illos.

CAP. XIII. Ex creaturis æstimandus Deus, 1. unde vani creaturarum, 2 et seq. ac idolorum cultores, 10 et seq.

1. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex :

2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.

3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt : sciant quanto his dominator eorum speciosior est ; speciei enim generator hæc omnia constituit.

4. Aut si virtutem, et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis :

5. A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

6. Sed tamen adhuc in his minor est querella. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire.

7. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.

8. Iterum autem nec his debet ignosci.

9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum ; quomodo hujus dominum non facilius invenerunt ;

10. Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manum homi-

25 « Judicium in irrisum dedisti. » Mures enim, ranas, muscas immitere, nihil aliud esse videbatur, quam ludibrium.

26 « Qui autem » his pœnarum veluti « ludibriis » in hac vita emendati non sunt, his post vitam seria et gravia impinges supplicia.

27 « In quibus enim : » sensus : cum enim exscinderentur per eos quos putabant deos, tandem « agnoverunt » verum, quem antea negabant, Deum : agnoverunt autem inviti, ac simulate, aut eorum ritu de quibus sæpe dicitur : « Et scietis quia ego sum Dominus percutiens. » Ezech. VII. 9. et alibi passim. Vi adacti, nec tamen resipiscentes, sed potius blasphemantes agnoscetis Deum. Vide Apoc. XVI. 9, 10, 11.

1 « Vani omnes homines : » Gr. addit : natura, errore inolito ex patribus, et ab ipsa velut nativitate indito, ut supra, XII. 10. « Scientia » seu cognitio « Dei. »

2 « Spiritum. » Notum illud, Spiritus intus alit, etc. « Aut nimiam aquam. » Non deerant qui omnia ex aquis orta ferrent, quod inde rebus semina ac succis plantæ, animantes, hominès, ipsa etiam tellus alerctur.

3 « Specie, » seu pulchritudine, Gr. « Speciei generator. » Gr. addit primus, quod sit fons pulchritudinis, adeoque omnium pulcherrimus.

5 « Cognoscibiliter : » verti oportebat, per proportioneni, *analogôs* : comparatis rerum rationibus.

6 « In his minor est querela. » Et tamen tolerabilius errant, qui stellas aliasque insignes creaturas pro Deo habent ; videntur enim quærendo Deum defecti viribus, ac inquisitionis labore defatigati, hæsisse in rebus pulcherrimis, ỳ 5, 6, 7. et quanquam sunt inexcusabiles, ỳ 8, 9. longe errant infelicius, nec vivis, sed mortuis accensendi, qui, ea quæ fabricant idola, deos colunt.

10 « Artis inventionem : » quam Paulus vocabat sculpturam artis et cogitationis hominum. Act. XVII. 29. « Opus manus antiquæ : » et hoc statuis conciliabat cultum, quod ab antiquo factæ, velut obliterata fabricæ memoria.

num, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

11. Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit, et hujus docte eradat omnem corticem, et arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ.

12. Reliquiis autem ejus operis ad præparationem escæ abutatur :

13. Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, et vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis.

14. Aut alicui ex animabilis illud comparet, perliniens rubrica, et rubicundum faciens fuco colorem illius, et omnem maculam, quæ in illo est, perliniens :

15. Et faciat ei dignam habitationem, et in pariete ponens illud, et confirmans ferro.

16. Ne forte cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se : imago enim est, et opus est illi adjutorium.

17. Et de substantia sua, et de filiis suis, et de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est :

18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur et pro vita rogat mortuum, et in adjutorium inutilem invocat :

19. Et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest; et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

CAP. XIV. Idolorum cultus, 1, 8. navigatio comparata ad avaritiam, vita tamen utilis, et a Deo instituta : sculpturæ origo, qua homines abusi in adulationem et idololatriam : idololatriæ mala, 23 et seq.

1. Iterum alius navigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum invocat.

2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientia fabricavit sua.

3. Tua autem, Pater, providentia gubernat; quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam :

4. Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiamsi sine arte aliquis adeat mare.

5. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera; propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.

6. Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata.

7. Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia.

8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud : quia ille quidem operatus est; illud autem cum esset fragile, Deus cognominatus est.

11 « Lignum rectum : » Gr. bene mobile, tractabile : sive, ut recte hic Nobilius, quod bene obediat manui artificis. Hæc autem et seq. desumpta ex Isa. XLIV. 12.

13 « Vorticibus plenum : nodosum, compactis scilicet ad juncturas ramorum nodis. « Per vacuitatem suam : per otium, ut habet. Gr.

14 « Rubicundum : » ut vivere ac vigere videatur.

5 « Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera : » ne maris tam vasta moles inutilis haberetur, eam quoque hominibus frequentandam tradidisti.

6 « Gigantes : » portentosum genus hominum, de quo Gen. VI. 4. « Spes orbis terrarum : » Noe et ejus familia.

7 « Benedictum..... lignum per quod fit justitia » in figuram ligni quo liberati sumus Ambros. in Psal. CXVIII. Benedictum lignum (arca scilicet) quod fit per justitiam (Deo jubente); maledictum autem lignum quod fit per manus hominum (ad colendum), ut habet v seq.

9. Similiter autem odio sunt Deo, impius et impietas ejus.

10. Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur.

11. Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus : quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.

12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum ; et adinventio illorum, corruptio vitæ est.

13. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.

14. Supervacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum ; et ideo brevis illorum finis est inventus.

15. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia.

16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta.

17. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt ; ut illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.

18. Provexit autem ad horum culturam, et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

19. Ille enim volens placere illi qui se assumpsit, elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret.

20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt.

21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio : quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.

22. Et non suffecerat errrasse eos circa Dei scientiam ; sed et in magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.

23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes.

24. Neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt ; sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat :

25. Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et perjurium, tumultus bonorum.

9 « Odio sunt Deo, impius et impietas ejus : » impium opus quod fabricat; idolum.

11 « In idolis nationum non erit respectus : » melius Gr. erit respectus; in idola erit inquisitio et ultio, negatione sublata, nam idola contrita sunt. « Creaturæ Dei : » Gr. in creatura Dei, (in ipso opificio inter Dei creaturas) « in odium factæ sunt. » Gr. facta sunt, idola scilicet.

12 « Initium fornicationis, » sive idololatriæ ex ipsa sculpturæ arte repetendum, cujus refert originem.

13 « Neque enim, » ut sidera et tellus, aliaque Dei opera, idola « erant ab initio, neque » durabunt « in perpetuum, » fragili scilicet compacta materia, seu quod recens inducta per gloriam supervacuam, postea obsolescant, ac tandem destruenda sint, ut Prophetæ testantur passim, quod congruit seq.

14 « Supervacuitas : » Gr. vanitate hominum invecta sunt (idola).

20 « Deum æstimaverunt : *sébasma*, numen, rem colendam, idolum.

21 « Affectui : » Gr. calamitati ; gravibus affectibus ex orbitate ortis : ex ℣ 15.

22 « Dei scientiam, » sive cognitionem « in magno viventes inscientiæ bello : » magnis coortis per inscientiam de natura atque ortu deorum dissensionibus. « Pacem appellant : » sic enim de Judæis loquebantur, quasi neglectis idolis, ruptoque humani generis fœdere, universarum concordiam nationum sua dissensione violarent. Esth. XIII. 4. I. Mach. I. 43.

23 « Obscura sacrificia : » occulta (et fœda) mysteria : Gr. « Insanas, (sive obscœnas) vigilias : » Gr. epulas.

24 « Neque vitam. » Eu usque ad ℣ 29. fœdi idololatriæ fructus; qua de re Paulus, Rom. I. 24, 28, 29, etc.

25 « Turbatio : » turbæ, seditiones. « Tumultus bonorum : » exagitatio.

26. Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitiæ.

27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis.

28. Aut enim dum lætantur, insaniunt, aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito.

29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, male jurantes noceri se non sperant.

30. Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, et juraverunt injuste, in dolo contemnentes justitiam.

31. Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.

CAP. XV. Piorum gratulatio, quod ab idolis puri : prosequitur de idololatria ac sculpturæ abusu : cultus animalium.

1. Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia.

2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam : et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati.

3. Nosse enim te, consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.

4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores.

5. Cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.

6. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt.

7. Sed et figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria : horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus.

8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.

9. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est : sed concertatur aurificibus et argentariis; sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.

10. Cinis est enim cor ejus, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita ejus :

26 « Dei immemoratio : » oblivio, Græc. gratiæ oblivio, sive immemor beneficiorum animus. « Nativitatis immutatio : » immutata progenies; suppressi aut suppositi partus. « Nuptiarum inconstantia : » per divortia, sive inordinatio, Gr. nulla conjugalis thori reverentia.

27 « Et finis. » Omnia flagitia per cæcitatem mentis in idololatriam ac Dei oblivionem desinunt.

28 « Dum lætantur, insaniunt. » Insana lætitia elati, atque ab arce dejecti, id quod delectantur, pro Deo habent; quod idololatris familiare est.

30 « Contemnentes justitiam : » sanctitatem, Græc.

31 « Non enim juratorum (eorum per quos juratur) virtus, sed peccantium pœna : » Gr. judicium : « perambulat : » Gr. insurgit : super « injustorum prævaricationem. » Haud minus pejerant qui per idola fallunt : non idolorum virtute, sed suo judicio convicti prævaricationis in id quod habent instar numinis.

2 « Et si non peccaverimus : » Gr. non autem peccabimus, ut qui sciamus nos censeri tuos.

4 « Malæ artis : » sculpturæ scilicet; per eventum et abusum malæ.

5 « Dat concupiscentiam : » illicit ad nefarios cultus : Gr. aliter. « Effigiem sine anima : » sine halitu : prorsus inanimem.

6 « In talibus : » diis.

8 « Ille qui paulo ante. » Ille fecit deum ex eodem luto, ex quo ipse recens compactus, in lutum resolvetur, repetita anima quam habebat.

9 « Sed cura est illi. » Nihil memor figulus, neque molesti operis, neque brevis ævi, ænu-

11. Quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem.

12. Sed et æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere.

13. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, et sculptilia fingit.

14. Omnes enim insipientes, et infelices supra modum animæ, superbi sunt inimici populi tui, et imperantes illi :

15. Quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum.

16. Homo enim fecit illos, et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere.

17. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse, his quos colit : quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem nunquam.

18. Sed et animalia miserrima colunt : insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.

19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, et benedictionem ejus.

CAP. XVI. Bestiarum cultores per bestias puniti : eæ quoque immissæ in Hebræos, sed dispari eventu : serpens æneus, 7. animadversio in Ægyptios per ignem grandini mistum, et famem consumptis frugibus, 19. manna populo Dei præstitum, ejusque mirabilia, 20 et seq. vis illa hominum altrix, non escarum natura, sed verbo et voluntate Dei constet, 21, 26.

1. Propter hæc, et per his similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

2. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometram :

3. Ut illi quidem concupiscentes

latur aurifices, et gloriæ ducit, quod æque ac illi « res supervacuas, » imagines, Gr. adulterina « fingit : » idola scilicet et deos.

12 « Æstimaverunt » fictores idolorum « lusum esse vitam, » ac per ludibria et jocos transigendam, compositaque omnia ad lucrum : « et oportere etiam ex malo, » ac etiam ex idolorum fabrica pecuniam corradere, ut ille in Actis, XIX. 25. « Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio. »

14 « Supra modum animæ : » Gr. super animam infantis; supra quam liceat animæ quantumvis infirmæ, puta infantis. « Superbi : » deest Gr. jungendum seq.

16 « Homo enim. » En gradus, ut Deus per se vivens et immortalis, viventes quidem sui imagines, sed tamen mortales faciat; homo autem mortalis, mutuato a Deo spiritu, fingat mortuas.

18 « Animalia miserrima colunt : » Gr. inimicissima, nocentissima; reptilia, serpentes. « Insensata enim : » sensu carentia, id est, statuæ, « comparata his, » (Græc. aliis) scilicet animantibus, quantumvis deterrimis, « illis deteriora sunt. »

1 « Per similia passi sunt : » per bestias bestiarum cultores.

2 « Pro quibus tormentis : » cum idolorum cultores ulciscereris per bestias, quas colebant e contra plebem tuam alebas per bestias. « Data ortygometra, » coturnice, « dedisti concupiscentiam delectamenti : » rem quam delectabiliter appetebant. « Novum saporem. » peregrinum insuetum.

3 « Ut illi quidem : » idololatræ, Ægyptii, ranis aliisque animantibus etiam inter cibos ebullientibus. Exod. VIII. 3. « Etiam a necessaria concupiscentia averterentur, » ingenerato fastidio per eorum animalium deformitatem, ut habet. Gr. « Hi autem, » Hebræi ad extremam inopiam redacti, « novam gustaverunt escam. » Summa : animantum genere, ut vis, uteris, sive ad ultionem, sive ad beneficium.

escam, propter ea quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.

4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem : his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

5. Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur.

6. Sed non in perpetuum ira tua permansit; sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

7. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.

8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.

9. Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum ; quia digni erant ab hujusmodi exterminari.

10. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes : misericordia enim tua adveniens sanabat illos.

11. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio.

12. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.

13. Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis.

14. Homo autem occidit quidem per malitiam : et cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est :

15. Sed tuam manum effugereim - possibile est.

16. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt; novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti.

17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat : vindex est enim orbis justorum.

18. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia : sed ut ipsi videntes, scirent quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem.

19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.

20. Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum, et para-

5 « Etenim cum illis : » Hebræis : aliud exemplum ; immissis serpentibus in Hebræos, statim datum serpentis æenei remedium. Num. XXI. 6. etc.

6 « Signum salutis : » serpentem æneum. « Ad commemorationem mandati legis tuæ, quo tibi fidere jubebantur.

7 « Qui conversus est : » ad illum æneum serpentem.

12 « Malagma : » unguentum dolorem emolliens ac mitigans.

16 « Novis aquis, grandinibus, pluviis : per ignem : » redit ad plagas Ægyptiacas, et grandinem igne mistam. Exod. IX. 23, 24. « Novis aquis : » sive liquefacta, ut solet, grandine : sive etiam, ut fit, pluviis grandini mistis : quibus pergit demonstrare creaturas omnes etiam inanimas Deo ultori obsequi.

17 « Quod enim mirabile : » *paradoksotaton* : maxime incredibile.

18 « Mansuetabatur ignis, ne comburerentur animalia : » locustæ, quas postea grassari oportebat. Exod. X. « Quæ missa erant : » jam terræ gremio fota, et suo tempore eruptura : quanquam ex Gr. verti posset, missa sunt.

19 « Ut iniquæ terræ nationem exterminaret : » germina, fruges, *gennêmata*, ut ℣ 22. *karpous*, fructus. Interpres autem « nationem » pro « nativitate » posuit, ut XVIII. 12. XIX. 10. hoc est, pro natis frugibus, ut infra, ℣ 26. quanquam et frugum illa consumptio omnino instituta erat ad exscindendam gentem. Summa autem : ignem nunc repressis, nunc exertis viribus, prout jubebatur, in creatoris potestate fuisse.

20 « Pro quibus : » pro consumptis frugibus, filiis tuis manna præbuisti, cujus miram vim docet. « Omnis sapores suavitatem : » atqui Num. XI. 7. manna erat saporis instar panis oleati.

tum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.

21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant : ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans.

23. Hic autem iterum, ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est.

24. Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos; et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.

25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant :

26. Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.

27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat :

28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.

29. Ingrati enim spes tanquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua.

CAP. XVII. Tenebræ Ægyptiacæ occultorum peccatorum vindices, 3. derisæ magorum artes : impii tanquam cæco carcere conclusi, 4, 15. pavor : horrenda nox, superventuræ æternæ noctis imago : impii sibi graves, dirumque supplicium, 20.

1. Magna sunt enim judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua : propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt.

2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis

Sed alius est nativus sapor, alius quem fidei multiformis gratia tribuebat; quod iste vel a Dei spiritu, vel a populi Dei traditione didicit; unde et Paulus, ea quæ in arca erant : Heb. IX. 4. Quem locum si conferas cum III Reg. VIII. 9. et II. Paral. V. 10. huic similem reperies. Vide etiam infra, XIX. 7.

21 « Substantia enim tua · » Gr. *upostasis*. Non manna tot per se effecta præstabat; sed Dei fœcunda substantia ex quacumque re quidquid vult elicit.

22 « Nix autem et glacies : » aliud oppositum; nivem quidem et glaciem, seu grandinem, numissas Ægyptiis, non resolvebat ignis immistus : manna autem concretum, cujusdam instar nivis aut grandinis, ad primos solis radios liquescebat. Exod. XVI. 21. De mannæ autem specie vide Exod. XVI. 14. Num. XI. 7.

23 « Hic autem, » ignis : solis radii prorsus ignea vi. Vide infra, XIX. 20.

25 « Gratiæ tuæ : » gratia hic significat beneficam et altricem omnium Dei potentiam.

26 « Sed sermo tuus : » vis tua.

27 « Quod enim : » grando et manna cum cognatæ naturæ sint, tam dissimilia passæ ; ut hæc exiguo radio liquesceret, illa nec immisto quidem igne solveretur, ut supra, 16, 17.

28 « Prævenire solem : » ad colligendum manna, priusquam sole oriente liquesceret; simul ad laudandum largitorem Deum.

29 « Ingrati enim : » tardi ad Dei laudes.

1 « Propter hoc : » quod non nossent profunda consilia tua, falsa spe delusi, superbiebant, ut habent seq.

2 « Dum enim : » dum latere se putant Deum, veras in latebras conjecti sunt per Ægyptiacas illas tenebras, de quibus Exod. X. 21. « Tenebroso oblivionis velamento, » tanquam sole oblito solitam lucem emittere, « dispersi sunt : » quique in suas conclusi domos, nullo hominum cœtu. Spectris conturbati : quod et tantæ nocti, et territæ conscientiæ congruebat.

velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati.

4. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat : quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.

5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus, et timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.

7. Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.

8. Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.

10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis : semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.

11. Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum.

12. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.

13. Illi autem qui impotentem vere noctem, et ab infimis et ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes,

14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione : subitaneus enim illis, et insperatus timor supervenerat.

4 « Spelunca : » domus propriâ, qua pedem efferre propter horrendas tenebras non auderent. Unde domus instar carceris, ipsi sine ferro, tenebris velut vinculis tenebantur, supra, ℣ 2. infra, ℣ 15, 16, 17. Quæ omnia pertinent ad interpretationem hujus textus quo scribitur : « Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat. » Exod. x. 23.

6 « Subitaneus ignis : » pyrà, rogus, Gr. Credibile est accensos ingentes rogos discutiendis tenebris subito apparuisse per Ægyptum totam : sed hæc terrori erant, cum lucem non darent. « Timore perculsi : » cum obscuræ pallentesque facies territarent, etiam quæ videbant, habebant pro horribilioribus spectris.

7 « Magicæ artis : » Gr. magicæ artis jacebant ludibria : (in magis nullum præsidium, ut in aliis aliquot plagis Ægyptiacis.) « Et sapientiæ gloriæ correptio » (erat) « cum contumelia : » qui sapientia illa magica gloriabantur, contumeliose corripiebantur.

9 « Etsi nihil illos : » etsi nihil erat monstri quod territaret. « Etiam aerem negantes se videre : » adeo exanimati metu, ut nec respirare se crederent ; videre autem, pro quolibet sensu sumitur. Alii, « negantes videre, » recusantes vertunt, occlusis oculis, ne, quæ undique ingruebant territamenta, aspicerent.

10 « Cum sit timida : » ex Gr. istud exculpseris : malitia enim proprio judicio condemnata terrificum quid testificatur sibi. Complutensis legit : formidolosa res est proprio teste (conscientia scilicet) damnata malitia. « Præsumit sæva, perturbata conscientia : » Gr. (malitia) præsumit sæva perturbata per conscientiam, sive conscientia, in ablativo casu.

11 « Proditio cogitationis auxiliorum. » Gr. proditio, sive consiliorum defectio quæ a cogitatione. Inde oritur timor, quod ipsa mens, velut prodita destitutaque, nec de auxilio cogitat.

12 « Dum ab intus minor : » quo cuique minus in se præsidii est, eo magis latere putat præsentem tormentorum causam : quod est calamitosissimum, cum pars aliqua sit solatii, mali scire originem.

13 « Impotentem noctem : » ineluctabilem. Alii, intolerabilem, evitatu sive toleratu impossibilem ; « et ab infimis, et ab altissimis : » duplex versio. Tota sententia in Gr. Illi autem qui (per) inevitabilem, (sive intolerabilem) noctem, et ab inevitabilis (sive intolerabilis) inferni speluncis supervenientem, eumdem somnum (æque irrequietum, æque turbulentum) dormiebant : aliquando, etc. horrenda nox, quæ ab altissimis inferi, ab ipso velut tartaro immissa videbatur.

14 « Animæ deficiebant traductione : » traditione, Gr. sive deliquio quo laborabant præ metu.

15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere, sine ferro reclusus.

16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium,

18. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.

19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur.

20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

CAP. XVIII. Hebræis clara lux : columna viæ dux, per noctem solis instar : 3. digni tenebris Ægyptii lucis ac veritatis hostes, 4. primogenitorum quoque cædes merito illata, 5. Phase, 6, 9. mortes undique et horrendi clamores per alta noctis silentia, 10, 11, 14, 15, 16. tantæ ultioni additi visus congrui per somnia, 17. et seq. ut causam supplicii, sed frustra recognoscerent, 18, 19. mors quoque immissa piis; sed prompta per Aaronem placatio, 21 et seq.

1. Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te :

2. Et qui ante læsi erant, qui non lædebantur, gratias agebant, et ut esset differentia, donum petebant.

3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti.

15 « Si quisquam decidisset : » erigere se non audebat, ne periculosius offenderet : « custodiebatur. » Vide ỳ 4.

16 « Si enim rusticus : » quocumque loco deprensi, ac tenebris præoccupati erant, eo constricti tenebantur.

17 — 18 « Sive spiritus.... aut sonus validus : » quocumque sonitu, seu leni, seu gravi, atque etiam suavi territabantur, exaggerato per tenebras metu.

20 « Gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat : » in inferno scilicet, ut passim in Scripturis. « Ipsi sibi erant graviores tenebris : » cæcitate mentis graviores tenebras intus circumferentes.

1 « Et horum quidem vocem audiebant : » Ægyptii, vicinis scilicet constituti locis : sive Israelitas, quocumque pergerent, lux sua sequebatur; quod innuere videtur, Exod. x. 23. « Magnificabant te : te, » deest in Gr. recte suppletum, ut videtur.

2 « Quia non lædebantur. » Cessatum enim a vexandis Hebræis, quod inimici nec se commovere possent. « Et ut esset differentia, donum, » (sive gratiam) Gr. « petebant : » Hebræi tanto præ Ægyptiis discrimine habiti, magni beneficii loco petebant, ut tale discrimen pios inter et impios stabile permaneret. In Gr. hi duo versus ad Ægyptios referri videntur, ut et magnificarent Hebræos tam dira a se passos, nunc autem ab omni malo liberos, et gratias haberent ipsis, quod læsi vicem non redderent, et ut porro pergerent benignitate et clementia differre ab Ægyptiis, supplicabant. Porro *diéécchthénai*, alii aliter vertunt; vulgati interpretis sensus verior.

3 « Propter quod : » Gr. pro quibus *anti ôn* harum tenebrarum loco Deus in deserto suis præstitit, ut ardentem columnam diu noctuque haberent ducem ignotæ viæ : Exod. XIII. 21. speciatim autem per noctem, solis cujusdam instar, sicut scriptum est : « Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis : » Ps. LXXVII. 14. Item, « Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. » CIV. 39 « Solem sine læsura. » Solem elegantissime appellat columnam ipsam quæ tam limpidam lucem ministraret; solem autem « sine læsura » (sive innoxium) quod non perureret, imo per diem a solis ardore protegeret;

4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari.

5. Cum cogitarent justorum occidere infantes, et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida.

6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæ quiores essent.

7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

8. Sicut enim læsisti adversarios : sic et nos provocans magnificasti.

9. Absconse enim sacrificabant justi pueri bonorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt : similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.

10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

11. Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus.

12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant : quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse.

14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet,

15. Omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit,

16. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra.

17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati.

18. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii quare mala patiebantur, perirent.

20. Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua.

solem etiam « boni hospitii. » Gr. « præclaræ peregrinationis : » supple, ducem : Græca sic habent : flammatam columnam ducem quidem ignotæ viæ ; solem vero innoxium præclaræ peregrinationis (ducem seu comitem) præstitisti.

4 « Per quos incipiebat.... legis lumen. » Jam fœdere constituto, ac tradita unius Dei fide, sabbati observantia, circumcisionis signaculo, Phase etiam apud Ægyptios instituto : de quo etiam ℣ 9.

5 « Uno exposito filio et liberato : » Moyse. « In traductionem, » convictionem illorum, ut supra, II. 14.

6 « Illa nox ante cognita : » prædicta Israelitis, Exod. XII. XIII.

9 « Absconse sacrificabant : » celebrato Phase : ibid. « Justitiæ legem : » Gr. divinitatis legem, unius Dei colendi ritum ; cui legi initiabantur præcipua solemnitate instituta : ibid. « Bona et mala recepturos justos, » supple, canebant ; « patrum » etiam, Patriarcharum qui æque bona et mala experti, sed tandem liberati, « decantantes laudes. »

10 « Inconveniens inimicorum vox. » Gr. dissonans, quippe « flebilis. »

12 « Uno nomine » sive genere « mortis : » æqua omnium cæde. « Natio : » nativitas, Gr. ut supra, XVI. 19. primogeniti spes et decus gentis.

13 « De omnibus non credentes : » Ægyptii per omnia increduli Deo, decepti scilicet « propter veneficia, » per incantamenta et magicas artes Dei imitatrices : « tunc primum cum fuit exterminium » ac cædes « primogenitorum, » obmutescente omni magorum jactantia, « spoponderunt » Hæbreos « populum Dei esse : » Gr. confessi sunt populum Dei esse filium : ut habetur Osee XI. 1. « Ex Ægypto vocavi filium meum. »

16 « Insimulatum : » minime fictum : *anupokriton*.

20 « Tentatio, » experimentum, « mortis : » a morte quoque tentati Israelitæ, potiusquam dejecti, ut infra 25. clarius explicatur, interveniente placatione per Aaronem, Num. XVI. 47.

21. Properans enim homo sine querella deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum qui se vexabat subjecit, juramenta parentum et testamentum commemorans.

23. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat viam.

24. In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta ; et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

25. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit : erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

CAP. XIX. Impiorum cæcitas, 1, 2, 3. adactorum ad pœnas digna necessitas, 4. creaturarum immutata natura in indoles, 6, 7, 18, 19, 20. elementa fidium instar disposita, Deo pulsanti subsunt, 17. relata obiter Benjaminitarum flagitia et inhospitalitas, 13. et seq.

1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit ; præsciebat enim in futura illorum :

2. Quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, et cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, et quos rogantes projecerant, hos tanquam fugitivos persequebantur :

4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas : et horum quæ acciderant commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis repleret punitio :

5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.

21 « Homo sine querela : » inculpatus : Aaron : « suæ servitutis scutum, » sive sui ministerii, *leitourgias,* arma. Gr. nempe thuribulum, incensum, preces : quæ arma sacerdotum. « Finem necessitati : » calamitati, Gr.

22 « Vicit autem turbas ; » turbam, Gr. seditiosum vulgus in ordinem coegit, sive etiam vicit turbam, seditionem, tumultum : « illum qui se vexabat : » populum in se insurgentem, et sibi sacerdotium invidentem, Core et Abiron sectatores. Num. Ibid.

23 « Interstitit : » stetit inter mortuos et viventes : Num. XVI. 48.

24 « In veste poderis : » vestis talaris, magnifica ac sacra, qua etiam Christus induitur : Apoc. I. 13. « Totus erat orbis terrarum, » sanctæ vestis textura ac magnificentia designatus, ut passim Hebræi docent. « Parentum magnalia ; » gloria. Gr. « in quatuor ordinibus lapidum : » ut habes Exod. XXVIII. 17. Notum de nomine duodecim patriarcharum totidem lapidibus insculpto. Ibid. 21. Unde pontifex populi habitus mediator, quod nomina filiorum Israel, duodecim scilicet tribuum, coram Deo portet super pectus suum. Ibid. 29. « Magnificentia tua in diademate : » in lamina illa ex auro purissimo, cui inscriptum erat, Sanctum Domino : Ibid. 36.

25 « His cessit qui exterminabat : » angelus divini mandati executor : « hæc extimuit : » reveritus : Gr. extimuerunt : seditiosi cives.

4 « Digna necessitas : » pœna scelerum inevitabilis : Gr. oblivionem injiciebat (inducebat), gravis illa scilicet instantis pœnæ necessitas excæcabat animos : indurabat, et præteritarum plagarum auferebat memoriam. Exod. VIII, IX, X, XI. « Ut quæ deerant tormentis : » Gr. ut eam quæ tormentis (adhuc) deerat, adimplerent pœnam, hoc est enim quod dixerat : « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. » Exod. IX. 16. Rom. IX. 17.

6 « Omnis creatura ad suum genus (in suo genere, Gr.) refigurabatur : » omnes creaturæ, ignis, aquæ, nubes, maria, veluti refectæ et instauratæ, novas formas naturasque induebant ; stabant aquarum moles; per mare iter latum, et alia quæ postea inculcat, ℣ 20.

7. Nam nubes castra eorum obumbrabat; et ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio:

8. Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra.

9. Tanquam enim equi depaverunt escam, et tanquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.

10. Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.

11. Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum adducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis.

12. In allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis per vim fulminum: juste enim patiebantur secundum suas nequitias.

13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant.

14. Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos.

15. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.

16. Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat.

17. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certo potest.

7 « Nubes castra eorum obumbrabat: » nùbes enim illa efformata in columnam, cum tabernaculum operiret, Num. IX. 15, 16. totis deinde castris se diffundebat, ac protegebat populum, juxta illud: « Expandit nubem in protectionem eorum: » Psalm. CIV. 39. unde Paulus ait, « sub nube fuisse. » Quæ sane ad Davidem et Paulum, vel traditione, vel Spiritu sancto dictante, perlata sunt. « Ex aqua...., terra: » patefacta terra, quæ antea sub profundo latebat « Campus germinans, » algosus: Græc. viridis herbæ ferax; unde fama apud Æthiopes, diviso mari, fundum viridis coloris apparuisse. Diod. l. III.

9 « Tanquam equi (læti et exultantes in pinguibus pascuis) depaverunt escam: » Gr. pascebant. « Tanquam agni: » allusum ad Ps. CXIV. 4, 6. « Colles sicut agni ovium. »

10 « Pro natione: » nativitate, Gr. ut supra, XVI. 19.

11 « Novam creaturam avium: » coturnices.

12 « In allocutione (in solatium, Gr.) desiderii, » Gr. deest. « Et vexationes, » ultiones, « peccatoribus supervenerunt: » quod fastidito manna carnes concupiverint, et seditiose poposcerint. Num. XI. « Non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis (non sine præviis signis sive portentis) per vim fulminum. » Docet intervenisse tonitrua, quod indicare videtur furor Domini concitatus in populum. Num. XI. 33.

13 « Etenim detestabiliorem (forte, quam gentes) inhospitalitatem instituerunt » (supple, Israelitæ.) Quædam hic deesse videntur ad rerum seriem; memorat autem fœdum Benjaminitarum facinus in Gabaa adversus levitam, de quo Jud. XIX. « Ignotos non recipiebant; » Jud. XIX. 15. « nullus eos recipere voluit hospitio. » Ibid. 18. « In servitutem redigebant: » velut servis abutebantur ad fœdas libidines, ut illi levitæ contigit.

14 « Alius respectus: » alia ulciscendi causa, quia non modo « inviti recipiebant extraneos, » verum etiam eos.

15 « Qui cum lætitia receperunt: » puta bonum illum semen, qui leviten « eisdem » utentem « justitiis, sub eadem Moysi lege viventem exceperat: » ℣ 20. « sævis afflixerunt doloribus, » usque adeo ut filiam opprimendam offerre cogeretur, ℣ 24.

16 « Percussi sunt autem cæcitate: » mentis quidem, ad exemplum eorum, quibus Angeli apud Sodomos cæcitatem immisere. Gen. XIX. 11.

17 « In se enim. » Hic etiam nonnulla sive exciderunt, sive transposita sunt. « In se elementa dum convertuntur. Dum » redundat, et in Gr. deest. « Convertuntur. » Gr. ad verbum, elementa in se harmoniam (sive concentum consensumque) mutantia, hoc est, in alias veluti formas naturasque conversa, ut habes ℣ 6. « Sicut in organo qualitatis sonus immutatur. » Gr. Sicut in psalterio, soni (nominativo plurali) modulationis nomen mutant; « et omnia suum sonum custodiunt. » Græcus ad elementa refert, semper manentia in sono; quæ neque in

18. Agrestia enim in aquatica convertebantur, et quæcumque erant natantia, in terram transibant.

19. Ignis in aqua valebat, supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliviscebatur.

20. Flammæ e contrario, corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur, sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis.

Græco, neque apud interpretem satis expedita sunt, et aliquid omnino in ipso textu labis, sensus autem est : Quam facile in organo musico, intensis remissisve fidibus, permanente sono, soni tamen modulus inflectitur ac mutatur, tam facile, Deo varie velut digitis elementa pulsante, ab iisdem naturis tanquam diversos sonos, ita diversos effectus elici : quod et seq. firmant. « Unde æstimari, » Gr. quod quidem liquido æstimari potest ex ipso rerum gestarum visu, hoc est, quod explorari potest ex ipis majorum nostrorum commemoratis historiis.

18 « Agrestia enim (sive terrestria, Gr.) in aquatica convertebantur : » quæ videntur spectare ad diluvium quo tempore « natantia, » natatilia, pisces, « transibant in terram. »

19 « Ignis in aqua, » ut dictum est supra, XVI. 17, 18, 19.

20 « Flammæ e contrario : » vide XVI. 18. nec « dissolverunt (seu dissolvebant, Gr.) illam : » vide ibid. 22, 27. Gr. nec dissolvebant facile dissolubile glaciale genus ambrosiæ escæ, hoc est, ex ejusdem capitis XVI. 22, 27. flammæ non dissolvebant nivem, sive grandinem et glaciem, cognatæ licet naturæ cum manna, quod exiguo solis radio tabescebat. « In omnibus enim : » summa dictorum a cap. XVI. ad finem, Deum innumerabilibus ostentis ac miraculis effecisse ut populus Israeliticus supra omnes populos clarus, et a Deo dilectus, neque ulla injuria violandus a gentibus habeatur; quo totus collimabat liber, ut mox etiam videbimus.

PRÆFATIO

IN ECCLESIASTICUM.

I. De inscriptione libri inter Græcos et Latinos. — II. De auctore libri : Grotii sententia de fine capitis L. et de capite LI. deque aliis locis huic et libro Sapientiæ additis. — III. De ætate libri : duæ ejus notæ ex ipso libro repetendæ. — IV. Quis fuerit ille Simon Onia filius ab Ecclesiastico celebratus? — V. Simonis primi ac successorum pacatissima tempora. — VI. Gravis persecutio tempore Ecclesiastici. — VII. Liber Ecclesiasticus circa Simonis II. tempora. — VIII. Nec tamen eo vivo. Primum ; quod Ecclesiasticus mortuos tantum laudaverit. — IX. Alterum ; quod ejus quoque tempore pacatissimæ res fuerint. — X. Onia III. Simonis II. filio pontifice, pax primum ; deinde vexatio a Seleuco ; tum vel maxime ab Antiocho Epiphane. — XI. Sub Antiocho scriptus liber, in ipsis persecutionis initiis, Onia adhuc superstite. — XII. De Onia III. objectio ex Josepho ; ex libris Machabaicis atque ipso Josepho soluta. — XIII. De tempore interpretationis græcæ. — XIV. De auctore et interprete S. Epiphanii et S. Joannis Damasceni loci. — XV. De latina interpretatione. — XVI. Vulgatæ hic additur versio ex Græco hodierno, Sixti V. Jussu edita. — XVII. De libri instituto ; et ut a Salomonicis Parabolis differat, et a libro Sapientiæ. — XVIII. Distributio operis. — De canonica et antiqua libri auctoritate ad disceptandas fidei quæstiones. — XX. — Cur Salomonis sit dictus : Isidori Hispalensis locus. — XXI. Ipse auctor prophetici instinctus sibi conscius.

I. Liber Ecclesiasticus is est, quem sanctus Hieronymus in Prologo sæpe memorato, et huic editioni præfixo ad libros Salomonis, hebraicum se reperisse testatur, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas prænotatum. Ab eodem Hieronymo appellatur « Panaretos Jesu filii Sirach liber. Panaretos autem, quod de omni virtute præcepta tradat, quo elogio passim a Græcis insignitur. Apud eosdem Græcos inscribitur, « Sapientia Jesu filii Sirach ; » ita Clemens Alexandrinus, ita Origenes, lib VIII. contra Celsum, n. 50, ita Eusebius Cæsariensis, lib. VIII. de Demonst. evang. ad Danielis hebdomadas ; ita sanctus Epiphanius, hæres. 76. quæ est Anomæorum, ad cap. v. Aetii, et alii plerique omnes. Hanc inscriptionem Complutensis editio retinuit ; Sixtinus vero codex, pro Sapientia Jesu filii Sirach, habet simpliciter, per contractionem, « Sapientia Sirach ; » cum Sirach scriptoris pater, non ipse scriptor fuisse memoretur. Latini vero Ecclesiasticum Jesu filii Sirach inscripserunt ; et Ecclesiasticum quidem, ut a Salomonis Ecclesiaste distinguerent, utroque vocabulo a concione deducto.

Nunc textus hebraicus nusquam est ; sed auctoris nepos profectus in Ægyptum, ibi relictos libros nactus, avi sui Jesu præclara monumenta in Græcum transtulit, Ptolemæi Evergetæ anno trigesimo octavo, ut ipse in Pro-

logo interpretationis suæ tradidit : quod quidem ad quale tempus pertineat, dicemus, ubi de auctoris ipsius nomine atque ætate constiterit.

II. Et auctoris quidem nomen ipsa prodit inscriptio, Græcorum Latinorumque omnium consensione firmata. Attestatur Græcus interpres, qui avum suum egregii scripti auctorem, Jesum nominet; quin ipse auctor antiquum in morem, nomen suum scripto indidit his verbis, quibus liber clauditur : « Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita. » (cap. L. 29) En nomen, en genus, en patriam ejus qui scripsit librum ; omnia prisco ritu ; ut equidem nesciam, quid Grotio in mentem venerit, qui notis ad eumdem locum, verba memorata a nepote auctoris, hujus libri editore et interprete, avi scripto addita asserit, nullo codicum testimonio, nulla conjectura, ut legenti patebit.

Neque magis audiendus, cum caput LI. quod sic inscribitur, « Oratio Jesu filii Sirach, » nepoti tribuit, nullo prorsus allato hujus rei argumento.

Gravius id quod idem tradidit, Præfatione ad notas in librum Sapientiæ, ei libro sicut et Ecclesiastico a christianis christiana quædam commodis locis addita, ac locutiones quasdam, quæ magis Evangelium sapiant, quam vetustiora tempora ; qua fiducia multa mutat, gustu quidem suo, nulla codicum aut antiquarum lectionum ope. Quæ si quisque pro libidine audeat, omnis priscorum librorum periclitabitur fides. Sed nos, quoad dabitur, horum omnium nullam haberi oportere rationem, suis locis demonstrabimus ; nunc quando nulla ratione afferuntur, pro certo dabimus, omnium hujus libri partium unum esse auctorem Jesum filium Sirach, qui eum hebraico sermone scripserit; nepotem, quocumque sit nomine, neque enim ipse prodidit, nihil sibi quidquam amplius tribuisse, quam ut interpretis officio fungeretur, ut ipso Prologo constat.

III. Nunc de libri ætate accuratius disputandum, quod ea res maxime ad scripti intelligentiam faciat. Duo autem esse videmus, unde hæc tempora æstimari possint : alterum, quod hujus scripti tempore gravem Judæis a gentibus ac regibus incubuisse vexationem, multi loci probant : alterum, quod ipse Siracides virorum illustrium laudes referens, ne antiquos tantum memorasse videretur, suo ævo propiorem Simonem Oniæ filium pontificem maximum ultimo loco celebraverit, cap. L, ex quo intelligitur circa ejus tempora claruisse.

IV. Sed de Simone quidem Oniæ filio ambiguum : cum duo ejusdem appellationis extiterint Josepho memorati, Originum lib. XII. alter secundo, alter quarto capite : Simon scilicet primus qui justus dicitur, Oniæ primi filius, secundi Oniæ pater ; ac Simon secundus Oniæ secundi filius, Oniæ tertii viri maximi ac sanctissimi pater, sub quo vexationem regum Syriæ cœpisse, Machabaica testatur historia.

V. Ac Simonis quidem illius primi, ut et successorum ejus, tempora tranquillissima fuisse constat. Successere enim Eleazarus frater, sub quo LXX. senum confecta interpretatio est, Manasses ; alii, sub quorum principatu Judaicæ res per totum fere seculum floruerunt ; quæ omnino ad eam pertinent pacem, quam instaurato templo diutissimam atque inconcussam futuram, Prophetæ quidem omnes, sed imprimis Isaias, magnificentissime prædixerunt ; qua de re dicendum erit brevi, cum jam ad Prophetas nostra promissa nos vocent.

VI. Per hanc ergo altissimam pacem, cum gentium reges populum sanctum, sanctam civitatem ac templum omni honore cumularent, nullus erat locus his Ecclesiastici nostri precationibus : « Innova signa et immuta mirabilia : glorifica manum et brachium dextrum : excita furorem et effunde iram,

tolle adversarium et afflige inimicum : festina tempus et memento finis : in ira flammæ devoretur, qui salvatur (a vulgaribus vitæ humanæ casibus) et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem : contere caput principum inimicorum dicentium : Non est alius præter nos : » (cap. XXXVI. 6 et seq.) quæ quam apte conveniant Syrorum regnum superbiæ, ac diris vexationibus nemo ignoraverit qui Machabaicam historiam legerit.

Atque hæc quidem Ecclesiasticus pro universa plebe postulat, pro se autem speciatim agit gratias, quod ad necem postulatus, non sit derelictus in tempore superborum ; quod sit ereptus de tempore iniquo, ab iniquo rege atque a lingua injusta, cum impii homines etiam ex Israelitica gente, eos qui legem colerent, apud reges per calumniam adorti, majestatis reos agerent, ut sancto pontifici Oniæ III. contigisse, mox relaturi sumus ; quibus etiam temporibus sæpe se in vitæ discrimen adductum, Deique gratia liberatum, idem narrat Ecclesiasticus : (XXXIV. 13.)

Hæc igitur efficiunt, ne Simon primus is putetur fuisse, quem noster Siracides, ut ætati suæ proximum, commendaverit ; quin Eusebius Cæsariensis, vir in doctrina temporum versatissimus, loco jam citato Demonstrationis evangelicæ, Jesum filium Sirach claruisse refert sub eo Simone, qui Oniæ ac Machabæorum tempori proximus fuerit, quod Simoni II. Oniæ tertii patri congruit ; accedunt alii characteres alias observandi, queis Simon Ecclesiastici a Simone primo facile dignoscatur.

VIII. Sane Eusebius docet sub Simone II. non tantum vixisse Siraciden, sed etiam composuisse illam Sapientiam, quæ Panaretos appelletur. Verum duo prohibent quominus assentiamur. Primum, quod is scriptor eos tantum collaudaverit, qui vita functi essent : « Laudemus, » inquit, « viros gloriosos et parentes nostros, dum viverent :. .. omnes isti in generationibus.... (sive in vita sua) gloriam adepti sunt, et in diebus ipsorum gloria : corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum in seculum : » (cap. XLIV. 1, 7, 14.) ac de Simone nostro speciatim : (L. 1, 3.) « Simon Oniæ filius.... in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum : .... in diebus ipsius emanaverunt putei ; » et cætera id genus, ut addatur aliis, quorum memoriam commendabat.

IX. Huc accedit alterum, quod Simonis etiam hujus tempora pacatissima fuerint, neque dent locum piis auctoris nostri lamentis ac precibus, quas mox retulimus. Quod enim subditur : « Qui curavit gentem suam ; et liberavit eam a perditione : » v. 4. manifeste pertinet ad illum aliquot dierum, aut mensium metum, quo Ptolemæus Philopator Ægypti rex, dedita Jerosolymæ, templi adytum contra vetitum legis aditurus, Simonis pontificis precibus repente mutatus, non modo a proposito destitisse, verum etiam Judæis postea beneficisse memoratur, ut ad hunc locum dicemus : verbaque ipsa indicant, gentem non tam vexatam, quam statim liberatam fuisse. Quare Ecclesiasticus nullas postea turbas refert, ac levissimus motus altam in quietem desit : quo fit, ut Simonis quoque secundi viginti anni (tot enim in pontificatu egisse memoratur) pars sit vel optima illius beatæ pacis, quam Prophetæ cecinerint.

X. Quin etiam vigebat illa pax, sub Onia III. Simonis hujus filio, cujus fausta initia memorantur his verbis : « Cum sancta civitas habitaretur in omni pace : leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem;..... fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent... ita ut Seleucus (Philopator, Antiochi Magni filius, Antiochi Epiphanis pater) de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. (II. Mac. III. 1, 2, 3.) Cujus regis tempore solli-

citari cœpit Oniæ et Judæorum quies, misso Heliodoro, qui depositas in templo pecunias diriperet, sacri loci majestate spreta : (ibidem 8 et seq.) quo ex initio pessum omnia ire, cædes perpetrari, omnimodis calumniis appeti sanctus pontifex, demum ab Antiocho Epiphane pelli sacerdotio, ac suffecto impio Jasone, et post triennium magis impio Menelao, pollui sacerdotium, gentiles ritus induci, lex ipsa subverti, optimus pontifex per proditionem cædi : (II. Mach. IV. 1, 2, 3, 7, 23, 33.) ex quo ea consecuta sunt, quæ Matathiam, ejusque liberos Judam Machabæum, Jonathan et Simonem ad pia bella moverint

Omnino in arcanis erat Judaicæ gentis, per antiqua Prophetarum, Danielis vero maxime, oracula reseratis, ut a Seleucidarum gente quæ se diis æquiparaverat, atque ab Antiocho Epiphane, gravis illa persecutio oriretur : cujus initia ante Oniæ III. necem, cum Jesus noster cerneret, atque omnia in pejus ruitura facile provideret, has effudit preces ; eaque memoravit ac scripsit, quæ infandis temporibus congruisse vidimus, suóque loco clarius ostendemus.

XI. Et pronum quidem esset, hujus scripti ætatem ad ipsa Machabaica tempora revocare, quibus vexatio gravius insurgebat : verum illud obstitit, quod si pius scriptor post Oniæ III. necem opus edidisset, cum anteactæ ætatis illustres laudaret viros, neque hujus Oniæ parentem Simon præterisset, nullo modo prætermissurus videretur tantum pontificem, « provisorem civitatis, defensorem gentis, æmulatorem legis, » quin etiam mortuum, exoratorem plebis, Judæque adjutorem, omni denique virtute commendatissimum, qualis iste Onias in Machabaica historia describitur : (II. Mach. IV. 2. XV. 14.) cujus quidem silentii cum nullam idoneam causam a nobis inveniri potuisse fateamur, Ecclesiastici scriptionem, primum ad Oniæ III. tempora conferimus, tum in eos annos incidisse arbitramur, qui ab ipso persecutionis initio usque ad illius pontificis necem effluxerint ; hoc est, secundum Usserianas rationes, ad annum ante æram christianam circiter centesimum septuagesimum primum ; ab urbe condita fere quingentesimum secundum octuagesimum.

XII. Nec me fugit a Josepho scriptum (Originum XII. 6.) Jasonem Oniæ III. fratri mortuo successisse : quod cum nostris rationibus non convenit; sed sacræ historiæ Machabaicæ potior auctoritas, in qua libro II. cap. IV. v. 7, 34. Jasonem Oniæ viventi substitutum, sanctumque pontificem aliquanto post tempore Menelai proditione e vivis sublatum esse scribitur ; cui narrationi idem Josephus parum sibi consentiens, libro de Machabæis, (cap. III. et IV.) subscripserit.

Stet ergo firma hujus libri ætas sub Onia III. postquam ab altissima pace in diram vexationem sub Antiocho Epiphane, res Judaicas deductas esse constat.

XIII. Ac de libri quidem compositione hæc comperimus ; de nepotis interpretatione, ipse in Prologo prodidit eam esse in Ægypto factam, octavo et trigesimo anno Ptolemæi regis Evergetis ; quod multos fefellit : certum autem est duos fuisse Evergetas, horum postremum Ptolemæum Physconem, cujus etiam nomine nummi cusi reperiantur addito Evergetæ titulo; atque hujus duo initia ; alterum proprium, quo regnare solus cœperit ; alterum commune cum fratre Philometore; cujus quidem regni cum fratre initi anno octavo et trigesimo, ante Christum centesimo trigesimo secundo, Jesu Siracidæ nepos suam interpretationem ediderit, Joanne Hyrcano Simonis Machabæi filio pontifice.

Et libri quidem auctor posteaquam, ut fit persecutionum tempore, varias provincias oberravit, quod ipse testatur XXXIV. 12. in Ægypto consedisse, ubi

Judæi mitioribus regibus uterentur, atque ibi obiisse videtur, egregio libro ibidem relicto, quem parum vulgo notum, ut in ea regione, ubi inter Judæos quoque græca eloquentia obtineret, hebraica obsolesceret, longo tandem post tempore nepos reperit; quo quidem ex tempore Ecclesiasticus, sive Sapientia Jesu filii Sirach, eodem nepote interpretante græce innotuit: hebraicus textus magis magisque obsolevit, ac tandem amissus est.

XIV. De hoc autem libro, deque ejus interpretatione, ac de Salomonis Sapientiæ, sanctus Epiphanius de pond. et mens. n. 4, eumque secutus Joannes Damascenus, orth. fid. iv. 18. perturbate scripserunt; ex quibus inferas, et avum et nepotem utrosque Jesu nomine appellatos, nepotemque etiam fuisse Sirach filium: quod multi secuti sunt: nos rem non tanti esse ducimus, ut de ea litigare vacet: probare certe non possumus, id quod nonnullis placuit, librum nepotis interpretis potius quam avi scriptoris nomine prænotatum fuisse.

XV. Latinæ interpretationis auctorem ignoramus. Cum enim sanctus Hieronymus, neque Sapientiam, neque Ecclesiasticum verterit, horum librorum interpretatio apud Vulgatam nostram obtinuit ea, quæ in vulgus, sanctorum quoque Hieronymi et Augustini tempore ferebatur; cujus rei argumentum est, quod idem Augustinus speculum ex utraque compegerit; neque eas, alio magis quam tantæ antiquitatis titulo, commendatas volumus. Cæterum nec illud tacendum, Ecclesiastici aliam tunc quoque extitisse versionem, hodierno græco convenientiorem, qua et alii latini Patres, et ipse etiam Augustinus utatur.

Certe latina nostra interpretatio multum ab hodierno græco discrepat, atque omnino necesse est alium interpreti lectum esse græcum codicem, ac eum quem nunc habemus. Hodiernum planiorem, simpliciorem, breviorem, atque ideo sententiis aptiorem esse, nemo negaverit; multi tamen sunt loci, in quibus haud dubie Vulgatæ nostræ lectio sanior atque ordinatior; quo etiam factum est, ut græca perturbata in ejusdem Vulgatæ ordinem redigenda putaremus quin etiam græca quæ habemus variant, et inter se collata lucem sibi mutuo afferunt, ut notum est: atque harum rerum exempla suis locis melius annotanda nunc prætermittimus.

XVI. Vulgatæ nostræ versioni addimus eam, quam vir doctissimus, ac veterum latinarum græcarumque lectionum solertissimus indagator Flaminius Nobilius ex Græco Sixtino adornavit: eam sane confitemur aliquot in locis clariorem, et græco textui magis congruam fieri potuisse: quominus autem aliam ederemus, Sixtini decreti reverentia tenuit, cum illo et Nobilii versio commendetur, et alia quævis quovis colore prohibeatur. Damus tamen in notis, quæ planiora esse credimus, haud parvo emolumento, nisi nos fallit animus, futura lectoribus.

XVII. Nunc auctoris institutum facile intelligemus: in eo enim est, ut antecessores qui de sapientia scripserant imitatus, de universæ vitæ ratione promat sententias, intersertis inculcatisque iis, quæ ad temporum conditionem maxime pertinerent.

Et a Salomone quidem distat, quod ille sententias inordinate fere, atque inartificiose, nulloque nexu congerat; hic autem ad certa velut capita sæpius redigat, et ejusdem generis nectat: denique ad præcepta morum, majorum etiam exempla adjungat.

A Sapientiæ vero libro eatenus differt, quod is quidem fusius Græcorum in morem disserat; hujus autem pressius, ac Salomonico magis ritu modoque currant sententiæ. Ac Sapientiæ sane liber, in summa, ut videtur, pace conscriptus Alexandriæ, nulla turbarum mentione, id agit ut sanctam quidem

gentem inter ethnicos versantem ab idololatria, Ægyptios autem aliosque gentiles, nèc populos tantum, verum etiam reges a vexando populo Dei, priscorum Ægyptiorum exemplo, deterreat : Ecclesiasticus vero jam gravi persecutione incumbente, ac gentilium ritibus invalescentibus, pollutoque, ut diximus, sacerdotio, calamitatem deprecetur, legitimosque ritus, ac sacerdotii jura commendet. (XXXVI. 19. XLV. 30, 31. L. 12. et seq.)

XVIII. Opus tresin partes divisum videtur. Prima et secunda eæ sint cap. I. et XXIV. in quibus pro more sapientum hebræorum, de sapientia multa præfatus, huic præfationi connectit omnimodas sententias : quibus duabus partibus aqua propemodum distributione distinctis, accedit tertia a cap. XLII. v. 15. in qua exorsus a Dei laudibus, atque in virorum illustrium commendationem effusus, piam in orationem, sanctamque adhortationem desinit.

XIX. De libri auctoritate, in præfatione ad Sapientiam, quod ad institutum nostrum attinet, satis superque diximus. Et Græci quidem aliqui, puta Epiphanius, quique eum exscripsit Joannes Damascenus, locis supra citatis, aiunt Sapientiam Salomonis et Jesu filii Sirach libros quidem esse utiles, non tamen accenseri solere Scripturis, quas in arca testamenti repositas putabant. At idem Epiphanius, hæresi 76. quæ est Anomæorum, exprobrat Aetio, si Spiritu sancto esset genitus, id acturum fuisse, ut sacris codicibus veteris Testamenti usque ad Estheris tempora, ac novi Testamenti libris, item Sapientiis cum Salomonis, tum Jesu filii Sirach pervolutis, se ipsum (ut novæ sectæ conditorem) condemnaret; quo nihil clarius, ut probetur hos etiam libros æque ac alios, non eodem licet ordine, inter propheticas scripturas recensitos : quippe qui ad hæreses profligandas pariter cum cæteris advocentur. Huc accedit Origenes, qui Sapientiam Jesu Siracidæ pari cum aliis Scripturis, etiam Salomonicis, auctoritatis commendatione proferat : initio lib. VI. contra Celsum n. 7. cujus generis innumerabilia testimonia extare in confesso est. In occidente vero vidimus Augustini locum ex Ecclesiastico æque ac ex Pentateucho liberum arbitrium, aliaque fidei dogmata asserentis. (Præf. in Sap.) Ac ne africanam tantum Ecclesiam laudare videamur, hunc secutus e Gallis nostris Prosper urget Collatorem adhibitis Ecclesiastici testimoniis : (cont. Collat. n. 40. et alibi passim, nunc cap. 13, n. 4). quin ipse Collator in Galliis quidem agens, sed tamen Græcorum magis imbutus sententiis, haud minus quam cæteras Scripturas, eumdem librum laudat. (Coll. XIII. cap. 12.) Cum autem ibidem librum Pastoris attulisset, respondet Prosper : « illud nullius auctoritatis testimonium, » paria dicturus de Ecclesiastico, nisi hunc et canonicum et ab apocrypho secernendum duceret. Sic autem videmus utraque ex parte laudatum ad affirmandam fidem, et ab orthodoxis et ab adversariis : quod quidem ab antiqua traditione manaverat. Cui enim non notus ille Ecclesiastici locus, quem tantopere S. Cyprianus ejusque synodus septem et octoginta episcoporum in causa rebaptizationis, et quidem sub nomine Salomonis urgebant : « Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus ? » (Eccli. XXXIV. 30. Conc. Carth. sub Cypr. 27.) Neque catholicæ sententiæ defensores detrectabant auctoritatem, cum huic loco S. Augustinus studiosissime responderet; (lib. VI. de Bap. 34, n. 66. etc.) adeo solemne erat adhibere hunc librum in asserendis fidei dogmatibus.

XX. Cur autem Salomonis diceretur, Isidorus Hispalensis exponit his verbis : Ecclesiasticus morum pene omnium disciplinam, et sanctæ religionis conversationem affatim copioseque describit. Dictus est autem Ecclesiasticus, pro eo quod in medio cœtu populi, id est, coram ecclesia fuerit habitus: hic enim propter nimiam sensus similitudinem, et eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum a Jesu filio Sirach editum fuisse

et inter reliquos sanctarum Scripturarum libros pari habitum veneratione. (lib. Procem.)

XXI. Quin ipse Siracides prophetici spiritus et instinctus sibi conscius, hæc dicebat: « Ut furore enim repletus sum. In voce dicit: Obaudite me, divini fructus » (sancta fidelium soboles): XXXIX. 16, 17. cujus rei gratia addit: « doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach :... beatus qui in istis versatur bonis. (L. 29, 30.) Neque Salomon, aut quivis alius divino spiritu afflatus, majorem sibi conciliant auctoritatem quam hic auctor passim; atque ita omnino sua prædicat, ut solent ii qui se numine actos, nec se ipsos loqui, sed in se Deum sentiunt.

LIBER ECCLESIASTICI.

SAPIENTIA SIRACH.

PROLOGUS.

SIXTINA VERSIO.

Cum multa nobis et magna per legem, et prophetas, et alios qui illos secuti sunt, data sint, pro quibus oportet laudare Israel doctrinæ et sapientiæ causa, cumque eos, qui legunt, non solum ipsos oporteat fieri scientes, sed etiam extraneis studio disciplinæ ductos posse et dicendo et scribendo prodesse : avus meus Jesus, posquam amplius se dedit ad diligentiam lectionis legis, et prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, atque in his eum qui satis esse posset, habitum sibi comparasset, voluit et ipse scribere aliquid eorum quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, etiam horum participes facti, multo magis proficiant per vitam legitimam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videbimur in non-

ECCLESIASTICUS JESU FILII SIRACH.

PROLOGUS.

VERSIO VULGATA.

Multorum nobis [1] et magnorum, per legem et prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est, in quibus oportet laudare Israel doctrinæ et sapientiæ causa; quia non solum ipsos loquentes [2] necesse est esse peritos, sed etiam extraneos [3] posse, et dicentes et scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, et prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, et illorum periti facti, magis magisque attendant animo, et confirmentur ad legitimam vitam [4]. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere [5] in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ [6], deficere in verborum com-

1 « Multorum nobis : » vide Gr.

2 « Non solum ipsos loquentes : » docentes sive voce, sive scripto.

3 « Extraneos . » ab Israelitica republica, sive a sapientiæ studiis, necesse est sapientum dicta recolentes, et ipsos in dicendo et scribendo doctiores fieri.

4 « Ad legitimam vitam : » ex legis placitis componendam.

5 « Veniam habere · » dare

6 « Sequentes imaginem sapientiæ : » Gr. deest Sensus est, sententiis inhærentem, in verborum compositione nonnunquam defecisse.

nullis ad interpretandi rationem elaboratis dictionibus deficere. Non enim eamdem vim habent hæc in seipsis hebraice dicta, atque ad alteram translata linguam. Non solum autem hæc, sed et ipsa lex et prophetiæ, et cæteri libri non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, posquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuissem, inveni exemplar non parvæ doctrinæ. Maxime necessarium putavi ipse aliquam adhibere diligentiam et laborem interpretandi librum istum : multam enim vigiliam, et doctrinam attuli in spatio temporis ad hoc, ut ad finem ducens istum librum, ederem etiam iis qui in paræcia volunt discere præparati moribus ad vivendum in lege.

positione. Nam deficiunt verba hebraica[7], quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum hæc, sed et ipsa lex et Prophetæ[8], cæteraque aliorum librorum, non parvam habent differentiam[9], quando inter se dicuntur. Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis[10] regis, postquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum; et multa vigilia attuli doctrinam[11] in spatio temporis, ad illa quæ[12] ad finem ducunt, librum istum dare, et illis qui volunt[13] animum intendere et discere, quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere.

CAPUT PRIMUM. Adhortatio ad sapientiam : ejus dignitas : cum Dei timore conjungitur.

S. V. — Omnis sapientia a Domino, est, et cum illo est in ævum.

Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies seculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli et latitudinem terræ, et abyssum,

Et sapientiam quis investigabit?

Prior omnium creata est sapien-

V. V. — 1. Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

2. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies seculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?

3. Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigavit?

4. Prior omnium creata est sa-

7 « Deficiunt verba hebraica : » non eamdem vim habent.

8 « Ipsa lex et Prophetæ. » Hæc indicant non modo legem, verum etiam Prophetas, aliosque sacros libros jam in græcum versos : ac de lege quidem constat, cum LXX. interpretes longe antea prodiissent Eleazaro pontifice, Ptolemæo Philadelpho rege.

9 « Non parvam.... quando inter se dicuntur : » conferuntur.

10 « Ptolemæi Evergetis : » vide præf. num. XIII.

11 « Multa vigilia attuli doctrinam : » Gr. multam vigiliam et doctrinam attuli.

12 « Ad illa quæ : » Gr. ad hoc ut ad finem ducens, etc.

13 « Et illis qui volunt : » Gr. interserit : iis qui in paræcia, in vicinis locis : melius, in peregrinatione : Judæis in exteras regiones longe lateque dispersis ac sæpe peregrinantibus; quemadmodum ipse autor XXXIV. 12. LI. 18. Hunc ergo librum peregre agentibus comparabat, ne a patriis legitimisque ritibus ad gentium mores deficerent.

1 « Ante ævum, » ante omnia secula : in ævum, Gr. in æternum.

2—3 « Altitudinem cœli..... sapientiam Dei : » Gr. altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et abyssum, et sapientiam quis investigabit? hoc est, sapientia tam est impenetrabilis, quam ista tria.

4 « Creata est : » *ektistai*, genita est, constituta est, ordinata est, et omnibus Dei operibus præposita est sapientia; hæc enim omnia, græca vox sonat, ut notant Athanasius, Eusebius, et alii passim. Veritas autem hebraica in Proverbiis, unde ista deducta sunt, clare habet gene-

tia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

Radix sapientiæ, cui revelata est? et astutias illius quis agnovit?

Unus est sapiens metuendus nimis, sedens super thronum suum.

Dominus ipse creavit eam, et vidit, et dinumeravit eam,

Et effudit illam super omnia opera sua, cum omni carne secundum datum suum et præbuit illam diligentibus se.

Timor Domini, gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis.

Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum.

Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ inveniet gratiam.

Initium sapientiæ, timere Deum; et cum fidelibus in vulva concreatum est eis; et cum hominibus fundamen-

pientia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

5. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis : et ingressus illius mandata æterna.

6. Radix sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit?

7. Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingressus illius quis intellexit?

8. Unus est altissimus creator omnipotens et rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius et dominans Deus.

9. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est.

10. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se.

11. Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis.

12. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum.

13. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.

14. Dilectio Dei honorabilis sapientia.

15. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum.

16. Initium sapientiæ, timor Domini : et cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis fœminis gra-

rationem, ut notavimus, Prov. VIII. 22. sive, creata est in hominum cordibus, et effusa super omnia opera Dei : infra, 10.

5 « Verbum Dei : » verbum illud, illa Sapientia apud Deum, origo est sapientiæ in nos derivatæ. « Ingressus illius : » viæ : consilia : opera. Deest in multis codicibus græcis.

6 « Astutias illius : » varia et arcana consilia.

8 « Unus est : » addit Gr. sapiens. « Super thronum illius : » suum . Gr.

9 « In Spiritu sancto : » per creatorem illum spiritum, quo mundum cor, veraque sapientia creatur in nobis. « Et dinumeravit : » novit omnia, quæ sapientia, numero, mensura, pondere disposuit. Sap. XI. 21.

10 « Effudit illam : » quod in omnibus Dei operibus ars opificis elucescat. « Secundum datum suum : » secundam voluntatem ac mensuram suam. I. Cor. XII. 11. Eph. IV. 7. Quisque habet quantum dederit.

13 « In die defunctionis : » mortis, cujus vocis alteram interpretationem habes 19.

15 « Quibus apparuerit in visu : » ut Salomoni, III. Reg. III. 5. « diligunt eam : » idem Salomon per somnum, sapientiam bonis omnibus anteponens, ejus magnifica dona suscepit. Ibid. 11. et seq.

16 « Cum electis fœminis : » cujus loco Gr. cum hominibus fundamentum seculi (vitæ humanæ sustentaculum, virtutem ipsam scilicet) nidificavit : (quasi exclusis ovis peperit.) Quibus ostendit, ab ipsa infantia insitam cum timore Domini sapientiam.

tum seculi nidificavit, et cum semine eorum concredetur.

ditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur.

17. Timor Domini, scientiæ religiositas.

18. Religiositas custodiet et justificabit cor : jucunditatem atque gaudium dabit.

19. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur.

Plenitudo sapientiæ, timere Dominum ; et inebriat eos de fructibus ejus.

20. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius.

Omnem domum illius implebit desideriis, et receptacula de generationibus ejus.

21. Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius.

Corona sapientiæ, timor Domini, germinans pacem, et sanitatem incolumitatis ; et vidit, et dinumeravit eam.

22. Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, et salutis fructum :

23. Et vidit, et dinumeravit eam : utraque autem sunt dona Dei.

Scientiam, et cognitionem intellectus effudit, et gloriam tenentium ipsam exaltavit.

24. Scientiam, et intellectum prudentiæ sapientia compartietur : et gloriam tenentium se, exaltat.

Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami ejus longævitas.

25. Radix sapientiæ est timere Dominum : et rami illius longævi.

26. In thesauris sapientiæ intellectus, et scientiæ religiositas : execratio autem peccatoribus sapientia.

27. Timor Domini expellit peccatum.

Non poterit ira injusta justificari ; impetus enim iræ ejus subversio est ejus.

28. Nam qui sine timore est, non poterit justificari : iracundia enim animositatis illius, subversio illius est.

Usque in tempus sustinebit patiens ; et postea reddetur ei jucunditas.

29. Usque in tempus sustinebit patiens : et postea redditio jucunditatis.

Usque in tempus abscondet verba sua, et labia fidelium enarrabunt sensum ejus.

30. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius.

20 « Plenitudo a fructibus : » ex fructibus.

21 « Implebit a generationibus : » implebit fructibus, sive proventibus. Præpositio redundat, ut in hac interpretatione passim : quod semel notandum : Gr. implebit desideriis, hoc est, cupitis bonis : « receptacula : » cellas, horrea.

22 « Replens pacem : » Gr. germinans. « Salutis : » sive incolumitatis : « fructum. »

23 « Et vidit, et dinumeravit eam : » pacem et incolumitatem suo numero ac mensura tribuit.

24 « Compartietur : » dispertiet : Gr. effudit, impluit. « Tenentium se : » tenentium ipsam : Gr.

25 « Rami illius longævi : » Gr. longævitas, longitudo dierum.

28 « Qui sine timore est : vide Gr. « Iracundia animositatis : » vide Gr.

30 « Verba illius : » Gr. sua : de toto versu vide Gr. Sensus est : hominis taciti atque ipso silentio venerandi, multi ultro sensa laudabunt ; quo fit, ut defensione sive excusatione non egeat.

In thesauris sapientiæ, parabola scientiæ; execratio autem peccatori, cultura Dei.

Concupisti sapientiam, serva mandata; et Dominus præbebit tibi eam.

Sapientia enim et disciplina, timor Domini, et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo.

Non sis incredibilis timori Domini; et ne accesseris ad eum duplici corde.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum; et in labia tua intende.

Non exaltes te ipsum; ne cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem.

Et revelabit Dominus absconsa tua, et in medio synagogæ elidet te.

Quoniam non accessisti ad timorem Domini, et cor tuum plenum est dolo.

31. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ:

32. Execratio autem peccatori, cultura Dei.

33. Fili, concupiscens sapientiam, corserva justitiam; et Deus præbebit illam tibi.

34. Sapientia enim et disciplina timor Domini, et quod beneplacitum est illi,

35. Fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius.

36. Ne sis incredibilis timori Domini; et ne accesseris ad illum duplici corde.

37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum; et non scandalizeris in labiis tuis.

38. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem,

39. Et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te;

40. Quoniam accessisti maligne ad Dominum; et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

CAP. II. Patientia: tentatio sive probatio: timor Dei: fiducia: duplici corde: duabus viis ingredi: incidere in manus Dei.

s. v. — Fili, accedens ad servitutem Domini Dei, præpara animam tuam ad tentationem.

Dirige cor tuum, et sustine; et ne festines in tempore obductionis.

Conjungere ei, et ne recedas; ut crescas in novissimis tuis.

Omne, quod tibi applicitum fue-

v. v.—1. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore; et præpara animam tuam ad tentationem.

2. Deprime cor tuum, et sustine; inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus; et ne festines in tempore obductionis.

3. Sustine sustentationes Dei; conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua.

4. Omne, quod tibi applicitum

31 « Significatio disciplinæ: » ex eo thesauro erumpunt sententiæ · sive ut habet Gr. parabola erudita. Vide 26, 27.

36 « Incredibilis: » incredulus.

37 « Non scandalizeris: » ne verbis tuis capiare: vide Gr.

39 « Revelet Deus absconsa tua: » occulta flagitia tua. Jer. XIII. Ezech. XXIII. « In medio synagogæ: » publice.

1 « Ad tentationem: » eam, quæ versatur in doloribus et cruciatibus perferendis, de qua Rom. v. 3, 4, 5.

2 « Ne festines: » ne præcipite et impatiente sis animo: « In tempore obductionis. » Gr. insultus, impetus, illatæ calamitatis; oppressionis, ut Vulgat. vertit XI. 9.

3 « Sustentationes Dei: » tribulationes ab ipso immissas. « Ut crescat: » ut seni tibi prorogentur dies.

4 « Omne, quod applicitum fuerit: » casus omnes secundos et adversos. « In humilitate: » dejectione, cum in terram fueris deturbatus.

rit, accipe, et in humilitate tua patientiam habe :

Quoniam in igne probatur aurum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.

Crede ei, et recuperabit te : dirige vias tuas, et spera in illum.

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus, et non deflectatis ne cadatis.

Qui timetis Dominum, credite illi ; et non cadet merces vestra.

Qui timetis Dominum, sperate in bona, et in lætitiam seculi, et misericordiæ.

Respicite in antiquas nationes, et videte ; quis confidit in Domino, et confusus est?

Aut quis permansit in timore ejus, et derelictus est? aut quis invocavit illum, et despexit eum?

Quoniam pius et misericors est Dominus, et remittit peccata, et salvat in tempore tribulationis.

Væ cordibus timidis, et manibus dissolutis, et peccatori ingredienti duabus viis.

Væ dissoluto cordi ; quia non credit ; ideo non protegetur.

Væ vobis, qui perdidistis sustinentiam ; et quid facietis, cum inspicere cœperit Dominus?

Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbis illius ; et qui di-

fuerit, accipe ; et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe ;

5. Quoniam in igne probatur aurum et argentum ; homines vero receptibiles in camino humiliationis.

6. Crede Deo, et recuperabit te ; et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce.

7. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus ; et non deflectatis ab illo, ne cadatis.

8. Qui timetis Dominum, credite illi : et non evacuabitur merces vestra.

9. Qui timetis Dominum sperate in illum ; et in oblectationem veniet vobis misericordia.

10. Qui timetis Dominum diligite illum ; et illuminabuntur corda vestra.

11. Respicite, filii, nationes hominum ; et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.

12. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum?

13. Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata ; et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

14. Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis.

15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo ; et ideo non protegentur ab eo.

16. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas.

17. Et quid facient? cum inspicere cœperit Dominus?

18. Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius : et qui

6 « In illo veterasce : » senesce in timore ejus.

11 « Nationes hominum : » antiquas generationes, Gr.

14 « Væ duplici corde : » hypocritis, dissimulatoribus, levibus ingeniis, nec sibi satis constantibus.

16 « Sustinentiam : » patientiam.

18 « Incredibiles : » increduli, ut jam dictum.

ligunt illum, conservabunt vias ejus.

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei : et qui diligunt illum, replebuntur lege.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius humiliabunt animas suas.

Incidamus in manus Domini, et non in manus hominum.

Secundum enim magnitudinem ipsius, et sic misericordia illius.

diligunt illum, conservabunt viam illius.

19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.

20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

21. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius; et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius,

22. Dicentes : Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.

23. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.

CAP. III. De parentum reverentia. 2. usque ad 19. mites : magni se humilient : compressa curiositas, 22. ad 27. cor durum et immisericors, qui amat periculum, 27. peccata peccatis addita, 29. superbis Deus implacabilis : vera sapientia abstinere a peccato : eleemosyna ac beneficentia, 33, 34, et cap. seq.

S. V.

Me patrem audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis.

Dominus enim honoravit patrem in filiis, et judicium matris firmavit in filios.

Qui honorat patrem, exorabit pro peccatis;

Et sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.

Qui honorat patrem, jucundabitur a filiis, et in die orationis suæ exaudietur.

Qui honorificat patrem, vita vivet longiore, et qui obedit Domino, refrigerabit matrem suam, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

In opere et sermone honora patrem tuum,

V. V. — 1. Filii sapientiæ, ecclesia justorum : et natio illorum, obedientia, et dilectio.

2. Judicium patris audite, filii; et sic facite, ut salvi sitis.

3. Deus enim honoravit patrem in filiis, et judicium matris exquirens, firmavit in filios.

4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur.

5. Et sicut qui thesaurisat, ita et qui honorificat matrem suam.

6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur.

7. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore, et qui obedit patri, refrigerabit matrem.

8. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

9. In opere et sermone et omni patientia patrem tuum,

19 « Replebuntur lege : » cognitione et amore legis.

1 « Natio illorum : » generatio, fructus.

2 « Judicium patris : » jus patrium : Gr. me patrem audite, filii; velut Dei nomine : ut a vero patre discatis quid debeatis parentibus : quod exequitur usque ad versum 19. Gr. variat, ℣ 3, 4, 13, 16, 18.

Ut superveniat tibi benedictio ab eo.

10. Ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat.

Benedictio enim patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.

11. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.

Ne glorieris in contumelia patris tui; non est enim tibi gloria, patris confusio.

12. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio.

Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filiis mater sine honore.

13. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore.

Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius;

14. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius:

Et si defecerit sensu, veniam da: et non spernas eum in qualibet virtute tua.

15. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione.

Eleemosyna enim patris non erit in oblivione; et pro peccatis, in justitia ædificabitur tibi.

16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum,

In die tribulationis tuæ commemorabitur tui; sicut in sereno glacies, sic solventur tua peccata.

17. Et in justitia ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui: et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.

Tanquam blasphemus est, qui dereliquit patrem, et est maledictus a Domino, qui exasperat matrem suam.

18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.

Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et ab homine acceptabili diligeris.

19. Fili, in mansuetudine opera tua perfice; et super hominum gloriam diligeris.

Quanto major es, tanto magis te humilia; et coram Deo invenies gratiam.

20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus; et coram Deo invenies gratiam:

Quoniam magna est potentia Domini, et ab humilibus honorificatur.

21. Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.

Difficiliora te ne quæsieris; et fortiora te ne scrutatus fueris.

22. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

Quæ præcepta sunt tibi, hæc cogita; non est enim tibi opus absconditis.

23. Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

In supervacuis operum tuorum ne fueris curiosus; plurima enim super sensum hominis ostensa sunt tibi.

24. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter; et in pluribus operibus ejus non eris curiosus.

16 « Pro peccato matris : » sive pro injuria quam a matre patienter tuleris.
17 « Ædificabitur tibi : » domus tua scilicet : res tuæ constabilientur.
20 « Quanto magnus es : » major.
24 « In supervacuis rebus : » Gr. in supervacuis operum tuorum : in illis operibus quæ sunt supervacua. Vulgata planior.

25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.

Multos enim implanavit suspicio ipsorum; et cogitatio mala labefecit sensus illorum.

26. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum.

Et qui amat periculum, in illud incidet; cor durum habebit male in novissimis.

27. Cor durum habebit male in novissimo : et qui amat periculum, in illo peribit.

28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur.

Cor durum gravabitur laboribus; et peccator adjiciet peccatum super peccata.

29. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.

Obductioni superbi non est sanatio; frutex enim peccati radicavit in illo.

30. Synagogæ superborum non erit sanitas : frutex enim peccati radicabitur in illis, et non intelligetur.

Cor sapientis cogitabit parabolam; et auris auditoris, desiderium sapientis.

31. Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.

32. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit.

Ignem ardentem extinguet aqua; et eleemosyna expiabit peccata.

33. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis :

Qui redit gratias, commemoratur in posterum; et in tempore casus sui, inveniet firmamentum.

34. Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam : meminit ejus in posterum, et in tempore casus sui, inveniet firmamentum.

CAP. IV. Sequitur de adjuvandis pauperibus, usque ad 12. Sapientiæ utilitas : homines tentationibus probat, ad 23. prava verecundia, ad 32. peccata cui confitenda, 31. ne contra ictum fluvii, 32. pro justitia certa, 33. lingua præceps : in domo ut leo, 34. beneficus, 35.

s. v. — Fili, vitam pauperis ne defraudes, et ne protrahas oculos egenos.

v. v. — 1. Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere.

Animam esurientem ne contristes, et non exasperes virum in inopia sua.

2. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua.

26 « Multos quoque : » multos enim : Gr. quæ particulæ ad antecedentia referunt. « Supplantavit : » Gr. implanavit, decepit « Suspicio illorum : » conjecturæ de rebus maximis.

28 « Scandalizabitur : » offendet, cadet.

30 « Synagogæ, » cœtui « superborum : » Gr. *épagôgé*, immissis superbo calamitatibus : ut supra, II. 2. quæ sunt immedicabiles, Deo implacabiliter ulciscente.

31 « Cor sapientis... in sapientia : » cogitabit parabolam : Gr. similitudines, quibus obvelata veritas, gratius et suavius postea elucescat. « Auris bona : » Gr. auris audientis votum seu desiderium sapientis : sapiens cupit habere dociles auditores. Vide infra, XXV. 12.

34 « Deus prospector est : » Gr. simpliciter : qui reddit gratias (sive beneficiorum memor) memorabitur in posterum, etc.

1 « Oculos tuos : » ne protrahas (in longum ducas), oculos egenos : Gr. ne egentes expectare facias.

3 « Cor inopis : » Gr. irritatum, exacerbatum. « Angustianti : » indigenti : Gr.

Cor irritatum ne conturbes, et ne protrahas datum angustianti.

Rogationem tribulati ne abjicias, et ne avertas faciem tuam ab egeno.

Ab inope non avertas oculum; et ne relinquas locum homini, ut maledicat te.

Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ suæ, deprecationem ejus exaudiet is qui fecit illum.

Congregationi amabilem te facito; et magnati humilia caput tuum.

Inclina pauperi aurem tuam, et responde illi pacifica in mansuetudine.

Libera eum qui injuriam patitur, de manu injuriam inferentis; et non acedieris in judicando.

Esto pupillis ut pater, et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi, et diliget te magis mater tua.

Sapientia filios sibi exaltavit, et suscipit inquirentes se.

Qui diligit illam, diligit vitam; et qui mane vigilaverint ad illam, implebuntur lætitia.

Qui tenuerit illam, hæreditabit gloriam; et quocumque introibit, benedicet Dominus.

Qui servient ei, servient Sancto; et eos qui diligunt eam, diligit Dominus.

Qui audit illam, judicabit gentes; et qui ad illam accesserit, habitabit confidens.

Si crediderís, hæreditabis illam, et in possessione erunt creaturæ ipsius.

3. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti.

4. Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno.

5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram; et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere.

6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum.

7. Congregationi pauperum affabilem te facito: et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum.

8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam; et redde debitum tuum; et responde illi pacifica in mansuetudine.

9. Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi; et non acide feras in anima tua.

10. In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum:

11. Et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.

12. Sapientia filiis suis vitam inspirat: et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ.

13. Et qui illam diligit, diligit vitam: et qui vigilaverint ad illam, complectantur placorem ejus.

14. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: et quo introibit, benedicet Deus.

15. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto: et eos qui diligunt illam, diligit Deus.

16. Qui audit illam, judicabit gentes: et qui intuetur illam, permanebit confidens.

17. Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illius.

9 « Superbi : » injuriam inferentis : Græc. « non acide : » acerbe : at Gr. ne pusillo animo sis in judicando, quod Vulgat. ad seq. refert.

13 « Complectentur (assequentur) placorem : » placiditatem : tranquillitatem « ejus : » fruentur quiete quam dederit.

15 « Sancto : » ipsi Deo.

17 « Hæreditabit : » possidebit. « Erunt in confirmatione creaturæ illius : » fructus, proventus, ipsa ejus soboles consistet firmius.

Quoniam oblique ambulat cum eo in primis;

Timorem autem et metum adducet super illum, et cruciabit illum, in disciplina sua; donec credat animæ illius, et tentet eum in justificationibus suis.

Et rursus redibit recta ad illum, et lætificabit illum, et denudabit absconsa sua.

Si autem aberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manibus ruinæ suæ.

Conserva tempus et devita a malo; et pro anima tua ne confundaris.

Est enim confusio adducens peccatum; et est confusio, gloria et gratia.

Ne accipias faciem adversus animam tuam, et ne reverearis in casum tuum.

18. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum.

19. Timorem et metum, et probationem inducet super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius.

20. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum.

21. Et denudabit absconsa sua illi; et thesaurizabit super illum scientiam, et intellectum justitiæ.

22. Si autem oberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manus inimici sui.

23. Fili, conserva tempus, et devita a malo.

24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum.

25. Est enim confusio adducens peccatum; et est confusio adducens gloriam et gratiam.

26. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.

27. Ne reverearis proximum tuum in casu suo:

18—19 « In tentatione... timorem et metum... donec tentet eum... et credat animæ illius. » His versibus id agit Ecclesiasticus, ne victi difficultatibus quæ viam sapientiæ incuntibus occurrunt, animis concidamus. Comparat autem sapientiam homini periclitanti amici fidem, neque arcana sua facile committenti, anteaquam caute probaverit : sic agit sapientia. « In primis, » ac primum quidem, initio : « in tentatione ambulat cum illo : » tentat hominem obsequentem sibi. « Et eligit eum. » Summo delectu utitur, neque cuivis obvio se tradit, sive, ut habet Græcus, oblique ambulat cum illo : quam lectionem firmant sequentia, ac maxime versus 20. Oblique autem, hoc est, velut incerto pede ambulat cum amatore suo, nec statim illi fidit, seu mavis, amatorem suum quasi per anfractuosa et confragosa deducit, timoremque incutit, et diligenter probat, neque parcit cruciatibus quibus illum erudiat, donec probato et tentato ad extremum credat, et omnia arcana effundat in sinum : ut patebit. ℣ 21. Addit Gr. et tentet eum in justificationibus suis, hoc est, et probet illum vere justum fuisse : sic Abraham, sic Jacob, sic Moyses, aliique non nisi probati et difficultatibus exerciti, veræ sapientiæ compotes facti sunt. Pergit :

20 « Et iter adducet directum ad illum : » hoc est, ducet illum per itinera recta, ut Sap. x. 10. atque ut hic habet, Gr. redibit recta via ad illum : non jam oblique, ut ℣ 18. « Et lætificabit illum : » renudatis sapientiæ arcanis, ut habent sequentia : quarum rerum summo est Sap. III. 5. ubi ait : « Tentavit eos, et invenit illos dignos se. »

22 « Si autem oberraverit : » clarius, aberraverit, Gr. Dixit quæ eventura sint homini per calamitates probato : at eadem sapientia aberrantem deseret. « Et tradet eum in manus inimici sui : » Gr. ruinæ suæ : notus hebraismus : omni ope destituet, ac certo dedet exitio.

23 « Conserva tempus : » vide I. 28.

24 « Pro anima tua : » pro salute animæ tuæ. Aggreditur autem homines male verecundos, qui veritatem erubescunt.

25 « Est confusio : » est pudor bonus malusque, quorum causas aperit sequentibus.

26 « Ne accipias faciem : » sive personam : utrumque enim Gr. congruit. Ne sis personarum acceptor; vel, noli judicare secundum externam speciem, quod est Joan. VII. 24. « Nolite judicare secundum faciem (sive speciem) sed rectum judicium judicate. »

27 « Ne reverearis. » Ne te falsa reverentia prohibeat quominus proximum tuum errantem et cæcum candidis monitis a certa pernicie deterreas. Gr. Ne reverearis in casum tuum, cum veritatem tacens, tibi ipsi accersis exitium.

Non retineas verbum in tempore salutis.

In sermone enim cognoscetur sapientia, et doctrina in verbo linguæ.

Non contradicas veritati; et de ineruditione tua confundere.

Ne confundaris confiteri peccata tua; nec coneris contra fluxum fluminis; et non subjicias te homini stulto; et ne accipias faciem potentis.

Usque ad mortem agonizare pro veritate: et Dominus Deus pugnabit pro te.

Noli asper esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis.

Noli esse sicut leo in domo tua, et arreptitius in domesticis tuis.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

28. Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

29. In lingua enim sapientia dignoscitur: et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ.

30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo; et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

31. Non confundaris confiteri peccata tua: et ne subjicias te omni homini pro peccato.

32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia: et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

34. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis.

35. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.

36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

CAP. V. Divitiis ne confidas, 1, 2, 3, 10. de peccato statim expiando, 4. ad 10. levi animo et vario, 11. firmo, 12. miti, 13. lingua, 14. ad fin.

S. V. — Noli attendere ad divitias tuas; et ne dixeris, Sufficientes mihi sunt.

Ne sequaris animam tuam, et fortitudinem tuam, ut ambules in concupiscentiis cordis tui.

V. V. — 1. Noli attendere ad possessiones iniquas; et ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis.

2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui:

28 « Non abscondas sapientiam tuam in decore suo: » nempe in gravibus periculis, quo tempore decet maxime.

31 « Ne subjicias te » Ita confitere peccata, ut non cuivis, sed sapientissimo cuique emendanda ac medicanda committas.

32 « Noli resistere: » pro his Gr. habet: Non subjicias te homini stulto, nec accipias faciem (seu personam) potentis.

33 « Agonizare: » velut in agone certa, proposito præmio. « Deus expugnabit: » brevius Gr. et Deus pugnabit pro te.

34 « Noli citatus esse: » præceps: *tachus*. Alii legunt, *trachus*, violentus, asper, Alii, *thrasus*, confidens, temerarius: eodem sensu. Vulgata lectio planior et antiquior.

35 « Evertens domesticos. » Præclare Gr. (noli esse) arreptitius seu potius imaginosus, furens: *phantasiokopōn*: exagitatus plantasiis: cujusmodi illa fuisse dicitur apud Ter. in Hec.

1 « Obductionis: » vide supra, II. 2.

2 « In fortitudine tua. « Ne viribus confisus » sequaris concupiscentiam. » Ne sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes. Num. XV. 39.

Et ne dixeris, Quis me subjiciet? Dominus enim vindicans vindicabit te.

Ne dixeris, Peccavi, et quid mihi accidit? Dominus enim est patiens.

De propitiatu noli esse sine metu, ut adjicias peccatum super peccata.

Et ne dicas, Miseratio ejus magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur.
Misericordia enim et ira ab illo; et super peccatores requiescet ira illius.
Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim egredietur ira Domini, et in tempore vindictæ disperdet.

Noli attentus esse in divitiis injustis; nihil enim adjuvaberis in die obductionis.
Non ventiles in omni vento, et non eas in omni via : sic peccator duplex lingua.

Esto firmus in intellectu tuo; et unus sit sermo tuus.

Esto velox in auscultatione tua; et in longanimitate profer responsum.
Si est tibi intellectus, responde proximo : sin autem, sit manus tua super os tuum.

Gloria et inhonoratio in sermone; et lingua hominis, subversio est illius.
Non appelleris susurro; et lingua tua ne insidieris.

Super furem enim est confusio, et denotatio pessima super bilinguem.

3. Et ne dixeris : Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.
4. Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.
5. De propitiato peccato noli esse sine metu : neque adjicias peccatum super peccatum.
6. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.
7. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant; et in peccatores respicit ira illius.
8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.
9. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.
10. Noli anxius esse in divitiis injustis; non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ.
11. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.
12. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia; et prosequatur te verbum pacis et justitiæ.
13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientia proferas responsum verum.
14. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris.
15. Honor et gloria in sermone sensati : lingua vero imprudentis subversio est ipsius.
16. Non appelleris susurro; et lingua tua ne capiaris, et confundaris.
17. Super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem : susurratori autem odium, et inimicitia et contumelia.

3 « Quomodo potui? » quanta potui?
10 « Noli anxius esse in divitiis injustis, » comparandis, sive tuendis.
12 « Esto firmus in via Domini : » vide Gr.
14 « Sin autem : » sin minus.
15 « Lingua imprudentis : » hominis, simpliciter : Gr.

In magno et in parvo non ignores.

18. Justifica pusillum et magnum similiter.

CAP. VI. Sit firma amicitia, 1. superbi : de amicis comparandis, servandis, observandis, 5 ad 18. de sapientia, ejusque levi jugo, 18 ad finem : audiendi senes et docti, 35, 36.

s. v. — Et noli fieri pro amico inimicus: nomen enim malum, confusionem et improperium hæreditabit. Sic peccator bilinguis.

Ne te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne diripiatur, velut taurus, anima tua.

Folia tua comedes, et fructus tuos perdes, et relinques te velut lignum aridum.

Anima nequam disperdet eum qui se habet, et gaudium inimicorum faciet eum.

Guttur dulce multiplicabit amicos suos, et lingua beneloquens multiplicabit bonas salutationes.

Multi pacifici sint tibi : consiliarii autem tui sint unus de mille.

Si possides amicum, in tentatione posside eum, et non facile credas ei.

Est enim amicus in tempore suo, et non permanebit in die tribulationis tuæ.

Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam, et rixam opprobrii tui denudabit.

v. v. — 1. Noli fieri pro amico inimicus proximo : improperium enim et contumiliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis.

2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne forte elidatur virtus tua per stultitiam,

3. Et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo.

4. Anima enim nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem impiorum.

5. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos : et lingua eucharis in bono homine abundat.

6. Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.

7. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei.

8. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis.

9. Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam; et est amicus qui odium, et rixam, et convitia denudabit.

18 « Justifica : » absolve, « pusillum et magnum pariter : » æquo utrumque judicio : Gr. in magno et parvo non ignores : ne te in negotiis minutissima quæque fugiant.

1 « Hæreditabit : » possidebit. « Omnis peccator : » Gr. simpliciter. Sic peccator bilinguis : supple, possidebit malum.

2 « Virtus tua : » anima tua : Gr.

3 « Et folia tua comedat : » stulta superbia, de qua præcedente : ne decorem simul remque amittas, nec tantum folia, verum etiam fructus.

5 « Lingua eucharis : » gratiosa : comiter loquens ; « in bono homine abundabit. » Vir bonus abundat verbis mitibus : Gr. Lingua beneloquens (dulciloqua) multiplicabit bonas salutationes : (multos salutatores, ac fausta imprecantes.)

6 « Multi pacifici : » socii, convictores.

7 « In tentatione posside amicum : » non nisi tentatum et probatum. « Non facile : » non cito, non temere, non statim, « credas ei » teipsum. « Jesus non credebat semetipsum eis. » Joan. II. 24.

8 « Secundum tempus suum : » secundum rationes et utilitates suas.

9 « Et rixam : » Gr. rixam opprobrii tui « denudabit : » quæ iratus effuderis, nec amicum celandum putaris.

Et est amicus socius mensarum, et non permanebit in die necessitatis tuæ.

Et in bonis tuis erit, tanquam tu, et in domesticis tuis fiducialiter aget.

Si humiliatus fueris, erit contra te, et a facie tua abscondet se.

Ab inimicis tuis separare : et ab amicis tuis attende.

Amicus fidelis, protectio fortis ; et qui invenit illum, invenit thesaurum.

Amico fideli nulla est comparatio, et non est pondus bonitati ejus.

Amicus fidelis, medicamentum vitæ : et qui metuunt Dominum, invenient illum.

Qui timet Dominum, bonam habet amicitiam suam : quoniam secundum ipsum, sic et proximus ipsius.

Fili, a juventute tua excipe doctrinam ; et usque ad canos invenies sapientiam.

Quasi is qui arat et qui seminat, accede ad illam ; et sustine bonos fructus illius.

In operatione enim illius paululum laborabis ; et cito edes de generationibus illius.

Quoniam aspera est nimium indoctis, et non permanebit in illa excors.

Quasi lapis probationis fortis erit in illo, et non demorabitur projicere illam.

Sapientia enim secundum nomen suum est : et non est multis manifesta.

10. Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.

11. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget :

12. Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

13. Ab inimicis tuis separare : et ab amicis tuis attende.

14. Amicus fidelis, protectio fortis : qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

15. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.

16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis : et qui metuunt Dominum, invenient illum.

17. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam : quoniam secundum illum erit amicus illius.

18. Fili, a juventute tua excipe doctrinam ; et usque ad canos invenies sapientiam.

19. Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.

20. In opere enim ipsius exiguum laborabis ; et cito edes de generationibus illius.

21. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus ! et non permanebit in illa excors.

22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam.

23. Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta : quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.

11 « Amicus.... quasi coæqualis : » Gr. in bonis tuis (rebus tuis florentibus) erit : (utetur ut suis :) sicut tu. « Et in domesticis tuis : » in famulitio tuo : « fiducialiter, » cum imperio, « aget. »

12 « Si humiliaverit se : » Gr. si humiliatus (dejectus) fueris, erit contra te, et a facie tua abscondet se : (a te recedet.)

13 « Ab inimicis tuis separare : » non affectu, sed convictu, ne te per calumniam prodant. « Ab amicis attende : » ne amittas eos : neu plus æquo et sine ulla cautione credas.

21 « Excors : » insanus, insensatus.

22 « Quasi lapidis virtus : » vide Gr. Sensus autem est : erit in insensato sapientia, quasi lapis gravis ei traditus ad explorandas vires, quem statim quasi pondere victus, projiciet. Zach. XII. 3. « Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis. »

23 « Sapientia secundum nomen est ejus : » Gr. nomen suum : secundum famam suam est.

Audi, fili, et accipe sententiam meam, et ne abjicias consilium meum.

Et injice pedes tuos in compedes illius, et in torquem illius collum tuum.

Subjice humerum tuum, et porta illam : et ne acedieris vinculis illius.

In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus.

Investiga, et quære : et manifestabitur tibi; et continens factus, ne derelinquas illam.

In novissimis enim invenies requiem ejus; et convertetur tibi in oblectationem.

Et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, et torques illius in stolam gloriæ.

Decus enim aureum est in ea, et vincula illius, fila hyacinthina.

Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis impones tibi.

Si volueris, fili, disces : et si accommodaveris animum tuum, callidus eris.

Si dilexeris audire, excipies : et si inclinaveris aurem tuam, sapiens eris.

In multitudine presbyterorum sta; et qui sapiens, ei conjungere : omnem narrationem divinam velis audire : et proverbia intellectus non effugiant te.

Si videris sensatum, evigila ad eum; et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

Cogitatum tuum habe in præceptis Domini, et in mandatis illius me-

24. Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum.

25. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum :

26. Subjice humerum tuum, et porta illam; et ne acedieris vinculis ejus.

27. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus.

28. Investiga illam, et manifestabitur tibi; et continens factus, ne derelinquas eam :

29. In novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem.

30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis; et torques illius in stolam gloriæ.

31. Decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris.

32. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi.

33. Fili, si attenderis mihi, dices : et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire, sapiens eris.

35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire : et proverbia laudis non effugiant a te.

36. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

37. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius

talis est qualis esse memoratur, nempe abscondita, impervestigabilis : « Sapientia » enim « ubi invenitur ? » Job. XXVIII. toto capite, et supra, I. 3.

25 « Injice pedem tuum : »

26 « Subjice humerum. » En vincla, en compedes, en jugum sapientiæ : hominemque totum, humeris, collo, pedibus, manibus, ejus vinculis illigatum, comprehensum, tentum : eoque magis liberum, quod justitiæ servum. « Et ne acedieris; » graveris, defatigeris : Gr.

28 « Continens factus : » Gr. ejus possessor, compos, *egkratès* quod et continentem et compotem sonat.

30 « Et erunt tibi compedes. » Initia quidem sapientiæ difficilia atque aspera cupiditatibus edomandis; at jam edomitis ac sub jugum missis, omnia libertati et honori vertent.

31 « Decor enim vitæ : » Gr. decus aureum : sive mundus aureus in ea; ornatus omnimodi. « Alligatura salutaris : » non qualis vinctis, sed qualis infirmis sanandis adhiberi solet : Gr. nexus hyacinthus, qualem induere jussi Israelitæ ad decorem. Num. XV. 38.

35 « Presbyterorum : » seniorum, senatorum.

ditare semper. Ipse firmabit cor tuum : et concupiscentia sapientiæ tuæ dabitur tibi.

maxime assiduus esto : et ipse dabit tibi cor; et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

CAP. VII. Malis mala, 1, 2, 3. ne quæras honores, 4, 6. munerum amplitudo non placat Deum, 9, 10. Inspector Deus, 12. de calumniis et omni mendacio, 13, 14. agricultura, 16. amicus, 20. bonus paterfamilias servis, mercenariis, liberis, uxori, jumentis etiam, parentibus, sacerdotibus, amicis, egenis consulit, ac novissima cogitat, 21, etc. ad fin.

s. v. — Noli facere mala : et non te apprehendet malum.

Discede ab iniquo; et declinabit a te.

Fili, non semines in sulcis injustitiæ : et non metes eos in septuplum.

Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.

Non te justifices ante Dominum : et penes regem noli velle videri sapiens.

Noli quærere fieri judex; ne forte non possis auferre iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis; et ponas scandalum in rectitudine tua.

Non pecces in multitudinem civitatis; nec te dimittas in turbam.

Non alliges bis peccatum : in uno enim non eris immunis.

Noli esse pusillanimis in oratione tua : et eleemosynam facere ne despicias.

Ne dicas : In multitudinem munerum meorum respiciet, et offerente me Deo altissimo, suscipiet.

Ne irrideas hominem, qui sit in amaritudine animæ suæ : est enim qui humiliat, et qui exaltat.

Noli arare mendacium adversus fratrem tuum; neque in amicum similiter facias.

v. v. — 1. Noli facere mala; et non te apprehendent.

2. Discede ab iniquo; et deficient mala abs te.

3. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ; et non metes ea in septuplum.

4. Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.

5. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est : et penes regem noli velle videri sapiens.

6. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis; et ponas scandalum in æquitate tua.

7. Non pecces in multitudinem civitatis; nec te immittas in populum :

8. Neque alliges duplicia peccata : nec enim in uno eris immunis.

9. Noli esse pusillanimis in animo tuo.

10. Exorare et facere eleemosynam ne despicias.

11. Ne dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet.

12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus.

13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum; neque in amicum similiter facias.

3 « Et non metes : » ut non metas, etc.

8 « Duplicia peccata : » et tua scilicet, et aliena : Gr. ne alliges bis peccatum, iterando et assuescendo, quod sequenti congruit.

9 « In animo tuo : » Gr. in precatione tua : ne villa et caduca a Domino petas, neque a magno parva, sed magna, ut Salomon sapientiam.

13 « Arare mendacium : » ne mendacia studiose velut sulcos producas. hic autem prohibet calumniam. At postea :

Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non in bonum.

Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum; et non iteres verbum in oratione tua.

Non oderis laboriosam operationem et rusticationem creatam ab Altissimo.

Non te computes in multitudine peccatorum.

Humilia valde spiritum tuum : memento quoniam ira non tardabit : quoniam vindicta impii, ignis et vermis.

Ne commutes amicum propter indifferens, neque fratrem germanum in auro Suphir.

Noli discedere a muliere sensata et bona : gratia enim ejus super aurum.

Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

Servum sensatum diligat anima tua : non defraudes illum libertate.

Pecora tibi sunt? attende illis; et si sunt tibi utilia, perseverent apud te.

Filii tibi sunt? erudi illos, et curva a pueritia collum eorum.

Filiæ sibi sunt? serva corpus earum : et ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

Trade filiam, et grande opus feceris; et homini sensato da illam.

Mulier est tibi secundum animam? ne projicias eam.

In toto corde honora patrem tuum; et genitus matris non obliviscaris.

14. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona.

15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum; et non iteres verbum in oratione tua.

16. Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo.

17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum.

18. Memento iræ, quoniam non tardabit.

19. Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.

20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem carissimum auro spreveris.

21. Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini : gratia enim verecundiæ illius super aurum.

22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua : non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

24. Pecora tibi sunt? attende illis : et si sunt utilia, perseverent apud te.

25. Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.

26. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum : et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

27. Trade filiam, et grande opus feceris; et homini sensato da illam.

28. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te. In toto corde tuo.

29. Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris :

14 « Omne mendacium. » Neque modo calumniam vites, verum etiam quodcumque mendacii genus. « Assiduitas illius non est bona : » quo sensu infra, IX. 4. « cum saltatrice ne assiduus sis : » indicat autem, ubi semel admiseris, facile in consuetudinem trahi.

15 « Presbyterorum : » seniorum, qui potius audiendi. « Non iteres verbum in oratione » (precatione) « tua. » Ne sis multiloquus : qualem arguit Christus. Matth. VI. 7.

19 « Ignis et vermis : » vide Marc. IX. 43.

20 « Amicum pecuniam differentem : » tardantem reddere. « Auro : » propter aurum. At Gr. ne commutes amicum propter indifferens : qua voce etiam Cicero utitur · græca phrasi pulcherrima : propter fortunas ac rem, qua ad bonum malumve uti possis.

Memento ea per eos natus es : et quid retribues illis, quomodo illi tibi?

In tota anima tua time Dominum; et sacerdotes illius suspice.

In tota virtute dilige eum qui te fecit; et ministros ejus non derelinquas.

Time Dominum; et honorifica sacerdotem :

Et da illi partem, sicut mandatum est tibi, primitias, et pro delicto,

Et datum brachiorum, et sacrificium sanctificationis, et primitias sanctorum.

Et pauperi porrige manum tuam; ut perficiatur benedictio tua.

Gratia datus in conspectu omnis viventis : et in mortuo ne prohibeas gratiam.

Non desis plorantibus, et cum lugentibus luge.

Ne pigriteris visitare ægrotum : ex his enim diligeris.

In omnibus verbis tuis memorare novissima tua; et in æternum non peccabis.

30. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses : et retribuo illis quomodo et illi tibi.

31. In tota anima tua time Dominum; et sacerdotes illius sanctifica.

32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas.

33. Honora Deum ex tota anima tua; et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis.

34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis; et de negligentia tua purga te cum paucis.

35. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum :

36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua.

37. Gratia dati in conspectu omnis viventis : et mortuo non prohibeas gratiam.

38. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.

39. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua; et in æternum non peccabis.

CAP. VIII. Cum quoque ut agendum : cum divitibus : cum indoctis : cum violentis, etc. Ne spernas peccatorem resipiscentem ; ne læteris de morte inimici. 8. audi seniores, 9. et seq.

s. v. — Non litiges cum homine potente; ne forte incidas in manus illius.

Non contendas cum viro locuplete; ne forte statuat contra te pondus.

Multos enim perdidit aurum, et

v. v. — Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.

2. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi.

3. Multos enim perdidit aurum et

31 « Sacerdotes illius sanctifica : » suspice, admirare : Gr.

33 « Propurga te cum brachiis : » oblatis frugibus tuo opere comparatis. Vide 35.

34 « Purgationis : » pro delicto : Gr. supple, hostiam : hebraismus : « de negligentia : » alia versio : « purga te cum paucis : » exiguis muneribus magna peccata redime.

35 « Initia, » seu primitias « sanctorum : » sancta vocantur, quæ Domino consecrata.

37 « Et mortuo non prohibeas gratiam : » dona pro ipsis oblata, ut factum est II. Mac. XII, 43. aut munera sepulturæ, aliaque ad mortuorum memoriam.

39 « In dilectione firmaberis : » diligeris : Græc.

a « Ne contra te : » Gr. ne tibi præponderet.

corda regum fecit declinare.

Non litiges cum homine linguoso, et non struas super ignem illius ligna.

Ne colludas cum indocto; ne inhonorentur majores tui.

Non improperes homini avertenti se a peccato : memento quoniam omnes in correptionibus sumus.

Ne spernas hominem in sua senectute : etenim ex nobis senescunt.

Noli de mortuo gaudere : memento quoniam omnes morimur.

Ne despicias narrationem sapientum ; et in proverbiis eorum conversare.

Ab ipsis enim disces doctrinam, et servire magnatis.

Non te prætereat narratio seniorum : et ipsi enim didicerunt a patribus tuis :

Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.

Non incendas carbones peccatoris, ne incendaris in igne flammæ illius.

Ne contra faciem stes contumeliosi ; ne insideat, quasi insidiator, ori tuo.

Noli fœnerari homini fortiori te : quod si fœneraveris, quasi perditum habe.

Non spondeas super virtutem tuam : quod si spoponderis, quasi persoluturus, cogita.

Ne litiges cum judice : quoniam secundum existimationem ejus judicabunt ei.

Cum audace ne eas in via, ne gravetur contra te. Ipse enim secundum voluntatem suam faciet ; et simul cum stultitia illius peries.

argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit.

4. Non litiges cum homine linguato ; et non strues in ignem illius ligna.

5. Non communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur.

6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei : memento quoniam omnes in correptione sumus.

7. Ne spernas hominem in sua senectute : et enim ex nobis senescunt.

8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere : sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire.

9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare.

10. Ab ipsis enim disces sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela.

11. Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt a patribus suis :

12. Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.

13. Non incendas carbones peccatorum arguens eos ; et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.

14. Ne contra faciem stes contumeliosi ; ne sedeat, quasi insidiator, ori tuo.

15. Noli fœnerari homini fortiori te ; quod si fœneraveris, quasi perditum habe.

16. Non spondeas super virtutem tuam : quod si spoponderis, quasi restituens cogita.

17. Non judices contra judicem : quoniam secundum quod justum est judicat.

18. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te : ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries.

3 « Convertit : » declinare fecit : Gr.

5 « Non communices : » ne colludas : Gr. « Ne male de progenie tua : » de genere tuo. Imperitus enim de te tuisque quidvis effutiverit.

6 « In correptione sumus : » correptioni obnoxii.

18 « Ne gravet mala sua in te ; » Gr. ne gravis tibi sit ; ipse enim « secundum voluntatem suam vadit : » Gr. faciet ; neque sana consilia audiet.

Cum iracundo ne facias rixam, et cum illo ne eas per desertum : quoniam quasi nihil est ante illum sanguis; et ubi non est adjutorium, elidet te.

Cum fatuo consilium non habeas : non enim poterit verbum celare.

Coram extraneo non facias occultum : nescis enim quid pariet.

Non omni homini cor tuum manifestes : et non referat tibi gratiam.

19. Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum : quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te.

20. Cum fatuis consilium non habeas : non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.

21. Coram extraneo ne facias consilium : nescis enim quid pariet.

22. Non omni homini cor tuum manifestes; ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

CAP. IX. De uxore et mulieribus, usque ad 14. de amicis, 14, 15. peccatorum gloria, 16, 17. cum principibus parce : explora proximum, 21. qui convivæ adhibendi : qui sermones, 22, 23. effutitor, 25.

s. v. — Non zeles mulierem sinus tui : neque doceas super te doctrinam nequam.

Non des mulieri animam tuam, ut ascendat ipsa super virtutem tuam.

Ne respicias mulierem multivolam; ne forte incidas in laqueos illius.

Cum psaltrice ne assiduus sis; ne forte capiaris in tentationibus ejus.

Virginem ne aspicias; ne forte scandalizeris in decoribus ejus.

Ne des fornicariis animam tuam; ne perdas hæreditatem tuam.

Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in desertis illius.

Averte oculum a muliere formosa, et ne circumspicias speciem alienam.

Propter speciem mulieris multi

v. v. — 1. Non zeles mulierem sinus tui; ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.

2. Non des mulieri potestatem animæ tuæ; ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris.

3. Ne respicias mulierem multivolam; ne forte incidas in laqueos illius.

4. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam; ne forte pereas in efficacia illius.

5. Virginem ne conspicias; ne forte scandalizeris in decore illius.

6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo; ne perdas te, et hæreditatem tuam.

7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.

8. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam.

9. Propter speciem mulieris multi

20 « Non enim poterunt diligere. » Vide Gr.

21 « Coram extraneo : » viro parum noto. « Consilium. » Vide Gr.

1 « Ne ostendat super te : » tuis suspicionibus facta astutior, et ad ultionem prompta : Gr. neque doceas super te doctrinam nequam : zelando, suspicando, metuendo, ad prava quæque consilia adiges.

3 « Ne respicias mulierem multivolam : » cupidam, libidinosam : ex earum genere quas Paulus ait duci variis desideriis. II. Tim. III. 6. Gr. clare : ne occurras mulieri meretricii habitus.

4 « Cum saltatrice : » seu psaltrice. His enim artibus homines quam facile inescari soleant, experientia docet. « In efficacia : » Gr. conatibus; sive ut alii legunt, studiis.

5 « In decore : » Gr. *en epitimiois* : quod sonat « pœnas : » sensus autem est : ne te illa male mulctet : ne ex amore ejus malum incumbat tibi. Alii legendum suspicantur, *en epithumiais*, in concupiscentiis ejus : quod planius.

7 « Noli circumspicere : » ut faciunt, qui et capere et capi quærunt : recte Grot. venatores formarum. « In plateis : » Gr. in disertis; in locis minus habitatis : male sagacem hominem notat, qui undecumque quærit quo pereat, sive in notis quadriviis, sive in occultis desertisque angulis.

aberraverunt; et ex hoc concupiscentia, quasi ignis, exardescit.

perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.

11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasis ignis exardescit.

Cum aliena muliere non sedeas omnino, neque agites convivia cum illa in vino:

12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum:

Ne forte declinet cor tuum in illam, et spiritu tuo labaris in perditionem.

13. Et non alterceris cum illa in vino; ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem.

Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non est simili illi.

14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi.

Vinum novum, amicus novus: si inveteraverit, cum suavitate bibes illud.

15. Vinum novum, amicus novus: veterascet, et cum suavitate bibes illud.

Non zeles gloriam peccatoris: non enim scis quæ sit illius subversio.

16. Non zeles gloriam, et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio.

Non bene sentias de beneplacito impiorum: memento quoniam usque ad inferos non justificabuntur.

17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius.

Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi: et non suspicaberis timorem mortis.

18. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi; et non suspicaberis timorem mortis.

Et si accesseris, noli delinquere; ne auferat vitam tuam.

19. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere; ne forte auferat vitam tuam.

Scito quoniam in medio laqueorum ingrederis, et super pinnacula civitatum ambulas.

20. Communionem mortis scito quoniam in medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis.

Secundum virtutem tuam conjecta de proximis: et cum sapientibus consulta.

21. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo; et cum sapientibus et prudentibus tracta.

Cum intelligentibus sit collocutio tua, et omnis enarratio tua, in lege Altissimi.

22. Viri justi sint tibi convivæ; et in timore Dei sit tibi gloriatio,

Viri justi sint tibi convivæ: et in timore Domini sit gloriatio tua.

23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.

13 « Non alterceris. » Vide Gr.

16 « Quæ futura sit illius subversio; » Gr. *katastrophé*, finis, exitus: quanquam ea vox subversionem, ac perversitatem sonat. II. Tim. II. 14.

17 « Usque ad inferos non placebit: » ante mortem dabit pœnas: cui consentit Gr.

18 « Longe abesto. » Hac parabola docet parce ac modeste utendum potentiorum consuetudine.

20 « Super dolentium » (sive iratorum) « arma » (expedita scilicet exacutaque) « ambulabis: » Gr. super pinnacula civitatum: pari ubique periculo.

21 « Cave a proximo. » Explora proximum: Gr. fac conjecturam de proximo.

In manu artificum, opus laudabitur: et princeps populi sapiens in sermone suo.

Terribilis in civitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit.

24. In manu artificum opera laudabuntur; et princeps populi in sapientia sermonis sui; in sensu vero seniorum verbum.

25. Terribilis est in civitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit.

CAP. X. De regnis, divitibus ac magistratibus, ad 29. parcendum inimicis, 6, 9, 10. superbia, 14, 15, 21, 22. eversio regnorum et gentium, 26 et seq. pauperes et divites, 25, 26. operarius, jactator, 29, 30. peccatum, 32. vera gloria, 33.

8. v. — Judex sapiens erudiet populum suum: et principatus sensati ordinatus erit.

Secundum judicem populi sui, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales omnes inhabitantes in ea.

Rex insipiens perdet populum suum: et civitas habitabitur per sensum potentium.

In manu Domini potestas terræ: et utilem suscitabit in tempus super illam.

In manu Domini prosperitas hominis; et super personam scribæ imponet gloriam ipsius.

In omni injuria ne succenseas proximo; et nihil agas in operibus contumeliæ.

Odibilis coram Domino est et hominibus superbia: et ex utrisque delinquet injusta.

Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et contumelias, et pecunias.

Quid superbit terra et cinis? quoniam in vita projeci intima ejus.

v. v. — 1. Judex sapiens judicabit populum suum; et principatus sensati stabilis erit.

2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.

3. Rex insipiens perdet populum suum: et civitates inhabitabuntur per sensum potentium.

4. In manu Dei potestas terræ: et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

5. In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum.

6. Omnis injuriæ proximi ne memineris; et nihil agas in operibus injuriæ.

7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas gentium.

8. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.

9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis?

10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua.

1 « Stabilis erit: » Gr. ordinatus, unde stabilitas.

5 « Scribæ: » docti.

7 « Et execrabilis: » et ex utrisque delinquet injusta: Gr. sive ut alii codices: ex utrisque delictum injustitiæ: utrumque injustum est: odiosum esse Deo; odiosum hominibus.

9—10 « Avaro nihil scelestius. Quid superbit.... nihil est iniquius.... hic enim et animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua: » viscera sua; adeo tenax pecuniæ, ut cum aliquid elargiri cogitur, quasi extrahi sibi putet viscera: vel, dum defraudat genium, vivus intestina ipsamque animam projicit. Variant Gr. codices: et quidem quæ de avaro habet Vulgata, in Sixtino exciderunt, nimis interrupto sensu; eaque ex optimis codicibus supplevimus: qui etiam pro *erripsa*, projeci, quod habet Vulgatus, habent, projecerunt, *erripsan*; porro Vulgata legit *erripsé*, projecit.

11. Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum.

In prolixum languorem cavillatur: et rex hodie est, et cras morietur.

12. Brevem languorem præcidit medicus : sic et rex hodie est, et cras morietur.

Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.

13. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes et bestias, et vermes.

Initium superbiæ hominis, cum apostatavit a Deo,

14. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo :

Et ab eo, qui fecit eum, recessit cor ejus. Quoniam principium superbiæ, peccatum; et qui tenuerit eam, profundet abominationem.

15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus : quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem.

Propter hoc incredibiles fecit Dominus obductiones, et destruxit eos in finem.

16. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem.

Sedes ducum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis.

17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.

Radices gentium evulsit Dominus, et plantavit humiles pro eis.

18. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantabit humiles ex ipsis gentibus.

Terras gentium evertit Dominus, perdidit eas usque ad fundamenta terræ.

19. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum.

Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra.

20. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra.

21. Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu.

Non est creata hominibus superbia; neque ira furoris generationibus mulierum.

22. Non est creata hominibus superbia; neque iracundia nationi mulierum.

12 « Brevem languorem præcidit medicus. » Multa hic perturbatio ex variis lectionibus. Vulgatus enim legit *mikron*, parvum seu brevem : quod Gr. *makron*, longum. Variant etiam Gr. codices : Sixtinus enim habet, *skópteï*, illudit, irridet, cavillatur. Alii optimi codices, *kopteï*, incidit, præcidit, quod legit Vulgatus. Sixtinus etiam codex omittit vocem illam, sine qua pendet sensus (medicus), quam et Vulgata, et optimi illi habent codices. Sensus ergo est : prolixum morbum præcidit medicus secando et urendo : « sic et rex : » sic qui rex hodie est, cras morietur : sic a Deo optimo medico confestim tollitur rex (malus) curandis citius reipublicæ malis. Ex aliis lectionibus vix ac ne vix quidem sensum bonum exsculpseris.

14 « Apostatare : » abcedere cum protervia. Hoc autem et seq. usque ad ỳ 21. videtur alludere ad Chananæas gentes, crudeles, impias ; quæ cum adversus Deum superbire, ejusque cultum ac memoriam abjicere cœpissent, exinde in abominanda ỳ 15. hoc est, in omne facinus proruerunt, cesseruntque Israelitis mitioribus, et Dei cultoribus, 17, 18 et seq.

16 « Exhonoravit Dominus conventus : » civitates, cœtus, at Gr. propterea Dominus incredibiles, (verti etiam potest) manifestissimas calamitates induxit : *parédoxasé*, manifestavit : sive præter opinionem invexit : unde paradoxa, incredibilia, inopina. « Et destruxit eos in finem : » nempe qui sectantur superbiam.

22 « Nationi (filiis, atque, ut habet Græcus, generationibus) mulierum : » docet autem animantes quasdam velut ad superbiam natas, alias ad crudelitatem et iram : filios vero mulierum, homines ad modestiam et mansuetudinem natura esse compositos.

Semen honoratum quale? semen hominis. Semen honoratum quale? ii qui timent Dominum. Semen inhonoratum quale? semen hominis. Semen inhonoratum quale? qui prætereunt mandata.

23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum : semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

In medio fratrum rector illorum in honore : et qui timent Dominum, in oculis illius.

24. In medio fratrum rector illorum in honore : et qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

Dives, et honoratus, et pauper, gloriatio eorum, timor Domini.

25. Gloria divitum honoratorum, et pauperum, timor Dei est.

Non justum est despicere pauperem sensatum; et non decet magnificare hominem peccatorem.

26. Noli despicere hominem justum pauperem ; et noli magnificare virum peccatorem divitem.

Magnus, et judex, et potens honorificabitur : et non est eorum aliquis major illo qui timet Dominum.

27. Magnus, et judex, et potens est in honore : et non est major illo qui timet Deum.

Servo sapienti liberi servient : et vir prudens non murmurabit.

28. Servo sensato liberi servient : et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur.

Noli excusando cunctari in faciendo opere tuo : et noli te extollere in tempore angustiæ tuæ.

29. Noli extollere te in faciendo opere tuo ; et noli cunctari in tempore angustiæ.

Melior est, qui operatur in omnibus, quam qui ambulat, aut gloriatur, et eget pane.

30. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane.

Fili, in mansuetudine glorifica animam tuam : et da illi honorem secundum meritum ejus.

31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.

Peccantem in animam suam, quis justificabit? et quis honorabit exhonorantem vitam suam?

32. Peccantem in animam suam, quis justificabit? et quis honorificabit exhonorantem animam suam?

Pauper honorificatur per scientiam suam : et dives honorificatur propter substantiam suam.

33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum : et est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

Qui autem glorificatur in paupertate, quanto magis in substantia? et qui est inglorius in substantia, quanto magis in paupertate?

34. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

24 « In medio fratrum. » Primogenitus quadam ætatis prærogativa velut rector fratrum habetur. Judæi quoque cives suos appellabant fratres, ex eodem Abrahami sanguine ortos. Sensus ergo sit, quali honore est vel inter fratres primogenitus, vel rex inter cives fraterna caritate conjunctos, tali honore Deus dignatur justos : quod congruit ℣ 27. Hic habet Complutensis : timor Domini imperia servat : evertit autem inclementia (sive asperitas, atque acerbitas) et superbia. « In oculis illius : » quippe quos respiciat ac velut in oculis gerat.

27 « Magnus, et judex..... et non est major illo : » Gr. planius : et non est aliquis horum major illo qui timet Deum.

28 « Correptus, et inscius : » qui etiam emendatus, inscius manet : « non honorabitur : » utpote immedicabili imperitia.

29 « Noli extollere te : » Gr. Noli sapientem agere in faciendo opere : noli ratiocinari multum, cum opus facto est ; noli sapientiæ specie comminiscivanas tergiversandi causas.

33 « Pauper gloriatur : » Gr. honoratur : « per disciplinam, » doctrinam, « suam : et est homo qui : » Gr. dives autem honoratur propter substantiam, alter insito, alter advectitio et emendicato bono.

34 « Qui autem : » qui cum pauper sit, superbit, quanto superbiret magis, si valeret opibus? vel, quod magis Græco congruit : qui etiam pauper honoratur, quanto honori esset si valeret opibus? et qui inglorius est, etiam dives, quanto magis, si inops esset?

CAP. XI. Non temere judicandum, neque ex specie, 2. usque ad 9. ardeliones, sive pluribus rebus intenti, ad 12. ditescere cupientes, 18, 19, 20. inflati rebus secundis, 25, et seq. calamitates : ne ante mortem laudaveris, 30. cave ab extraneo et ignoto, 31, ad finem.

s. v. — Sapientia humiliati exaltavit caput et in medio magnatorum consedere illum faciet.

Non laudes virum in specie sua : neque spernas hominem in visu suo.

Brevis in volatilibus apis : et principium dulcorum, fructus ejus.

In circumjectione vestimentorum ne glorieris, nec in die honoris extollaris : quoniam mirabilia opera Domini, et abconsa opera illius in hominibus.

Multi tyranni sederunt in solio ; et insuspicabilis portavit diadema.

Multi potentes exhonorati sunt valde et gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

Priusquam interroges, ne vituperes; intellige primum, et tunc corripe.

Priusquam audias, ne respondeas : et in medio sermonum ne interloquaris.

De re, qua tibi opus non est, ne certaveris : et in judicio peccantium ne consideas.

Fili, ne circa multa sint actus tui. Si enim multiplicaveris, non eris immunis a delicto. Et si secutus fueris, non apprehendes ; et non effugies, si præcucurreris.

Est laborans, et dolens, et festinans : et tanto magis ipsi deest.

v. v. — 1. Sapientia humiliati exalt abit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet.

2. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.

3. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.

4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris : quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius.

5. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema.

6. Multi potentes oppressi sunt valide et gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corripe juste.

8. Priusquam audias, ne respondeas verbum : et in medio sermonum ne adjicias loqui.

9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris : et in judicio peccantium ne consistas.

10. Fili, ne in multis sint actus tui : et si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcucurreris.

11. Est homo laborans, et festinans, et dolens impius; et tanto magis non abundabit.

1 « Humiliati : » humilis conditionis viri.

3 « Brevis : » exigua : « est apis ; » exemplum minimæ rei, quæ virtute præstet. « Initium dulcoris : » principium, seu principatus dulcedinis : summa et præstantissima dulcedinum.

5 « In throno : » Gr. in solo, unde factum solio, et postea throno ; cæterum, solo, verissima lectio est, cum sit oppositum : multi reges in solum dejecti ; multi ad diadematis honorem evecti. « Insuspicabilis : » de quo nihil magni suspicareris.

9 « Ne certeris : » ne certaveris.

10 « Ne in multis sint actus tui. » Ardeliones notat, qui cuique negotio se immiscent. « Si dives fueris : » qui finis est illorum, qui se nimis implicant negotiis : « si secutus fueris » (multa) non assequere. « Et non effugies : » cum semel multis fueris negotiis implicitus, frustra effugere conaberis ; ac præcurrentem licet, difficultates facile comprehendent. Summa est : multis implicitus negotiis, multa peccat ; multa sectatus, nihil capit ; multa conatus, expedire se non potest : cui etiam ỳ sequens congruit.

11 « Dolens, » se excrucians ; « impius : » additum explanationis causa : cæterum sententia per se stat. « Tanto magis non abundabit : » Gr. tanto magis deficit ; quo mobilior, et quietis impatientior, eo infirmior.

Est marcidus, et egens recuperatione, deficiens virtute, et abundat paupertate :

Et oculi Domini respexerunt illum in bona: et erexit eum ab humilitate ipsius ; et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi.

Bona et mala, vita et mors paupertas et honestas a Domino sunt.

Datio Domini permanet piis, et beneplacitum ejus bonos successus habebit in æternum.

Est qui locupleatur, attente et parce agendo : et hæc est pars mercedis illius.

In eo quod dicit : Inveni requiem, et nunc manducabo de bonis meis :

Et nescit quod tempus pertransiet, et relinquet ea aliis et morietur.

Sta in testamento tuo, et in illo colloquere : et in opere tuo veterasce.

Ne mireris in operibus peccatoris. Confide in Domino; et mane in labore tuo.

Facile est enim in oculis Domini, velociter subito honestare pauperem.

Benedictio Domini in mercede pii : et in hora veloci exoriri facit benedictionem suam.

Ne dicas : Quid est mihi opus? et quæ erunt mihi ex hoc nunc bona?

12. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate :

13. Et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.

14. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt.

15. Sapientia, et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio, et viæ bonorum apud ipsum.

16. Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt : qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

17. Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum.

18. Est qui locupletatur parce agendo; et hæc est pars mercedis illius.

19. In eo quod dicit : Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus :

20. Et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur.

21. Sta in testamento tuo et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce.

22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo; et mane in loco tuo.

23. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.

24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat.

25. Ne dicas : Quid est mihi opus? et quæ erunt mihi ex hoc bona?

12 « Est homo marcidus. » Aliud extremum : indiligentia atque inertia, et velut animi torpor. « Egens recuperatione : » egens opis, auxilii : Gr. « Et : » tamen.

13 « Oculus Dei. » Hic memorat eos qui fortunati vocantur, quibus veluti dormientibus, Deus sponte omnia conficere videatur : atque ex eo quod alii magnis conatibus nihil agant, aliis omnia ultro provenire videantur, merito infert ỳ 14. rebus humanis intervenire vim quamdam, quæ nostram industriam exsuperet, non autem fortunam aut casum, ergo Deum. Vide XIII. 26.

14 « Honestas : » honores, opes.

18 « Parce agendo : » summa cum parcimonia : unde Gr. addit : attente, diligenter.

19 « Manducabo. » Sic ille Luc. XII. 19. « Anima, habes multa bona :... epulare, » etc.

21 « In testamento tuo ; » in fœdere per legem. « et in illo colloquere : » alludit ad illud : « Evigilans loquere cum eis : » præceptis scilicet. Prov. VI. 22.

25 — 26 « Ne dicas : Quid est mihi opus ?.... ne dicas. » Sic agunt bonorum copia elati ;

Ne dicas : Sufficientia mihi sunt : et quid ex hoc nunc pessimabor ?

In die bonorum, oblivio malorum; et in die malorum, non erit memoria bonorum.

Quoniam facile est coram Domino, in die obitus retribuere homini secundum vias ejus.

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ : et in fine hominis, denudatio operum illius.

Ante mortem ne beatifices quemquam : et in filiis suis agnoscetur vir.

Non omnem hominem inducas in domum tuam : multæ enim sunt sunt insidiæ dolosi.

Perdix venatrix in cavea, si cor superbi; et tanquam speculator inspicit casum.

Bona enim in mala convertens insidiatur; et in electis imponet maculam.

A scintilla ignis augetur pruna : et homo peccator sanguini insidiatur.

Attende a malefico; fabricat enim mala : ne forte maculam det tibi in perpetuum.

Admitte ad te alienigenam : et

26. Ne dicas : Sufficiens mihi sum : et quid ex hoc pessimabor ?

27. In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum.

28. Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.

29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ : et in fine hominis denudatio operum illius.

30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam : quoniam in filiis suis agnoscitur vir.

31. Non omnem hominem inducas in domum tuam : multæ enim sunt insidiæ dolosi.

32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum : sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui.

33. Bona enim in mala convertens insidiatur; et in electis imponet maculam.

34. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis : homo vero peccator sanguini insidiatur.

35. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala : ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum.

36. Admitte ad te alienigenam :

rem optimam ac maxime constabilitam, sive privatam sive publicam, aliud atque aliud negligendo, pessumdant.

27 « In die bonorum : » Gr. paulo aliter : in die bonorum, oblivio malorum, et in die malorum, non erit memoria bonorum : prorsus ex intima mentis humanæ notitia, qua nihil magis obliviosum aut improvidum.

29 « Malitia : » infelicitas, infortunium : quod frequens et observandum.

30 « In filiis. » Duo notat quibus hominis prudentia cognoscatur; vitæ finis, et liberi post mortem, qui ut agent, patre mortuo, et jam suo consilio relicti, ita bene a patre instituti habebuntur.

31 « Non omnem hominem : » vide 36.

32 « Sicut eructant : » sicut ex fœtido pectore gravis odor, ita ex corde doloso fraudes erumpunt. « Et sicut perdix : » planus Vulgatæ sensus : Gr. autem sic habet : perdix venatrix, *thereuthes : thèreutheis,* venatu capta, ut habent optimi codices. « Sic cor superborum : » hoc est, præfracte et temere cuivis se credentium facile capitur. « Et sicut prospector : » sive speculator : Gr. ita vir dolosus, de quo agitur, domum tuam inductus, ỳ 31. casum tuum previdet magno tuo periculo; quod et inimicis te prodat, et ruiturum impellat, cui sequens congruit : Gr. paulo aliter, et ex Vulgata supplendus videtur.

33 « Bona in mala convertens : » per calumniam. « In electis : » viris quoque optimis scelera imputabit. Potest etiam sumi neutraliter, pro rebus optimis.

34 « Augetur sanguis : » cædes : Gr. aliter, sed obscurius, et ex Vulgata supplendus.

36 « Admitte : » si admittis : alienigenam : alienum : Gr. spretis propinquis et amicis. « In turbine : » in rebus turbidis : confer cum ỳ 31.

subvertet te in turbationibus, et alienabit te a tuis propriis.

et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis.

CAP. XII. Cui benefaciendum, ad 8. de veris amicis, deque inimicis, amicitiæ specie fallentibus, 8. ad finem.

s. v. — Si benefacias, scito cui facias; et erit gratia bonis tuis.

Benefac pio, et invenies retributionem : et si non ab ipso, certe ab Altissimo.

Non est bene ei qui assiduus est in malis, et eleemosynam non danti.

Da pio, et ne suscipias peccatorem.

Benefac humili, et non dederis impio. Impedi panes illius, et non dederis ei, ne in ipsis te opprimat.

Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris ei : quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. Da bono, et ne suscipias peccatorem.

Non judicabitur in bonis amicus; et non abscondetur in malis inimicus.

In bonis viri, inimici illius in tristitia : et in malis illius etiam amicus disjungetur.

Non credas inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum æruginat, sic nequitia illius. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo : et eris ei tanquam qui absterseris speculum, et cognosces quod non in finem deposuit æruginem.

Non statuas illum penes te; ne te

v.v.—1. Si beneferis, scito cui feceris; et erit gratia in bonis tuis multa.

2. Benefac justo, et invenies retributionem magnam : et si non ab ipso, certe a Domino.

3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti : quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.

4. Da misericordi, et ne suscipias peccatorem : et impiis, et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ.

5. Da bono, et non receperis peccatorem.

6. Benefac humili, et non dederis impio : prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit.

7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi : quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.

8. Non agnoscetur in bonis amicus; et non abscondetur in malis inimicus.

9. In bonis viri, inimici illius in tristitia; et in malitia illius, amicus agnitus est.

10. Non credas inimico tuo in æternum : sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius :

11. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo.

12. Non statuas illum penes te,

8 « Non agnoscetur : » eo quod florentibus rebus omnes æque favere videantur.

10 « Sicut enim æramentum : » quemadmodum ærugo, ita odia veterascendo crescunt. Alium sensum indicat Gr. sequenti congruum.

11 « Et si humiliatus.... ab illo : » addit Gr. et eris ei, sicut qui abstersit speculum, et cognosces quod non in finem deposuit æruginem : metaphora ducta a speculis æneis, quæ abstergendo, agnoscis indelebilem maculam æruginis : ita explorando inimicos, immedicabile odium.

12 « Inquirat cathedram tuam : » sedem tuam occupandam : rem tuam, dignitatem, locum : quod in Gr. est planius. « Et in novissimo : » serius; « agnoscas, etc. In sermonibus meis stimuleris : » pungaris, recordatus quam vera prædixerim.

subverso, stet in loco tuo. Non facias eum sedere ad dexteram tuam, ne forte inquirat cathedram tuam; et in novissimo cognoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris.

nec sedeat ad dexteram tuam : ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam; et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris.

Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? sic et qui comitatur cum viro peccatore, et convolvitur in peccatis illius.

13. Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus.

Una hora permanebit tecum; si autem declinaveris, non supportabit.

14. Una hora tecum permanebit; si autem declinaveris, non supportabit.

Et in labiis suis indulcabit inimicus; et in corde suo deliberabit subvertere te in foveam.

15. In labiis suis indulcat inimicus; et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.

In oculis suis lacrymabitur inimicus; et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.

16. In oculis suis lacrymatur inimicus; et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine :

Si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem te :

17. Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem.

Et quasi adjuvans, subsecabit plantas tuas.

18. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans, suffodiet plantas tuas.

Caput suum movebit et plaudet manibus suis, et multa susurrans commutabit vultum suum.

19. Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.

CAP. XIII. Cum quo cuique versandum, usque ad 25. societas cum malis, 1. cum opulentioribus, 2. ad 25. ubi potentiorum artes : de divite ac paupere, 25. et seq. indicia mentis in vultu, 31, 32.

s. v. — Qui tetigerit picem, inquinabitur : et qui communicaverit superbo, assimilabitur ei.

v. v.—1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam.

Pondus super te tollas : et fortiori te, et ditiori ne socius fueris.

2. Pondus super se tollet qui honestiori se communicat; et ditiori te ne socius fueris.

Quid communicabit olla ad lebetem? ipsa impinget et ipsa conteretur.

3. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.

Dives injuste egit, et ipse fremuit : pauper læsus est, et ipse orabit.

4. Dives injuste egit, et fremet : pauper autem læsus tacebit.

14 « Si declinaveris : » si res tuæ inclinentur et cadant.

15 « Indulcat : » dulcescit.

17 — 18 « Priorem : » te, Gr. tanquam adjuturum; at adjuvandi specie suffossurum plantas tuas : » pedes impediturum, ut cadas. Elidendum autem illud (« in oculis, » etc.) quod a ℣ 16. nulla necessitate repetitur : et ita Gr.

19 « Multa susurrans : » multos rumores clam spargens. « Commutabit vultum suum : » varie et artificiose componet ad fraudes.

2 « Pondus super se » (majus suis viribus) « tollet, qui honestiori, « ditiori, potentiori « communicat : » quod illa societas imbecillo iniqua futura sit et gravis.

4 « Dives injuste egit et fremet : » prior irascitur quasi læsus. « Pauper tacebit : » Gr. supplicabit : veniam cogetur petere, quasi ipse læserit.

Si utilitatem apportes, operatus in te : et si tibi defuerit, derelinquet te.

Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit.

Si necessarius illi fueris, supplantabit te; et subridens spem tibi dabit : loquetur tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi?

Et confundet te in cibis suis, donec exinaniat te bis et ter : et in novissimo deridebit te : postea videbit te, et derelinquet te, et caput suum movebit super te.

Attende, ne seducaris, et ne humilieris in lætitia tua.

Advocatus a potente, discede : et tanto magis te advocabit.

Non intrudas te, ne expellaris; et ne longe distes, ne eas in oblivionem.

Ne retineas colloqui cum illo, nec credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et tanquam arridens interrogabit.

Immitis, qui non conservat verba; et non parcet de malitia, et de vinculis.

Cave tibi, et attende diligenter, quoniam cum subversione tua ambulas.

5. Si largitus fueris, assumet te : et si non habueris, derelinquet te.

6. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te; et ipse non dolebit super te.

7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi?

8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter : et in novissimo deridebit te : et postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te.

9. Humiliare Deo, et expecta manus ejus.

10. Attende, ne seductus in stultitiam humilieris.

11. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.

12. Advocatus a potentiore discede; ex hoc enim magis te advocabit.

13. Ne improbus sis, ne impingaris; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem.

14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis.

15. Immitis animus illius conservabit verba tua : et non parcet de malitia, et de vinculis.

16. Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas.

17. Audiens vero illa, quasi in somnis vide, et vigilabis.

7 « Supplantabit : » decipiet, Gr.

8 « Confundet te in cibis suis : » convivam adhibebit nihil negaturum præ verecundia. « Bis et ter : » ad convivia referendum videtur.

9 « Humiliare » coram « Deo : » sed ne nimis stulteque coram hominibus, ne ut vile quid conculceris : quod sequenti congruit.

10 « Ne in stultitiam humilieris : » dejiciaris : Gr. addit : in lætitia : in conviviis et voluptatibus.

11 « In sapientia tua : » falsa scilicet, qua divitum captas gratiam.

13 « Ne improbus sis : » quod latine sonat importunum, neque a divitis latere discedentem: « ne impingaris : » Gr. ne expellaris.

14 « Ne retineas : » Græc. *mè épéché* quod etiam sonat : ne studueris, ne animum adjeceris : infra, XVI. 2. et alibi in Scripturis, ut Luc. XIV. 7. I. Tim. IV. 16. « ex æquo loqui. » Gr. alloqui : *isègoreisthai* quod aliqui habent codices, pro *eisegoreisthai*.

15 Immitis animus conservabit verba tua : » tacite, ut occasionem nocendi quærat. At Gr. immitis qui non servat verba : datæ fidei ac promissorum immemor. « Non parcet de malitia : » tibi molietur infortunium et carceres.

17 « Quasi in somnis : » vigilem te volo, sed instar somnolenti, ne te attentum nimis et curiosum putet, technasque meditantem.

Omne animal diligit simile sibi; et omnis homo proximum sibi.

Omnis caro secundum genus conjungitur; et homo simili sibi sociabitur.

Quid communicabit lupus agno? sic peccator erga pium.

Quæ pax hyenæ ad canem? et quæ pax diviti ad pauperem?

Venatio leonum, onagri in eremo: sic pascua divitum sunt pauperes.

Abominatio superbo humilitas: sic execratio diviti pauper.

Dives commotus confirmatur ab amicis: humilis autem cum ceciderit, expellitur ab amicis.

Divite lapsos multi recuperatores: locutus est non dicenda; et justificaverunt illum.

Humilis lapsus est, et insuper arguitur: locutus est sensate, et non est datus ei locus.

Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum ejus usque ad nubes exaltaverunt.

Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et si offenderit, subvertunt illum.

Bona est substantia, cui non est peccatum: et nequissima paupertas in ore impii.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.

Vestigium cordis in bonis facies hilaris: et inventio parabolarum, cogitationes cum labore.

18. Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua.

19. Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi.

20. Omnis caro ad similem sibi conjungetur; et omnis homo simili sui sociabitur.

21. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.

22. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?

23. Venatio leonis onager in eremo: sic et pascua divitum sunt pauperes.

24. Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic et execratio divitis pauper.

25. Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur et a notis.

26. Diviti decepto multi recuperatores: locutus est superba, et justificaverunt illum.

27. Humilis deceptus est, insuper et arguitur: locutus est sensate, et non est datus ei locus.

28. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent.

29. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum.

30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas in ore impii.

31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.

32. Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore.

22 « Sancto homini ad canem: » ad hominem impurum: de quo, « Foris canes: » Apocal. XXII. 15. At Gr. quæ pax hyenæ ad canem? inter animantes natura inimicissimas.

23 « Humilitas: » vilitas, « execratio: » sordes.

25 « Commotus: » vacillans: Gr.

26 « Recuperatores: » adjutores: « superba: » infanda, Gr.

27 « Deceptus est: » Gr. lapsus est.

30 « Bona est substantia: » bonæ opes bonis artibus partæ, paupertas autem judice impio semper pessima.

32 « Vestigium: » non facile inveneris « faciem bonam, » in qua sit « vestigium, » sive indicium « cordis boni: » in qua animi candor eluceat: longe aliter Græc. vestigium (indicium) cordis in bonis (in lætis rebus versantis est) facies hilaris; inventio parabolarum (sententiarum sunt) cogitationes cum labore; læta frons lætum indicat animum: gravis, laborantem in morali disciplina, ad breves et scitu dignas sententias redigendas: quod genus tractationis utilissimum vitæ humanæ judicabant.

CAP. XIV. Lingua, 1. bona conscientia, 2. avarus, invidus, stultus, sibique et aliis pessimus, 4. ad 22. quærenda sapientia, 22. ad finem.

v. s. —Beatus vir, qui non est lapsus in ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti.

Beatus, quem non condemnavit animus suus, et qui non excidit a spe sua.

Viro minute rationes subducenti non est pulchra substantia : et homini livido ad quid pecuniæ?

Qui acervat ex anima sua, aliis congregat; et in bonis illius alii luxuriabuntur.

Qui sibi nequam est, cui bonus erit? et non jucundabitur in pecuniis suis.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius; et hoc est redditio malitiæ illius :

Et si benefaciat, in oblivione facit, et in novissimis manifestat malitiam suam.

Nequam est invidens oculo, avertens faciem, et despiciens animas.

Cupidi oculos non satiabitur parte : et injustitia mala arefacit animam.

Oculus malus invidus in pane, et egenus super mensam suam.

Fili, sicut habes, benefac tecum : et Domino dignas oblationes offer.

Memor esto, quoniam mors non tardat; et testamentum inferorum non est demonstratum tibi.

v. v. —1. Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti.

2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua.

3. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia: et homini livido ad quid aurum?

4. Cui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur.

5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis.

6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius; et hæc redditio est malitiæ illius :

7. Et sit benefecerit, ignoranter et non volens facit : et in novissimo manifestat malitiam suam.

8. Nequam est oculus lividi; et avertens faciem suam, et despiciens animam suam.

9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.

10. Oculus malus ad mala : et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam.

11. Fili, si habes, benefac tecum : et Deo dignas oblationes offer.

12. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. Testamentum enim hujus mundi : Morte morietur.

1 « Beatus vir : » qui lingua non peccat, fere omnis peccati exsors : ut Jac. III. 2. « Stimulatus : » compunctus peccati conscientia.

2 « Felix : » quem suus animus (sua conscientia) non cruciat.

3 « Sine ratione : » indecens. « Livido : » avaro, ut videtur, sibi omnia invidenti : ut infra, 6.

4 « Ex animo suo : » Gr. ex anima sua : ex victu suo, cui detrahit ad augendas opes. « Injuste » nihil ad rem, et Gr. deest.

7 « In novissimo : » facile ad ingenium redit.

8 « Nequam est, » perversus, iniquus, « oculus lividi : » cujuslibet, aut etiam, avari sibi et aliis invidentis; ex ỳ 6, 7. Notum illud : « An oculus tuus nequam est, » etc. Matth. XX. 15. « Despiciens animam : » Gr. animas : non suam tantum animam, sed totum humanum genus vilifacit. Totus versus in Gr. planior et brevior.

9 « In parte : » portione : nunquam sorte sua contentus : ideo partem iniquitatis sive iniquam vocat : quod tamen Gr. deest. « Arefaciens animam : curis conficiens.

10 « Non satiabitur pane : » sibi ipsi invidet. Vide Gr.

12 « Testamentum inferorum : » lex sepulcri : « demonstratum est tibi : » quod nemo mor-

Ante mortem benefac amico, et secundum vires tuas porrigens da ei.

Non defraudes a die bono : et pars boni desiderii non te prætereat.

Nonne alii relinques dolores tuos, et labores tuos in divisionem sortis?

Da et accipe; et falle animam tuam :

Quoniam non est apud inferos quærere delicias.

Omnis caro, sicut vestis, veterascit : testamentum enim a seculo : Morte morietur. Sicut folium germinans in arbore densa,

Alia quidem dejicit, alia autem generat : sic generatio carnis, et sanguinis; alia quidem finitur, alia vero nascitur.

Omne opus corruptibile deficit; et qui illud operatur, abibit cum illo.

Beatus vir, qui in sapientia morietur, et qui in sensu suo disseret.

Qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconditis ejus intelliget. Vade post illam quasi investigator, et in ingressibus ejus insidiare.

Qui respicit per fenestras illius, et in januis illius audiet;

Qui requiescit juxta domum illius,

13. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi.

14. Non defrauderis a die bono : et particula boni doni non te prætereat.

15. Nonne aliis relinques dolores, et labores tuos in divisione sortis?

16. Da et accipe, et justifica animam tuam.

17. Ante obitum tuum operare justitiam : quoniam non est apud inferos invenire cibum.

18. Omnis caro, sicut fœnum, veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi.

19. Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis et sanguinis ; alia finitur, et alia nascitur.

20. Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur, ibit cum illo.

21. Et omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud, horabitur in illo.

22. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

23. Qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, et in viis illius consistens :

24. Qui respicit per fenestras illius, et in januis illius audiens :

25. Qui requiescit juxta domum

tem effugere possit. At Gr. non est demonstratum, quod oblitus videaris. « Testamentum : » sic distingue : « testamentum hujus mundi : Morte morietur : » hoc est sempiterna lex, ut omne quod nascitur, intereat. Vide Gr. ℣ 18.

15 « Nonne aliis : » imo hæc erit pars tua, cætera transibunt ad hæredes.

16 « Da et accipe : » da eleemosynam, et accipe veniam. « Et justifica animam tuam, » a peccatis : quod sequenti congruit. At Gr. Da et accipe, (hoc est, ut videtur, utere bonis potius quam te inedia per avaritiam exercucies) et falle animam tuam ; quo sensu dicimur fallere, ac velut consopire curas : subditque statim :

17 « Quoniam non est apud inferos invenire cibum : » Gr. delicias : quæ quomodo accipienda sint, ad similes locos Ecclesiastæ diximus.

18 « Omnis caro sicut fœnum : » vide Gr.

19 « Alia generantur : » sicut folia, alia enascuntur, alia dejiciuntur, decidunt : sic est hominum generatio : qua comparatione Homerus utitur. Gr. dejicit, generat, refert ad arborem.

21 « Opus electum : » bonum, probatum : « justificabitur : » justa mercede donabitur.

22 « Morabitur : » morietur, Gr.

24 « Per fenestras... in januis : » curiosus explorator per quasvis rimulas inspicit; ad januam adstat, si quis forte susurrus elabitur ; ita sapientiæ attendamus.

et in parietibus illius figet palum; statuet casulam suam ad manus illius, et requiescet in casula bonorum.

Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur.

Protegetur sub ea a fervore, et in gloria ejus requiescet.

palum, statuet casulam suam ad illius, et in parietibus illius figens manus illius, et requiescent in casula illius bona per ævum :

26. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur.

27. Protegetur sub tegmine illius a fervore, et in gloria ejus requiescet.

CAP. XV. Prosequitur de sapientia, usque ad 11. quo versu incipit confutare eos qui peccata Deo imputabant : tanquam non esset in homine liberum arbitrium : 14. et seq. aut Deus peccatoribus delectaretur, 12, 22.

s. v. — Qui timet Dominum, faciet illud : et qui continens est legis, apprehendet eam.

Et obviabit illi, quasi mater; et quasi mulier virginitatis suscipiet eum.

Cibabit illum pane intellectus, et aqua sapientiæ potabit illum : firmabitur in illa, et non flectetur :

Et super eam innitetur, et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos ejus,

Et in medio ecclesiæ aperiet os ejus.

Jucunditatem, et coronam exultationis, et nomen æternum hæreditabit.

Homines stulti non apprehendent eam; et viri peccatores non videbunt eam.

Longe abest a superbia : et viri mendaces non erunt illius memores.

Non est speciosa laus in ore peccatoris :

Quoniam non est a Domino missus. In sapientia enim dicetur laus : et Dominus prosperabit illum.

v. v. — 1. Qui timet Deum, faciet bona : et qui continens est justitiæ, apprehendet illam,

2. Et obviabit illi, quasi mater honorificata; et quasi mulier a virginitate suscipiet illum.

3. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum; et firmabitur in illo, et non flectetur :

4. Et continebit illum; et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos;

5. Et in medio ecclesiæ aperiet os ejus : et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum.

6. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum.

7. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi : homines stulti non videbunt eam : longe enim abest a superbia et dolo.

8. Viri mendaces non erunt illius memores : et viri veraces invenientur in illa, et successum habebunt usque ad inspectionem Dei.

9. Non est speciosa laus in ore peccatoris :

10. Quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientiæ enim, Dei abstabit laus, et in ore fideli abundabit, et dominator dabit eam illi.

1 « Qui continens (compos est, ut supra, VI. 28.) justitiæ : » legis, Gr. « apprehendet illam : » sapientiam, de qua præcedente capite.

2 « Mulier a virginitate : » virgo in uxorem data. « Suscipiet illum : » Deum; de quo ℣ 1.

3 « Firmabitur in illo : » sapientia in bono viro radices aget : Gr. in illa : vir bonus in sapientia firmum figet gradum.

6 « Et nomine æterno hæreditabit illum : » donabit : Gr. (de viro justo) et nomen æternum hæreditabit, sortietur.

9 « Non est speciosa laus : » Dei scilicet : « in ore peccatoris.

10 « Quoniam a Deo profecta est sapientia : » Gr. Quoniam non est a Deo missus (peccator),

Ne dixeris : Quia propter Dominum recessi : quæ enim odit, ne facias.

Ne dixeris : Quia ipse me implanavit : non enim opus habet viro peccatore.

Omne execramentum odit Dominus : et non est amabile timentibus eum.

Ipse ab initio fecit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.

Si volueris, conservabis mandata, et fidem facere beneplaciti.

Apposuit tibi ignem et aquam : ad quodcumque volueris, extendes manum tuam.

In conspectu hominum vita et mors : et quodcumque placuerit, dabitur ei.

Quoniam multa sapientia Domini : fortis ipse in potentia, et videns omnia.

Et oculi ejus ad timentes eum : et ipse agnoscet omnem operam hominis.

Et nemini mandavit impie agere, et nemini dedit licentiam peccandi.

11. Non dixeris : Per Deum abest : quæ enim odit, ne feceris.

12. Non dicas : Ille me implanavit : non enim necessarii sunt ei homines impii.

13 Omne execramentum erroris odit Dominus : et non erit amabile timentibus eum.

14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.

15. Adjecit mandata, et præcepta sua.

16. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere.

17. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam.

18. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi :

19. Quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.

20. Oculi Domini ad timentes eum : et ipse agnoscit omnem operam hominis.

21. Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi :

22. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

ut Deum laudet. Vides autem non licere cuivis laudem dare Deo, sed si quem ad tantum opus mittit. Quem vero mittat, docent hæc : « sapientiæ enim, Dei adstabit laus, » etc, quæ breviora et obscuriora in Græc. « Dominator : » Dominus sive Deus.

11 « Per Deum abest : » (peccator a Deo) Græc. planior : Ne dixeris : per Deum recessi : defeci : *apestên*. Quidam ita omnia Deo tribuebant, ut etiam peccata et errores ipsi auctori adscriberent : alii negabant curare quidquam : infra, XVI. 16, quæ objecta et argumentis et exemplis confutare incipit, eaque occasione creationis opus fuse commemorat, quo Dei sapientia, bonitas, justitia maxime commendatur, cap. XVI, 24. XVII, XVIII. ad ỳ 15. Hic primam quæstionem de peccati causa aggreditur ad quem locum : maxime pertinet liberi arbitrii commemoratio, et cætera a ỳ 14.

12 « Ille me implanavit : » decepit, induxit in malum. « Non enim necessarii sunt ei : » perspicua solutio, impios Deo non esse necessarios, quam hic uno verbo tangit : ỳ vero 22. et cap. seq. fusius. Hunc locum usque ad ỳ 19. Græco fere congruentem refert Augustinus, de Grat. et lib. arb. c. II. n. 3. aliter in Speculo, ubi Vulgatam sequitur.

14 « Reliquit illum : » dato præcepto de vetito fructu.

16 « Si volueris : » sic ordinandum. « Si volueris mandata servare, et in perpetuum fidem (Dei) placitam facere, (eam toto animo retinere) servabunt te : » mandata, observata scilicet.

18 « Ante hominem vita : » sumptum ex Deut. XXX. 15, 19.

21 « Spatium peccandi : » Gr. licentiam.

22 « Non enim concupiscit : » inculcare incipit, quod ỳ 12. dictum : ac seq. cap. fuse exequitur : Gr. sic : ne cupias filiorum inutilium multitudinem : cap. XVI. 1. quod ad eumdem scopum pertinet, ut statim videbimus.

CAP. XVI. Pergit de filiorum impiorum multitudine : non esse optandam eam, ad 6. Deus malorum hominum multitudini non parcit, 6, 7, ad 12. unicuique reddit secundum opera, 12, ad 16. aggreditur qui dicebant a Deo non curari mundum, aut res humanas, ac Dei providentiam ostendit per opera, 16. ad finem.

S. V. — Non concupiscas multitudinem filiorum inutilium : neque jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : ne oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis.

Non credas vitæ illorum : et ne respexeris in locum illorum.

Melior est enim unus, quam mille ;

Et mori sine filiis, quam habere filios impios.

Ab uno enim sensato cohabitabitur civitas : tribus autem impiorum desolabitur.

Multa talia vidi in oculis meis ; et fortiora his audivit auris mea.

In synagoga peccantium exardebit ignis ; et in gente incredibili exarsit ira.

Non est propitiatus pro antiquis gigantibus qui rebellaverunt fortitudine sua.

Non pepercit pro incolatu Lot, iis quos execratus est pro superbia illorum.

Non misertus est genti perditionis, iis qui se elevaverant in peccatis suis :

Et sic sexcentis millibus peditum, qui congregati insurrexerunt in duritia cordis sui : et si unus fuerit

V. V. — 1. Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.

2. Non credas vitæ illorum : et ne respexeris in labores eorum.

3. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii :

4. Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios.

5. Ab uno sensato inhabitabitur patria : tribus impiorum deseretur.

6. Multa talia vidit oculus meus ; et fortiora horum audivit auris mea.

7. In synagoga peccantium exardebit ignis ; et in gente incredibili exardescet ira.

8. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti :

9. Et non pepercit peregrinationi Lot, et execratus est eos præ superbia verbi illorum.

10. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis.

11. Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui : et si unus fuisset cervi-

1 « Ne jucunderis. » Recte hic admoniti homines, ne impiæ sobolis amplitudine glorientur ; idque longe magis pertinere ad Deum, ỳ 5. et seq.

2 « Non credas vitæ illorum. » Ne victuros credas : hebraismus : Deut. XXVIII. 66. « Et erit vita tua quasi pendens... et non credes vitæ tuæ.

5 « Ab uno sensato..... tribus impiorum : » ab uno Abrahamo, ab uno Israele Hebræi in tantum populum propagati, cum populi Chananæi tanta multitudine internecione deleti sint.

6 « Multa talia vidi..... fortiora horum. » Multa vidi talia, nempe ex uno pio amplam sobolem excrevisse : impiorum amplas familias ad nihilum redactas ; hæc, inquam, vidi ego plurima ; tetriora audivi.

7 « In synagoga : » in cœtu. Jam eo redit, unde digressus erat ; nempe ut ostendat, Deum ulcisci impios, nec eorum multitudine deterritum.

8 « Gigantes : » impii diluvio mersi, tanta licet multitudine. Gen. VI. 4.

9 « Peregrinationi Lot : » Sodomis, ubi peregrinus agebat.

11 « Sicut sexcenta millia peditum : » Israelitarum scilicet, qui ex Ægypto profecti sunt. Num. XXVI. 51. Qui congregati sunt in duritia : » rebelles et increduli, et ideo omnes ad unum postrati in deserto. « Cervicatus, » cervicosus, contumax.

cervicosus, mirum hoc, si erit immunis.

catus, mirum, si fuisset immunis.

Misericordia enim et ira ab illo : princeps propitiationum, et effundens iram.

12. Misericordia enim et ira est cum illo. Potens exoratio, et effundens iram :

Secundum multam misericordiam ejus, sic et multa correptio ejus : hominem secundum opera ejus judicat.

13. Secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua judicat.

Non effugiet in rapinis peccator, et non fraudabit sufferentiam pii.

14. Non effugiet in rapina peccator, et non retardabit sufferentia misericordiam facientis.

Omni misericordiæ faciet locum : unusquisque secundum opera sua inveniet.

15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, et secundum intellectum peregrinationis ipsius.

Ne dicas : A Domino abscondar : numquid ex summo quis mei memorabitur?

16. Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur?

In populo magno non ero in memoria : quæ est enim anima mea in immensa creatura?

17. In populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?

Ecce cœlum et cœlum cœli Dei, abyssus et terra, commovebuntur in visitatione ejus.

18. Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur :

Montes simul et fundamenta terræ, cum conspexerit illa, tremore concutiuntur.

19. Montes simul et colles, et fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.

Et super ipsis non cogitabit cor : et vias ejus quis intelliget?

20. Et in omnibus his insensatum est cor : et omne cor intelligitur ab illo :

Et procella quam non videbit homo.

21. Et vias illius quis intelligit, et procellam, quam nec oculus videbit hominis?

Plurima autem operum ejus in absconsis. Opera justitiæ quis annun-

22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis : sed opera justitiæ ejus

12 « Potens exoratio, » (Gr. princeps exorationum : in parcendo primus) « et effudens iram : » Deus qui irascitur et miseretur. Psalm. CIII. 3. nec minus exorari quam irasci solitus.

14 « Non effugiet in rapina..... non retardabit : » non diu expectabit, « sufferentia : patientia, « misericordiam facientis : » statim enim mercedem accipiet ; Gr. expeditior : non fraudabit (Deus) expectationem pii.

15 « Omnis misericordia faciet locum, » sibi ad Deum. Gr. omni misericordiæ faciet locum : Deus scilicet.

16 « Non dicas : A Deo abscondar. » Confutatis iis, qui Deo auctori peccata tribuebant : alteram quæstionem aggreditur, refellitque eos qui negabant Deo curæ esse res humanas. « Ex summo » (cœlorum) « quis memorabitur, » etc. Sic ille impius, Job. XXII. 14. « Nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. »

17 « In populo magno : » quod familiare Epicureis : non vacare Deo, ut inquirat in singulos, neque unum homuncionem, resque humanas tanti esse. « In tam immensa creatura : » revera enim mundum immensum fingebant, orbesque infinitos : tanquam id effecturi essent, ut si induceretur Deus horum curator, tanto labore fatisceret, neque attenderet ad singulos : quos confutare incipit X sequenti.

21 « Procellam : » ventos procellosos, quorum causæ latent in thesauris Dei : Ps. CXXXIV. 7.

22 « Plurima opera ejus in absconsis. » Ne ergo mirere, si gubernationis arcana te latent, unde sequitur : « opera justitiæ ejus quis enuntiabit? » quis enarrabit quomodo Deus animadversurus sit in impios? « Aut quis sustinebit? » quis expectabit? quasi diceret : Justitia Dei non

tiabit, aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum.

Qui minoratur corde, cogitat hæc: et vir imprudens et errans cogitat stulta.

Audi, fili mi, et disce scientiam; et in verbis meis attende corde tuo.

Ostendo in pondere disciplinam; et in veritate annuntio scientiam.

In judicio Domini opera ejus ab initio: et in affectione ipsorum distinxit partes eorum.

Ornavit in æternum opera sua, et principia eorum in generationes eorum. Nec esurierunt, nec laboraverunt: et non desiterunt ab operibus suis.

Unusquisque proximum suum non angustiavit:

Et usque in æternum non repugnabunt verbo illius.

Et post hæc Dominus in terram respexit, et implevit eam bonis suis.

Anima omnis vitalis operuit faciem ejus, et in ipsam reversio illorum.

quis enuntiabit? aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est.

23. Qui minoratur corde, cogitat inania: et vir imprudens et errans cogitat stulta.

24. Audi me, fili, et disce disciplinam sensus, et in verbis meis attende in corde tuo:

25. Et dicam in æquitate disciplinam, et scrutabor enarrare sapientiam: et in verbis meis attende in corde tuo; et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio; et in veritate enuntio scientiam ejus.

26. In judicio Dei opera ejus ab initio, et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, et initia eorum in gentibus suis.

27. Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non desiterunt ab operibus suis.

28. Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum.

29. Non sis incredibilis verbo illius.

30. Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis.

31. Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, et in ipsam iterum reversio illorum.

statim ad ultionem prosilit; expectandus est exitus rerum, quod homines præcipite judicandi licentia non faciunt: unde subdit, « longe enim testamentum: » quod potest intelligi, longe lex « a quibusdam: » melius, testamentum, pactum, pro occulta illa lege qua Deus in acta hominum inquirit: pergit enim: « interrogatio, » sive inquisitio « omnium in consummatione est: » in illo ultimo judicio. Ultionem non omittit; sed differt. Vide autem in Vulgata testamenti nomen pro cujusque sententia: XVII. 17.

23 « Qui minoratur corde: » qui intellectu deficit: « cogitat inania: » cogitat hæc, Gr. quæ supra, 16, 17.

25 « Dicam in æquitate » (Gr. ostendam in pondere) » disciplinam: « scrutabor enarrare: » diligenter enarro. « Et in verbis: » alia interpretatio, nonnihil variata lectione.

26 « In judicio..... ab institutione ipsorum. » Ex hoc versu ad finem exequitur ordinem, nexumque operum Dei: nempe quod facta sint summo accuratoque « judicio, » atque « ab institutione: » ex quo instituta et facta sunt accurate distincta per partes, v. 26. ornataque in æternum, 27. et ad principia sua revocata: « in gentibus suis, » 26. secundum genera sua: cœlum, sidera, elementa: stantque omnia ab initio: nec fame, aut nimio labore confecta deficiunt, 27. spatiis quoque disposita, ac licet tam arcte connexa, nullo loco vacuo; non tamen ut in turba fit, sibi mutuo impedimento sunt, sed libere expediunt motus suos, 28. unde consecutio: « Non sis ergo incredibilis (incredulus) verbis illius, » 29. Gr. addit: et usque in æternum non repugnant verbo ejus elementa, sidera, creaturæ omnes.

30 « Post hæc: » posteaquam sidera et elementa suo constituit loco: « in terram respexit, et implevit illam bonis suis: » plantis, animantibus.

31 « Anima omnis vitalis: » seu vivens, ut Scriptura passim: omne animal: « denuntiavit

CAP. XVII. Deus curam gerit hominum ab ipso creationis initio : unde adhortatio ad pietatem, toto capite : opera hominum nota Deo sicut sol, 15, 30. videt omnia, 31.

S. V. — Dominus creavit de terra hominem :

Et iterum convertit illum in ipsam.

Dies numeri, et tempus dedit illis, et dedit illis potestatem eorum, quæ sunt super eam. Secundum seipsos vestivit illos virtute, et secundum imaginem suam fecit eos.

Et posuit illius terrorem super omnem carnem, et dominari bestiarum et volatilium.

Consilium et linguam, et oculos, aures, et cor dedit ad cogitandum illis.

Disciplina intellectus implevit illos : et bona et mala ostendit eis.

Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.

Et nomen sanctificationis laudabunt : ut magnalia enarrent operum ejus.

Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit eos.

Testamentum æternum constituit cum illis; et judicia sua ostendit eis.

Magnalia honoris viderunt oculi eorum : et honorem vocis eorum audivit auris illorum. Et dixit illis : Attendite ab omni iniquo.

V. V. — 1. Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.

2. Et iterum convertit illum in ipsam : et secundum se vestivit illum virtute.

3. Numerum dierum et tempus dedit illi; et dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.

4. Posuit timorem illius super omnem carnem; et dominatus est bestiarum et volatilium.

5. Creavit ex ipso adjutorium simile sibi : consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi; et disciplina intellectus replevit illos.

6. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum : et mala et bona ostendit illis.

7. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum,

8. Ut nomen sanctificationis collaudent : et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.

9. Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit illos.

10. Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicia sua ostendit illis.

11. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum : et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis : Attendite ab omni iniquo.

ante faciem ipsius : » operuit faciem, Gr. terræ scilicet. Hæc ergo cum æterna lege stent, non potest negari Dei providentia. Jam ad hominem speciatim.

2 « Secundum se : » Gr. explicat ỳ seq. secundum seipsos : homines scilicet : prout illis dignum erat : nam etiam immortales fecit.

3 « Numerum dierum : » dies noctesque et tempora numerato illi dedit, constitutis omnium signis. Gen. I. 14. « Dedit illi potestatem : » hæc et quæ sequuntur repetita ex Gen. I. 28. II. 19, 20, etc.

6 « Mala et bona ostendit illis : » plantata arbore scientiæ boni et mali. Gen. II. 17. atque inde consecutis malis bonisque.

8 « Nomen sanctificationis : » nomen Dei sanctum.

9 « Addidit illis disciplinam. » His et seq. exequitur varia dona collata humano generi, legem, promissa, miracula. « Hæreditavit illos : » sorti assignavit : sorte distribuit.

Et mandavit illis unicuique de proximo.
Viæ eorum coram illo sunt semper : non abscondentur ab oculis ipsius.
Unicuique genti præposuit rectorem :
Et pars Domini Israel est.

Omnia opera eorum velut sol in conspectu ejus : et oculi ejus sine intermissione in vias eorum.

Non sunt absconsæ injustitiæ illorum ab eo, et omnia peccata eorum in conspectu Domini.
Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso; et gratiam hominis, quasi pupillam conservabit.
Postea resurget, et retribuet illis: et retributionem eorum in caput ipsorum reddet.

Verumtamen pœnitentibus dedit reditum, et confirmavit deficientes sustinentia.

Convertere ad Dominum, et relinque peccata :
Precare ante faciem, et minue offendiculum.
Revertere ad Altissimum, et avertere ab injustitia, et valde odito execrationem.
Altissimo quis laudem dicet in inferno.

Pro viventibus et viventibus, et dantibus vicissim confessionem.

12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo.
13. Viæ illorum coram ipso sunt semper : non sunt absconsæ ab oculis ipsius.
14. In unamquamque gentem præposuit rectorem :
15. Et pars Dei, Israel facta est manifesta.
16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.
17. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum; et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.
18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso; et gratiam hominis, quasi pupillam conservabit.
19. Et postea resurget, et retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, et convertet in interiores partes terræ.
20. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis.
21. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua :
22. Precare ante faciem Domini, et minue offendicula.
23. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem :
24. Et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis altissimi Dei.
25. In partes vade seculi sancti; cum vivis et dantibus confessionem Deo.

14 « In unamquamque gentem..... rectorem : » legislatores, reges : quod frustra retulerunt ad angelos.

17 « Non sunt absconsa testamenta : » non sunt absconsæ injustitiæ illorum : Gr.

18 « Eleemosyna viri : » ut mala opera, ℣ 17. Deum non latent : ita, hic, bona opera, puta, eleemosynæ. « Quasi signaculum : » quasi res sigillo clausa; inviolabile divinæ misericordiæ pignus.

19 « Postea resurget : » Deus, cum diu obdormisse videbatur, et quasi connivere peccatis, tandem consurget in impios, iram concitabit : « et convertet in interiores : » ad sepulchrum : nici dedet.

20 « Viam justitiæ : » reditum, Gr. et « confirmavit deficientes sustinere : » sub plagis et verberibus fatiscentes.

21 « Sta in sorte propositionis : » in sorte tibi proposita; in sorte veritatis, supra, 20. atque observandæ legis, quæ tibi pars obtigit.

25—26 « In partes vade : » consocia te eorum partibus, qui vitam agunt piam, et vivi Deum laudant. Pro hoc Gr. Altissimo quis dicet laudem in inferno? pro viventibus et dantibus vicissim confessionem : quasi diceret : hoc est viventium et vicissim collaudantium Deum. « A mortuo, quasi nihil, » quasi nullo : non existente, Gr. « perit confessio : » laus, quæ quo sensu intelligenda, diximus Præfatione in Psalmos, cap. I. num. 9, 10.

A mortuo, tanquam eo qui non est, perit confessio :

26. Non demoreris in errore impiorum : ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio.

Vivus et sanus laudabit Dominum.

27. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius.

Quam magna misericordia Domini, et propitiatio convertentibus se ad eum!

28. Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se!

Non enim omnia possunt esse in hominibus : quoniam non est immortalis filius hominis.

29. Nec enim omnia possunt esse in hominibus : quoniam non est immortalis filius hominis; et in vanitate malitiæ placuerunt.

Quid lucidius sole? et hoc deficit : et malus excogitabit carnem et sanguinem.

30. Quid lucidius sole? et hic deficiet. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur.

Virtutem altitudinis cœlis ipse conspicit : et omnes homines terra et cinis.

31. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit : et omnes homines terra et cinis.

CAP. XVIII. Deus omnium æque creator, 1. operum ejus perfectio incomprehensibilis, 2. ad 7. miserator hominis, ad 15. beneficia non exprobranda, ad 19. considerate loquendum, 19. examinare seipsum, 20. orare et justificari ne cesses, 22. ad orationem animus præparandus, 23. adversa in prosperitate cogitanda, 24, 25. veloces rerum conversiones, 26. hinc nunquam sine metu, 27. post concupiscentias non eas, 30, 31. atque hic incipit de continentia.

s. v. — Qui vivit in æternum, creavit omnia simul; Dominus solus justificabitur.

v. v. — 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum.

Nemini potestatem fecit enarrandi opera ipsius.

2. Quis sufficit enarrare opera illius?

Et quis investigabit magnalia ejus?

3. Quis enim investigabit magnalia ejus.

Virtutem magnitudinis ejus quis enumerabit? et quis adjiciet enarrare misericordias ejus.

4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?

28 « Convertentibus ad se : » se ad eum : Gr.

29 « Nec enim omnia. » Significat tantas esse Dei misericordias, ut homo, mortalis ævi, tam brevis vitæ spatio experiri, nedum eloqui possit. « In vanitate : » vanissime : summa est vanitas, potuisse homini placere nequitiam.

30 « Quid lucidius sole? » Sol ipse deficit, deliquium patitur, et hic defectus notus omnibus : quid mirum, si deprehenditur deliquium, sive vitium in homine, carnem et sanguinem, hoc est, carnalia et turpia cogitante? quæ pertinent ad retundenda ea quæ supra objecta erant : xvi. 16. nempe peccata nostra latere Deum. Gr. sic habet : quid lucidius sole? et tamen hoc (lucidissimum) eclipsin patitur, et malus homo cogitat carnem et sanguinem. Obscurissime quidem, sed pauca supplendo, idem cum Vulgata extundetur sensus.

31 « Virtutem altitudinis : » ne dicas cum impio, xvi. 16. aliquid Deo esse incompertum.

1 « Creavit omnia simul : » Gr. communiter, pariter, æque omnia, ac sine ipso factum est nihil. « Deus solus justificabitur : » solus irreprehensus in operibus suis, cujus comparatione omnia immunda sunt, ut demonstrat sanctus Job. cap. ix. etc.

Non est minuere, neque adjicere: et non est investigare mirabilia Domini.

Cum consummaverit homo, tunc incipit: et cum quieverit, tunc dubitabit.

Quid est homo, et quid usus ejus? quid est bonum ejus, et quid malum ejus?

Numerus dierum hominis, ut multum, centum anni: sicut gutta aquæ maris, et calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi.

Propter hoc patiens fuit in illis: et effudit super eos misericordiam suam.

Vidit et cognovit subversionem eorum, quoniam mala est;

Ideo multiplicavit propitiationem suam.

Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Domini super omnem carnem.

Corripiens, et erudiens, et docens, et convertens, quasi pastor gregem suum.

Miseretur excipientium doctrinam, et eorum qui festinant ad judicia ipsius.

Fili, in bonis ne des querelam, et in omni dato tristitiam verborum.

Nonne ardorem refrigerabit ros? sic verbum melius quam datum.

5. Non est minuere, neque adjicere: nec est invenire magnalia Dei.

6. Cum consummaverit homo, tunc incipiet: et cum quieverit, aporiabitur.

7. Quid est homo, et quæ est gratia illius? et quid est bonum, aut quid nequam illius?

8. Numerus dierum hominum ut multum, centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi.

9. Propter hoc patiens est Deus in illis: et effundit super eos misericordiam suam.

10. Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est: et cognovit subversionem illorum, quoniam nequam est.

11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis.

12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.

13. Qui misericordiam habet, docet et erudit, quasi pastor gregem suum.

14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in judiciis ejus.

15. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali.

16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum.

6 « Cum consummaverit homo : » cum devenisse se putaverit ad perfectam divini operis intelligentiam, tunc incipiet. « Et cum quieverit : » cum velut re comperta, a quærendo destiterit : » tunc aporiabitur : » dubitabit : hæsitabit, in pristinam ignorantiam devolvi se sentiet.

7 « Quæ gratia ? » utilitas : Gr. « nequam : » malum, Gr. nemo scit quid sibi bonum malumve : ideo ipse Deus docet, ỳ 11. et seq.

8 « Exigui anni in die ævi : » atque ætatis suæ.

9 « Propter hoc : » ne cum impiis dicas, eo quod homo nihili sit, non esse curæ Deo : supra, XVI. 17. imo ea causa miserandi est.

10 « Vidit : » ne dicas perversum esse hominem, Deique cura indignum, quod ejus « nequam, » id est, malus atque infelix sit exitus : cum contra ea causa sit, cur illum erudiat, ne malo fine pereat, ỳ 11. et seq. « Subversionem illorum : » exitum, ut supra, x. 16.

13 « Qui misericordiam : » vide Gr. in eoque veri pastoris officia.

14 « Miseretur : » vide Gr. « Festinat : » prompte ambulat, « in judiciis, » in mandatis « ejus : » ut passim Psalm. CXVIII. Quo fine concludit responsum ad objecta, quæ commemorata sunt ad cap. XV. 11, 12, XVI. 16.

15 « In bonis : » largiendis. Vide 18.

16 « Verbum melius quam datum : » cum verba opposite dicta, existimationis ac benevolentiæ argumenta sint, quibus vel maxime homines delectantur.

Nonne ecce verbum super datum bonum? et utraque apud hominem gratiosum.

Stultus acriter improperabit: et datus invidi tabescere facit oculos.

Antequam loquaris, disce, et ante languorem adhibe medicinam. Ante judicium interroga teipsum: et in hora visitationis, invenies propitiationem.

Ante languorem humilia te; et in tempore peccatorum, ostende conversionem.

Non impediaris reddere votum tempestive: et non verearis usque ad mortem justificari.

Ante orationem præpara teipsum, et non sis quasi homo qui tentat Dominum.

Memento iræ in die consummationis; et tempus vindictæ in conversione faciei.

Memento temporis famis in tempore saturitatis; paupertatis et necessitatis in die divitiarum.

A mane usque ad vesperam immutabitur tempus: et omnia sunt citata in oculis Domini.

Homo sapiens in omnibus metuet: et in diebus peccatorum attendet a delicto.

Omnis intelligens novit sapien-

17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato.

18. Stultus acriter improperabit: et datus indisciplinati tabescere facit oculos.

19. Ante judicium para justitiam tibi; et antequam loquaris, disce.

20. Ante languorem adhibe medicinam: et ante judicium interroga teipsum; et in conspectu Dei invenies propitiationem.

21. Ante languorem humilia te; et in tempore infirmitatis, ostende conversationem tuam.

22. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum.

23. Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

24. Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei.

25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum.

26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus: et hæc omnia citata in oculis Dei.

27. Homo sapiens in omnibus metuet: et in diebus delictorum attendet ab inertia.

28. Omnis astutus agnoscit sapien-

17 « Sed utraque cum homine justificato : » utraque et verbum lene et donum præsto sunt homini justo ac bono : Gr. gratioso, miti :

18 « Acriter improperabit : » dando ipsa beneficia exprobrabit ; quo fit id quod sequitur, ut invisus sit « datus, » datio, datum sive donum, *dosis*, « indisciplinati : » Gr. invidi ; qui ita dat, tanquam accipienti donum invideat.

20 « In conspectu Dei : » in hora visitationis (sive judicii ac pœnæ infligendæ.) Gr.

21 « Infirmitatis : » affecta valetudine : Gr. in tempore peccatorum : (cum peccata invalescere sentiet, sive, in tempore quo peccata punientur) « ostende » conversionem, pro quo in Vulgat. scribæ reposuisse videntur « conversationem : » ut 24.

22 « Orare semper : » Gr. reddere votum suo tempore. « Ne verearis : » ne tardes, ne cunctetis : Gr. « usque ad mortem justificari. Qui justus est, justificetur adhuc. » Apoc. XXII. 11. « Quoniam merces Dei : » Paulus : « Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus, non deficientes. » Gal. VI. 9.

23 « Ante orationem : » sive ante votum.

24 « Memento iræ in die consummationis, » mortis, « et tempus : » supple : memento, pro, memento temporis : ut « memorare novissima : » supra, VII. 40. Gr. memento tempus retributionis, ultionis, « in conversatione : » pro conversione « faciei : » *ex apostrophe prosōpou ;* cum Deus vultum averterit, ac pœnas infligere cœperit.

26 « Immutabitur tempus : » occasio, rerum status. « Omnia sunt citata : » cita, velocia « in oculis Dei : » quod tempore non egeat ad expediendo consilia, et uno ictu rem peragat.

27 « In diebus delictorum : » vide ℣ 21. « Ab inertia : » a peccato, Gr.

28 « Omnis astutus. » Omnis homo prudens facile recognoscit eum, qui fuerit sapientiæ compos, talemque eum esse facile confitetur.

tiam : et invenienti eam dabit confessionem.

Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt, et emiserunt quasi imbrem proverbia exquisita.

CONTINENTIA ANIMÆ.

Post concupiscentias tuas non eas, et a desideriis tuis avertere.

Si præstes animæ tuæ beneplacitum concupiscentiæ, faciet te gaudium inimicorum tuorum.

Ne oblecteris in multa epulatione, neque alligeris commissioni ejus.

Non fias pauper de symbolis comessans ex fœnore : et nihil tibi est in sacculo.

tiam : et invenienti eam dabit confessionem.

29. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt : et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbia et judicia.

30. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.

31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

32. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis : assidua enim est commissio illorum.

33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo : eris enim invidus vitæ tuæ.

CAP. XIX. Sequitur de continentia, ad 7. qui spernit modica, 1. de imprecando candide, moderate tamen, a 7. ad finem : multa interserta de falsa sapientia, 20 et seq. deque hypocrisi, 23 et seq. ac de indiciis boni malive animi ex specie, 27. increpatio ex ira : tacens, idem prudens, 28. sapientia, falsa solertia : hypocritæ : ad finem.

s. v. — Operarius ebriosus non locupletabitur, qui spernit modica, paulatim decidet.

Vinum et mulieres apostatare facient sapientes :

Et qui jungit se meretricibus, audacior erit. Tineæ et vermes hæreditabunt illum ; et anima audax tolletur de numero.

Qui credit cito, levis est corde ; et qui peccat, in animam suam delinquet.

v. v. — Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paulatim decidet.

2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos :

3. Et qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus.

4. Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur ; et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur.

29 « Impleverunt proverbia : » Gr. emiserunt quasi imbrem proverbia exquisita : sententias exquisitas.

30 Hic in Gr. titulus : Continentia animæ. « Post concupiscentias non eas : » recte August. aliud, non concupiscere, quod non est in potestate ; aliud, ire post concupiscentias, iisque obsequi, quod peccato imputatur.

32 « Ne oblecteris in turbis : » vide Gr. commissioni, symbolæ, comessationi ex symbolis, de qua, ỷ seq.

33 « Ne fueris : » Vide Gr.

1 « Qui spernit modica. » Recte hoc interserit, quod soleant pedetentim labi in intemperantiæ gurgitem.

2 « Apostatare : » aberrare : a recta ratione discedere. « Et arguent sensatos : » imbecillis animi.

3 « Fornicariis, » sive meretricibus. « Erit nequam : » Gr. audacior erit, contumacior : comparativum pro positivo, quem habent quidam codices ; præfracta superbia, et confidentia in flagitia et pericula præceps. « Tolletur de numero » viventium « anima ejus. » Gr. anima audax, id est, rebellis, contumax.

4 « Qui delinquit : » qui peccat (eum meretricibus) « in animam suam, insuper habebitur : » contemnetur : Gr. planior : qui peccat (incontinentia, quo de vitio agitur) in ani-

Qui gaudet corde, denotabitur; et qui odit loquacitatem, minuitur malitia.

5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur; et qui odit correptionem, minuetur vita; et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.

6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit; et qui jucundatur in malitia, denotabitur.

Nunquam iteres verbum : et nihil tibi minuetur.

7. Ne iteres verbum nequam et durum; et non minoraberis.

In amico et inimico noli narrare : etiamsi non sit tibi peccatum, noli denudare.

8. Amico et inimico noli narrare sensum tuum : et si est tibi delictum, noli denudare.

Audivit enim te, et custodivit te, et in tempore odiet te.

9. Audiet enim te, et custodiet te; et quasi defendens peccatum audiet te, et sic aderit tibi semper.

Audisti verbum? commoriatur tibi : fide, quoniam te non dirumpet.

10. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.

A facie verbi parturiet fatuus; sicut a facie infantis, ea quæ parit :

11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.

Sagitta infixa in femore carnis, sic verbum in corde stulti.

12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.

Corripe amicum, ne forte non fecerit; aut si quid fecerit, ne iterum addat.

13. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere.

Corripe amicum, ne forte non dixerit; et si dixerit, ut non iteret.

14. Corripe proximum, ne forte non dixerit; et si dixerit, ne forte iteret.

Corripe amicum : sæpe enim fit calumnia :

15. Corripe amicum : sæpe enim fit commissio.

Et non omni verbo credas. Est qui labitur, sed non ex animo :

16. Et non omni verbo credas. Est qui labitur lingua, sed non ex animo.

nam suam errabit, in seipsum delinquet; sic Paulus : « Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. » I. Cor. VI. 18.

5 « Denotabitur : » condemnabitur : Gr.

6 « Qui peccat : » Gr. deest : repetita versio ex 4 et 5.

7 « Ne iteres : » Gr. nunquam iteres verbum : et nihil tibi minuetur; adversus eos, qui inculcando et obtundendo, quidvis impetrare se posse confidunt.

8 « Amico et inimico : » indifferenter. « Et si est tibi delictum : » Gr. et si non est : cave a retegendis cuique obvio arcanis etiam innocuis.

9 « Custodiet te : » observabit : « et quasi defendens peccatum : » specie excusandi. « Aderit tibi semper : » assiduus tecum insidiandi animo : Gr. et in tempore odio te habebit : per se licet innoxia, pravo animo volutata, causas odii præbent.

11 « A facie verbi... tanquam gemitus : » verbum stulto erumpit, sicut parienti gemitus : Græc. a facie verbi (a verbo) parturit fatuus, tanquam a facie infantis (ab infante) parituro : stulto erumpit verbum, ut infans puerperæ.

12 « Sagitta : » infirmus animus verbo ut sagitta vulneratur.

13 « Ne forte non intellexerit : » id quod facto opus : Gr. ne forte non fecerit (id quod faciendum est) et si fecerit (malum) ne addat.

14 « Corripe proximum, ne forte non dixerit, » id quod dicendum est : « et si dixerit » (malum) « ne iteret. »

15 « Sæpe fit commissio, » erratum : Gr. corripe amicum : (moderate tamen) sæpe enim fit calumnia : unde subdit :

16 « Et non omni verbo credas. » Jam incipit moderari corripiendi studium, duobus præ-

Et quis non deliquit in lingua sua? Corripe proximum tuum, priusquam commineris :

Et da locum legi Altissimi. Omnis sapientia, timor Domini, et in omni sapientia, effectio legis.

Et non est sapientia, nequitiæ disciplina : et non est, ubi consilium peccatorum, prudentia.

Est nequitia, et ipsa execratio : et est insipiens, qui minuitur sapientia.

Melior est, qui minuitur sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem.

Est solertia certa, et ipsa iniqua :

Et est pervertens gratiam, ad ostendendum judicium.

Est nequiter agens, qui se humiliat nigredine, et in suis interioribus est plenus dolo: inclinans faciem, et semisurdus : ubi non fuerit agnitus, anticipabit te.

Et si ab imbecillitate virium veretur peccare, si invenerit tempus, malefaciet.

Ex visu cognoscetur vir; et ab occursu faciei cognoscetur sensatus.

17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum, antequam commineris.

18. Et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis.

19. Et non est sapientia, nequitiæ disciplina : et non est cogitatus peccatorum, prudentia.

20. Est nequitia, et in ipsa execratio : et est insipiens, qui minuitur sapientia.

21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

22. Est solertia certa, et ipsa iniqua.

23. Et est qui emittit verbum certum, enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo :

24. Et est qui se nimium submittit a multa humilitate : et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est :

25. Et si ab imbecillitate virium veretur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.

26. Ex visu cognoscitur vir; et ab occursu faciei cognoscitur sensatus.

ceptis : alterum, ne suspicaces simus, et plus demus calumniis aut rumoribus, quam oportet. alterum, ut intelligamus ea quæ culpam extenuent : quale est istud, labi, sed facilitate ac levitate magis, quam studio, sive « ex animo. »

17 « Antequam commineris : » ne ira magis, quam admonendi studio, corripere te putet.

18 « Et da locum timori : » Gr. legi, « Altissimi : » qua juberis amicum diligere ut te ipsum. « Dispositio legis : » executio : Graec. non enim verbis, sed factis sapientem esse oportet.

19 « Et non est sapientia. » Docet uti veram, ita falsam esse sapientiam quæ doceat perverse agere, et consilium malorum adhibeat; quod etiam ad incepationem facit, ad quam necessaria est veri ac falsi discretio. « Cogitatus : » cogitatio; consilium : Gr.

20 « Est nequitia : » aperta et exosa. « Est insipiens; non « modo qui aperte desipit, verum etiam qui minuitur sapientia.

21 « Et deficiens sensu : » duplex versio : Gr. deest. Verissima sententia, melior est minus sapiens, sive intelligens, et interim timens Deum, quam qui doctior, transgreditur legem.

22 « Est solertia certa : » diligens, Gr. « et ipsa iniqua : » sunt prave diligentes et sapientes : contra quod docet Paulus : « Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo; » sive ad patrandum malum. Rom. XVI. 19. Vide supra, 19. Addit Gr. et est pervertens gratiam; (ac Dei benignitate abutens) ad ostendendum judicium : quo peccato maxime judicium, sive ultio Dei provocatur.

23 « Est qui nequiter humiliat se : » addit Gr. nigredine, pulla et sordida veste : « hypocritæ tristes : » *skuthrôpoi*, Matth. VI. 16.

24 — 25 « Et qui se nimium.... et si ab imbecillitate. » Gr. sic habet : (ille hypocrita pullatus de quo ỳ 23.) incurvans vultum : (obstipo capite, ne quid cernere videatur) et semisurdus : *étérokôphôn*, altera aure surdus (surdastrum se fingens, ne putes eum observare dicta tua, ad quæ tamen est acutissimis atque attentissimis auribus) ubi non fuerit agnitus, (si latere se seu-

Amictus viri, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiat de illo.

Est correptio, quæ non est decora : et est tacens, et ipse prudens.

27. Amictus corporis et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.

28. Est correptio mendax in ira contumeliosi : et est judicium, quod non probatur esse bonum : et est tacens, et ipse est prudens.

CAP. XX. Pergit de increpatione, ejusque fructu, 1, 3. judicia per vim. 2. tacens : loquax, 5, 6, 7. beneficia ut condienda, 10, 13. ad 20. homo insulsus, 21. sententia in tempore, 22. falsa verecundia, 24, 25. mendacium, 26, 27, 28. munerum vis, 31.

S. V. — Quam bonum est arguere, quam irasci! et qui vicissim confitetur, prohibebitur a diminutione.

Concupiscentia spadonis, devirginare juvenculam :

Sic, qui facit per vim judicia.

Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis ex multa loquacitate.

Est tacens, non enim habet responsum : et est tacens, sciens tempus.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens transgredietur tempus.

Qui abundat sermone, in abominatione erit : et qui potestatem sibi sumit, odietur.

Est processio in malis viro : et est inventio in detrimentum.

Est datum, quod non erit utile tibi : et est datum, cujus retributio duplex.

Est minoratio propter gloriam :

V. V. — 1. Quam bonum est arguere, quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere!

2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam : 3. sic qui facit per vim judicium iniquum.

4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.

5. Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis, qui procax est ad loquendum.

6. Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens, sciens tempus aptum.

7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus.

8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam : et qui potestatem sibi sumit injuste, odietur.

9. Est processio in malis viro indisciplinato : et est inventio in detrimentum.

10. Est datum, quod non est utile : et est datum, cujus retributio duplex.

11. Est propter gloriam minora-

sit) præveniet te : (calumniis, quibus aures principum et civium occupabit.) « Et si præ imbecillitate virium veretur peccare » (in te, seu nocere tibi) « si invenerit tempus, male faciet. » Quibus graphice pingitur pessimum hypocritarum ac susurronum genus.

27 « Amictus. » Vide tria quibus homines maxime innotescunt : amictus insolens, incompositus, affectata munditie sive squalore : risus immodestus, petulans, mollis, inficetus : incessus superbus, desultorius.

28 « Est correptio mendax : » indecora : Gr.

1 « Quam bonum : » quanto melius arguere, etc. Gr. « et confitentem : » Gr. qui redarguens confitetur (peccatum) prohibebitur a damno.

2 — 3 « Concupiscentia.... sic qui facit per vim judicium ; » judicia, Gr. ut qui impotenti ardore aggreditur virginem, quantum in ipso est, violat; ita qui per iniqua judicia legi vim infert, ejus castitatem, quantum in ipso est, commaculat.

8 « Qui multis : » loquax : » lædet animam suam : » in abominatione erit : Gr.

9 « Est processio : » sive progressus, ac felix successus, qui malo vertat.

et est qui ab humilitate levavit caput.

Est qui emat multa modico pretio, et restituens ea in septuplum.

Sapiens in verbis, seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur.

Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius pro uno multi.

Exigua dabit, et multa improperabit: et aperiet os suum, tanquam præco.

Hodie fœnerabitur: et cras repetet: et odibilis homo hujusmodi.

Fatuus dicet, Non est mihi amicus, et non est gratia bonis meis:

Qui edunt panem meum, sunt mali lingua. Quoties et quanti irridebunt eum?

Lapsus a pavimento magis, quam a lingua: sic casus malorum festinanter veniet.

Homo sine gratia, fabula intempestiva: in ore indisciplinatorum assidua erit.

Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicet illam in tempore ejus.

Est qui vetatur peccare præ ino-

tio: et est qui ab humilitate levabit caput.

12. Est qui multa redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum.

13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit; gratiæ autem fatuorum effundentur.

14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt.

15. Exigua dabit, et multa improperabit: et apertio oris illius, inflammatio est.

16. Hodie fœneratur quis, et cras expetit: odibilis est homo hujusmodi.

17. Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius.

18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, et quanti irridebunt eum?

19. Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit: similiter et quod non erat habendum.

20. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens: sic casus malorum festinanter veniet.

21. Homo acharis quasi fabula vana: in ore indisciplinatorum assidua erit.

22. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.

23. Est qui vetatur peccare præ

12 « Est qui multa: » sunt qui pretii vilitate capti, merces emant pessimas, quæ maximo postea detrimento sint, domos, prædia, etc.

14 « Septemplices sunt: » atque hujus generis qui objecta multiplicant: unde sequitur:

15 « Exigua dabit, et multa improperabit: » exaggerabit beneficia. « Et apertio oris illius, inflammatio est: » tantas iras commovet, exprobrando beneficia: Gr. planior.

16 « Hodie fœneratur quis, et cras expetit: » repetit. « Odibilis: » sic post beneficia, gratiæ exactor nimius.

17 « Gratia (memor animus) bonis (beneficiis) illius: » Gr. fatuus dicet: Non est mihi amicus, etc. sive fatui est male sentire de hominibus, atque hinc excusationes quærere avaritiæ; sive id revera contingit fatuo, quod magis sequenti congruit.

18 « Falsæ linguæ »: Gr. pravi lingua: maledici.

19 « Neque enim: » habenda enim, et non habenda, danda æque ac retinenda non recta opinione distribuit: cui aliquid simile habet Complut.

20 « Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento: » tam lubricus, tam præceps gravisque: atque hinc celerrimus malorum hominum casus.

21 « Homo acharis: » sine gratia, insulsus, inficetus: « quasi fabula vana: » Gr. intempestiva, (indecora, importuna) tam est importunus, tam invisus: infra XXI, 19. « Narratio fatui, quasi sarcina in via: » quæ tamen fabula « in ore indisciplinatorum, » indoctorum, etc.

22 « Ex ore fatui reprobabitur: » improbabitur: « parabola: » sive recta ac pulchra sententia.

23 « In requie: » in cessatione: « sua: » in cessando a peccato: « stimulabitur: » compungetur: non enim recta certaque ratione, sed ex imbecillitate a peccatis abstinet: Gr. non

pia : et in requie sua non stimulabitur.

Est qui perdit animam suam præ confusione : et ab imprudenti persona perdet eam.

Est qui præ confusione promittit amico : et lucratus est eum inimicum gratis.

Opprobrium nequam in homine mendacium : in ore indisciplinatorum assidue erit.

Potior fur, quam assiduus in mendacio : perditionem autem ambo hæreditabunt.

Mos hominis mendacis, inhonoratio; et confusio ejus cum ipso sine intermissione.

SERMONES PARABOLARUM.

Sapiens in verbis producet seipsum : et homo prudens placebit magnatis.

Qui operatur terram, inaltabit acervum suum; et, qui placet magnatis, expiabit iniquitatem.

Xenia et dona excæcant oculos sapientium et quasi frenum in ore, avertunt increpationes.

Sapientia absconsa, et thesaurus non comparens, quæ utilitas in utrisque?

Melior est homo, qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

inopia : et in requie sua stimulabitur.

24. Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam : personæ autem acceptione perdet se.

25. Est qui præ confusione promittit amico : et lucratus est eum inimicum gratis.

26. Opprobrium nequam in homine mendacium : et in ore indisciplinatorum assidue erit.

27. Potior fur quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt.

28. Mores hominum mendacium sine honore; et confusio illorum cum ipsis sine intermissione.

29. Sapiens in verbis producet seipsum : et homo prudens placebit magnatis.

30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum : et qui operatur justitiam, ipse exaltabitur : qui vero placet magnatis, effugiet iniquitatem.

31. Xenia et dona excæcant oculos judicium : et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.

32. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

33. Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

compungetur : obscurius, atque omnino præferenda Vulgatæ lectio. Potest tamen Gr. intelligi inopem non id committere quo compungatur : quod id inopia præstet, ut a peccato requiescere atque abstinere necesse sit.

23 « Ab imprudenti persona : » gratificaturus personæ imprudenti, et non petenda petenti. « Personæ acceptione. » Alia lectio, quæ in quibusdam codicibus invenitur, meliorque est, et magis perspicua.

29 « Sapiens : » ante hunc versum in Gr. titulus : « Sermones Parabolarum ; » quasi novo a principio inchoet sententias.

30 « Qui placet magnatis : » bonis artibus, ut supra, 29. « effugiet iniquitatem : » expiabit, Gr. sive a se prohibebit : iniqui enim « dominationem spernunt, majestatem blasphemant. » Judæ ℣ 8.

31 « Et quasi mutus. » Vide Gr.

33 « Melior est qui celat insipientiam : » pars enim sapientiæ est, celare quidquid inest insipientiæ : at tegere sapientiam, hoc est, veritatem premere, privatis ac reipublicæ, loco et tempore, recta consilia denegare, pertinet ad turpissimum adulationis, invidiæ, corruptelæ vitium; quod genus insipientiæ est pessimum.

CAP. XXI. De peccato statim expiando ad 5. superbi : humilium et pauperum precatio, 6. correptio, 7. audax lingua, 8. mutuo accipientes, 9. malorum planum iter, infelix exitus, 11. sapientes : fatui, 17 ad 30. sibi adjicere sermones bonos, 18. risus, 23. rei alienæ curiosus, 26, 27. calumniator, 30. susurro, 31.

s. v. — Fili, peccasti? ne adjicias iterum, et de pristinis tuis deprecare.

Quasi a facie colubri, fuge a peccato : nam si accesseris, mordebit te.

Dentes leonis, dentes illius, interficientes animas hominum.

Quasi rhomphæa bis acuta, omnis iniquitas : plagæ ejus non est sanatio.

Vehemens objurgatio et contumelia annullabunt substantiam : sic domus superbi annulabitur.

Deprecatio pauperis ex ore usque ad ores ejus : et judicium ejus festinato advenit.

Qui odit correptionem, in vestigio peccatoris : et qui timet Dominum, convertetur in corde.

Notus a longe potens in lingua : sensatus autem novit eum ille labitur.

Qui ædificat domum in pecuniis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hiemen.

Stuppa collecta, synagoga peccantium : et consummatio illorum, flamma ignis.

Via peccantium complanata lapidibus ; et in fine illius, fovea inferni.

Qui custodit legem, continet sensum suum :

Et consummatio timoris Domini, sapientia.

Non erudietur, qui non est astutus.

v. v. — 1. Fili, peccasti? non adjicias iterum : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

2. Quasi a facie colubri, fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te.

3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.

4. Quasi rhomphæa bis acuta, omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.

5. Objurgatio et injuriæ annulabunt substantiam : et domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia : sic substantia superbi eradicabitur.

6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad ores ejus perveniet : et judicium festinato adveniet illi.

7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : et qui timet Deum, convertetur ad cor suum.

8. Notus a longe potens lingua audaci : et sensatus scit labi se ab ipso.

9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.

10. Stuppa collecta, synagoga peccantium ; et consummatio illorum, flamma ignis.

11. Via peccantium complanata lapidibus ; et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ.

12. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus.

13. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus.

14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono.

2 « Suscipient te : » mordebit te. Gr. *δήκεται*, suscipiet : pro *δήκεται*, mordebit.

6 « Ad aures ejus : » Dei. « Judicium : » ultio illatæ injuriæ.

7 « Vestigium est : » in vestigio est : Gr. sequitur vestigia « peccatoris : Convertetur ad cor suum : » ex animo, sive in corde : Gr.

8 « Notus a longe : » vultu ipso se indicat. « Labi se : » labi eum : « ab ipso : » redundat. Vide Gr.

9 « In hieme » : sive in hiemem : Gr. alienissimo ad ædificandum tempore.

12 « Sensum ejus : » suum, Gr. sui compos erit.

Est astutia multiplicans amaritudinem.

Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit: et consilium illius, sicut fons vitæ.

Interiora fatui, quasi vas confractum; et omnem scientiam non tenebit.

Verbum sapiens si audierit scius, laudabit illud, et ad se adjiciet: audivit luxuriosus, et displicuit illi; et projecit illud post dorsum suum.

Narratio fatui, quasi sarcina in via: in labio autem sensati invenietur gratia.

Os prudentis quæretur in ecclesia: et verba illius cogitabit in corde.

Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: et scientia insensati, non vestigabilia verba.

Compedes in pedibus stultis doctrina, et quasi vincula manuum super manum dexteram.

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite subridebit.

Sicut ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro.

Pes fatui velox in domum: homo autem peritus confundetur a persona.

Stultus a janua respicit in domum: vir autem eruditus foris stabit.

Stultitia hominis auscultare per ostium: prudens autem gravabitur contumelia.

Labia alienorum in his gravabun-

15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: et non est sensus ubi est amaritudo.

16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit; et consilium illius sicut fons vitæ permanet.

17. Cor fatui quasi vas confractum; et omnem sapientiam non tenebit.

18. Verbum sapiens quodcumque audierit, scius laudabit, et ad se adjiciet: audivit luxuriosus, et displicebit illi; et projiciet illud post dorsum suum.

19. Narratio fatui, quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia.

20. Os prudentis quæritur in ecclesia: et verba illius cogitabunt in cordibus suis.

21. Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: et scientia insensati inenarrabilia verba.

22. Compedes in pedibus stulto doctrina, et quasi vincula manuum super manum dextram.

23. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit.

24. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro.

25. Pes fatui facilis in domum proximi: et homo peritus confundetur a persona potentis.

26. Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit.

27. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia.

28. Labia imprudentium stulta

15 « Non est sensus, ubi est amaritudo: » insanum est ea concupiscere, quorum est tristis exitus. Vide Gr.

20 « In ecclesia: » quæ vox et Ecclesiam sonat, et cœtum omnem legitimum.

21 « Inenarrabilia verba: » tot ambages, tot ineptias effutit, neque dictis modus.

22 « Compedes in pedibus: » contra ac de sapiente dicitur seq. versu.

24 « Brachiale: » ornamenti genus.

25 « Pes fatui: » vir sapiens domi se continet: at fatuus inquieto animo discurrit per domos alienas, quemadmodum ait Paulus: « Ex his sunt qui penetrant domos. » II. Tim. III. 6. « Universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. » Tit. I. 11. Recte apud Ambrosium ad virg. Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens, verecundatur.

26 « A fenestra: » a janua, Gr. stultus alienarum rerum curiosus inspector.

27 « Gravabitur contumelia, » id facere, grave et contumeliosum duceret.

28 « Labia imprudentium: » alienorum (a sapientia) in his (nempe in labiis ac sermonibus) gravabuntur: Gr.

tur : verba autem prudentium statera ponderabuntur.

In ore fatuorum, cor illorum : cor autem sapientum, os eorum.

Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.

Susurro coinquinat animam suam, et in cohabitatione odietur.

narrabunt : verba autem prudentium statera ponderabuntur.

29. In ore fatuorum cor illorum : et in corde sapientium os illorum.

30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.

31. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur : et qui cum eo manserit, odiosus erit. Tacitus et sensatus honorabitur.

CAP. XXII. Piger, 1, 2. liberi male instituti, 3, 4, 5. correptio, 6. docere fatuum, 7, 8, 9. quis lugendus, 10 et seq. stulti vitandi, 14 et seq. viri graves : leves, 19 et seq. convitia, 25, 30. quæ amicos alienent, 26 et seq. fidus amicus, 28, 29, 31, 32. lingua, 33.

s. v. — Lapidi conspurcato comparatus est piger ; et omnis exsibilabit in ignominiam illius.

Stercori boum de sterquiliniis comparatus est piger : omnis qui tollit illud, excutiet manum.

Confusio patris de filio indisciplinato : filia autem in minorationem fit.

Filia prudens hæreditabit virum suum : et quæ confundit, in tristitiam genitoris.

Patrem et virum confundit audax : et ab utrisque inhonorabitur.

Musica in luctu, importuna narratio : flagella, et doctrina in omni tempore sapientiæ.

Qui docet fatuum, conglutinat testam :

Excitat dormientem de gravi somno.

Enarrat dormitenti, qui enarrat stulto, et in fine dicet : Quid est?

v. v. — 1. In lapide luteo lapidatus et piger ; et omnes loquentur super aspernationem illius.

2. De stercore boum lapidatus est piger : et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.

3. Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem in deminoratione fiet.

4. Filia prudens hæreditas viro suo : nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

5. Patrem et virum confundit audax : et ab impiis non minorabitur : ab utrisque autem inhonorabitur.

6. Musica in luctu, importuna narratio : flagella et doctrina in omni tempore sapientia.

7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam.

8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno.

9. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam, et in fine narrationis dicit : Quis est hic ?

29 « In ore fatuorum : » fatuus dicendo incalescit, fandaque et infanda promit; sapiens os continet, et in potestate habet.

30 « Diabolum : » sive satanam : Gr. (aut calumniatorem, adversarium) « maledicit animam suam : » quippe qui et diabolo auscultet, et ipse proximo sit satan, diabolus, adversarius.

31 « Susurro : » occulte serens jurgia : « coinquinabit, etc. in omnibus : » Gr. quocumque peregrinatus fuerit, « odietur; et qui cum eo manserit : » alia versio.

1 « In lapide luteo : » omnium scommatis : velut injectis lapidibus lutosis conspurcabitur : Gr. lapidi luteo comparatus est : quod seq. congruit.

2 « De stercore. » Vide Gr.

3 « Filia » fatui « in deminoratione : » detrimentum illi est : propter institutionem pravam.

4 « Quæ confundit : » quæ agit turpia.

5 « Audax, » impudens mulier.

6 « Musica : » etiam musica, res suavissima, non semper delectat : at correptio et doctrina omni tempori congruit. « Sapientia : » sunt, sapienter adhibentur : vel (sunt) sapientiæ, Gr. sapientiæ congruunt.

Super mortum plora; defecit enim lux : et super fatuum plora; defecit enim sensus.

Jucundus plora super mortuum, quoniam requievit.

Fatui autem super mortem vita nequissima.

Luctus mortui septem dies : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illius.

Cum stulto ne multiplices sermonem : et ad insensatum non eas.

Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, et non coinquineris in concussione illius.

Deflecte ab illo, et invenies requiem : et non acediaberis in stultitia illius.

Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen, quam fatuus?

Arenam et salem et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem.

Loramentum ligneum colligatum in ædificium non dissolvetur in concussione : sic cor confirmatur in cogitatione consilii :

In tempore non metuet cor firmatum in cogitatione intellectus. Sicut ornatus arenosus parietis limpidi,

Pali in excelso positi, contra faciem venti non permanebunt;

Sic cor timidum in cogitatione stulti, contra omnem timorem non resistet.

10. Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus : et supra fatuum plora; defecit enim sensus.

11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.

12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui.

13. Luctus mortui septem dies : fatui autem et impii omnes dies vitæ illorum.

14. Cum stulto ne multum loquaris : et cum insensato ne abieris.

15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas; et non coinquinaberis peccato illius.

16. Deflecte ab illo, et invenies requiem; et non acediaberis in stultitia illius.

17. Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen, quam fatuus?

18. Arenam et salem et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium.

19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur : sic et cor confirmatum in cogitatione consilii.

20. Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur.

21. Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita, contra faciem venti non permanebunt.

22. Sic et cor timidum in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistet.

11—12 « Modicum plora... nequissimi enim : » Græc. suavius (placabilioribus lacrymis) plora super mortuum, quia requievit, (cessavit, facto vitæ fine) fatui autem super mortem vita nequissima, miserrima : eo magis lugendus, quo tota vita ejus mors est, imo morte pejor.

16 « Non acediaberis : quod est tædio, tristique et deside incuria teneri.

17 « Super plumbum. » Quid plumbo gravius, nisi tardi illi obtusique homines, qui ad quamcumque rem nec se commovent : quibus nomen fatuis, stolidis.

18 « Arenam et salem : » res scilicet gravissimas.

19 « Loramentum ligneum colligatum : » ligna circumposita, apteque conserta : « in fundamento : » in fulcimentum : « ædificii : » vel ut habet Gr. cinctura lignea, colligata in ædificium : « non dissolvetur : sic et cor confirmatum : » sic et viri graves, exquisitis excogitatisque consiliis firmi : contra, leves et improvidi, de quibus in seq.

21 « Sicut pali : » vel sepimenta, » et cæmenta sine impensa; » levi opere : « posita : non permanebunt. »

22 « Sic et cor timidum : » trepidum, improvidum, nec firmis consiliis constabilitum, etc. Gr. verbis differt; res eadem : nempe, ut non stant contra ventum, neque linitura arenosa, quantumvis lævigata, ad ornatum parietis neque sustentacula sive sepimenta in excelso loco posita, et exposita procellis : ita homines leves, neque excogitatis constabilitos consiliis, timore dejici, adversis ingruentibus. Summa a ℣ 19. graves viros esse similes bene constitutis compactisque ædificiis; leves vero, levibus ac levi opera, ad ornatum potius quam ad stabilimentum compositis, qualia memorat Ezech. XIII. 10. et seq. et XXII. 28.

Pungens oculum, deducet lacrymas; et qui pungit cor, profert sensum.

Mittens lapidem in volatilia abigit illa; et qui convitiatur amico, dissolvet amicitiam.

Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus.

Ad amicum si aperueris os, non timeas: est enim concordatio: excepto improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa: in his effugiet omnis amicus.

Fidem posside in paupertate cum proximo; ut in bonis illius simul implearis.

In tempore tribulationis permane illi; ut in hæreditate illius cohæres sis.

Ante ignem camini vapor et fumus: sic ante sanguines convitia.

Amicum protegere non confundar; et a facie illius non me abscondam: etiamsi mala mihi evenerint per illum:

Omnis qui audit, cavebit sibi ab eo.

Quis dabit mihi in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum astutum; ut non cadam ab illa, et lingua mea perdat me?

23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet; sic et qui in præceptis Dei permanet semper.

24. Pungens oculum, deducit lacrymas; et qui pungit cor, profert sensum.

25. Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic et qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.

26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum

27. Si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.

28. Fidem posside cum amico in paupertate illius; ut et in bonis illius læteris.

29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis; ut et in hæreditate illius cohæres sis.

30. Ante ignem camini vapor, et fumus ignis inaltatur: sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ.

31. Amicum salutare non confundar; a facie illius non me abscondam; etsi mala mihi evenerint per illum, substinebo.

32. Omnis qui audiet, cavebit se ab eo.

33. Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?

23 « Sicut cor trepidum: » alia præcedentium interpretatio ac lectio, eaque perturbata, nec integra.

24 « Qui pungit: » pungendo oculum, lacrymas; pungendo cor, stimulando, excitando monitis, castigationibus, non fletum, sed sensum, intellectum, sapientiam elicimus. « Qui pungit cor: » qui meditando excitat et stimulat.

25 « Dejiciet: » Gr. abigit.

26—27 « Ad amicum: » adversus amicum: « si produxeris, » eduxeris « gladium. Si aperueris os: » si inconsiderate triste verbum emiseris: spes est reconciliandæ gratiæ. « Excepto improperio: » at hæc immedicabilia: convitium studiose illatum, sive improperium, ac beneficii exprobatio, de qua XX. 14, 15. XLI. 28. superbia, sive despicientia, arcani revelatio, et cæci per proditionem ictus. « In his omnibus effugiet amicus: » neque erit reditus.

30 « Ante ignem... » sic ante sanguinem (cædem) maledicta.

31 « Per illum: » propter illum: atque etiam ab illo.

32 « Omnis qui audiet, » a me agnosci amicum, adversa licet fortuna, « cavebit se ab eo » lædendo, cum videat præsto esse qui juvet.

33 « Quis dabit ori meo custodiam? » quam David postulabat, Psalm. CXL. 3. « ut non cadam ab ipsis: » per ipsa scilicet labia.

CAP. XXIII. Precatio ne sibi quisque relinquatur, 1. et seq. De ore regendo adversus juramenta et maledicta, 7. ad 21. de intemperantia, ad finem: Deus occultorum inspector, 23 et seq. fornicarius, 24. adulter, 25. adultera, 32. et seq.

S. V. — Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum; non sinas me cadere in illis.

Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ? ut ignorationibus meis non parcant, et non prætermittant delicta illorum :

Ut non accrescant ignorantiæ meæ, et peccata mea abundent, et decidam in conspectu adversariorum; et gaudebit super me inimicus meus.

Domine pater, et Deus vitæ meæ,

Elationem oculorum ne dederis mihi; et concupiscentiam averte a me.

Ventris appetitio et concubitus ne apprehendant me : et animæ irreverenti ne tradas me.

DOCTRINA ORIS.

Doctrinam oris audite, filii; et qui custodierit, non capietur in labiis suis.

Apprehendetur peccator : et maledicus et superbus scandalizabuntur in illis.

Jurationi non assuefacias os tuum :

V. V. — 1. Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum; nec sinas me cadere in illis.

2. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ? ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta eorum,

3. Et ne adincrescant ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus.

4. Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi; et omne desiderium averte a me.

6. Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me : et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me.

7. Doctrinam oris audite, filii : et qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis.

8. In vanitate sua apprehenditur peccator : et superbus et maledictus scandalizabitur in illis.

9. Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa.

1 « Eorum : » linguæ et labiorum, de quibus præcedentis capitis ultimo : ne sinas cadere : ne me loquacitati permittas. « In illis : » labiis, verbis, ut eodem versu.

2 « In cogitatu meo flagella : » ac punctiones illas, de quibus XXII. 24. « Eorum : » meis, Gr. « non parcant mihi, » cogitatio mea; cor meum : ne mihi ipse indulgeam : « et non appareant delicta eorum : » cogitationum et cordis; sit animus ipse sibi monitor. Summa : adsint conscientiæ stimuli, ne per ignorantiam peccem : mihique nimis indulgeam, nec peccata cognoscam, quibus tandem peream.

3 « Incidam : » decidam : Gr.

4 « Ne derelinquas : » Gr. deest : et ab anterioribus repetitum videtur.

6 « Animæ irreverenti : » inverecundæ : « et infrunitæ : » stolidæ, indocili, infrugiferæ, « ne tradas me. »

7 « Doctrinam oris : » regendi : qua de re agit fuse postea : præfigitur autem titulus in Gr. Doctrina oris. « Non periet labiis : » non capietur : Gr.

8 « Scandalizabitur : » offendet : « in illis : » in labiis, in dictis.

Et nominationi Sancti non assuescas.

Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuetur : sic et jurans et nominans semper a peccato non purgabitur.

Vir multum jurans implebitur iniquitate; et non discedet a domo ejus plaga.

Si deliquerit, delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit deliquit dupliciter.

Et si in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim obductionibus domus ejus.

Est loquela induta morte : non inveniatur in hereditate Jacob.

A piis enim omnia hæc auferentur; et in peccatis non se volutabunt.

Indisciplinationi temerariæ non assuefacias os tuum : est enim in ea verbum peccati.

Memento patris et matris tuæ : in medio enim magnatorum consistis :

Ne quando oblivioni tradaris in

10. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum non admiscearis : quoniam non eris immunis ab eis.

11. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur : sic omnis jurans et nominans, in toto a peccato non purgabitur.

12. Vir multum jurans implebitur iniquitate; et non discedet a domo illius plaga.

13. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit, delinquit dupliciter.

14. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius.

15. Est et alia loquela contraria morti : non inveniatur in hæreditate Jacob.

16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur; et in delictis non volutabuntur.

17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati.

18. Memento patris et matris tuæ: in medio enim magnatorum consistis.

19. Ne forte obliviscatur te Deus;

10 « Nominatio : » jurandi causa ; « non » enim « assumes nomen Domini Dei tui in vanum. » Exod. xx. 7.

11 « Sicut enim servus : » ambiguæ vitæ, nec liquidæ innocentiæ. « Interrogatus assidue, » in examen adductus, ac semper purgationis indigens ; « a livore : » sive a verberibus : « non minuetur : » non ei minuentur verbera, neque plagarum erit immunis. « Sic omnis jurans et nominans » (Dei nomen assumens) « in toto » (in totum) « a peccato non purgabitur : » cum nulla fide dignus, juramento et cautione semper indigeat.

13 « Si frustraverit : » fefellerit fidem jurejurando firmatam. « Et si dissimulaverit : » si non tantum desit promisso bona fide dato, verum etiam mala fide promiserit, ac ficto animo juraverit, tanto nequior.

14 « Et si in vacuum, » sive in vanum, nulla necessitate, nec fallendi animo, sed animi levitate « juraverit, » non erit innocens : non solum enim falsa, verum etiam vana juramenta mala sunt. Vide autem, ℣ 13, 14. triplex jurisjurandi genus : juratam fidem fallere; ficto animo jurare; jurare in vanum : atque hæc omnia reprobata.

15 « Est et alia loquela : » aliud in loquendo vitium juramento vix inferius, nempe convitiandi studium, ℣ 17. quæ duo connectit; ac videtur alludere ad illud Levitici xix. quo loco postquam ita edictum est : « non perjurabis ,..... nec pollues nomen Dei tui, » 12. statim de maledicto et calumnia subditur : « non facies calumniam, 13. non maledices surdo, 14. non eris criminator et susurro in populo, 16. Contraria morti : » contra et ex adverso posita morti, eique par : Gr. *antiparabêbl ênêna*; sive ut alii codices; *antipêribêbêmênê thanatô :* ex æquo respondens morti ; sive induta morte. Alii blasphemiam intelligunt, sive maledicta in Deum : infanda nec cognita piis, de quibus Levit. xxiv. 11. et seq.

16 « Misericordibus : » piis.

17 « Indisciplinatæ loquelæ, » temerariæ loquacitati, cui convitia ac maledicta subjuncta sunt; ut ℣ 20. « Verbum peccati : » Hebr. notus, verbum pro re, pro peccato ipso scilicet.

18 « Memento patris et matris tuæ. » Ne illis maledicas aut detrahas; alioquin « in medio magnatorum consistis : » vocaberis in judicium, cui sequens congruit :

19 « Ne forte obliviscatur te Deus : » juste deserat, omnique ope destituat, « in conspectu illorum : » evocatum in judicium : « et assiduitate tua infatuatus : » maledicendi consuetudine

conspectu illorum, et consuetudine tua infatueris : et voles non esse natus, et diem nativitatis tuæ maledices.

Homo assuescens verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur.

Duo genera abundant peccatis, et tertium adducet iram.

Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec deglutiatur :

Homo fornicarius in corpore carnis suæ, non desinet donec accenderit ignem.

Homini fornicario omnis panis dulcis : non cessabit usque ad finem.

Homo qui transgreditur lectum suum, dicens in animo suo : Quis me videt ?

Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo me videt : quid vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

Et oculi hominis timor ejus.

Et non cognovit, quoniam oculi Domini decies millies lucidiores sole, inspicientes omnes vias hominum, et intuentes in absconditas partes.

in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris; et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas.

20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur.

21. Duo genera abundant in peccatis : et tertium adducit iram et perditionem.

22. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat :

23. Et homo nequam in ore carnis suæ, non desinet donec incendat ignem.

24. Homini fornicario omnis panis dulcis : non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt?

26. Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius : quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum :

28. Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.

pro insano habitus, et ipse vicissim « improperium patiaris : » turpi nota inustus a judicibus, et tunc maluisses non esse natus, etc. Aliter eodem ferme sensu : Memento patris ac matris, ne eis turpem notam inferas, cum vocatus in judicium condemnaberis : quia filiorum opprobria in parentes redundant. « Ne obliviscatur te Deus : » Gr. simpliciter ; ne oblivioni tradaris ; penitus deseraris a tuis.

21 « Duo genera » hominum, de quibus supra actum est : primo loco juranas ℣ 9. secundo loco maledictis assuetus, 15. « abundant peccatis : » addendum tertium, quod inducat exitium, nempe libido et intemperantia.

22 « Anima calida : » libidinum æstu flagrans. « Donec aliquid glutiat : Gr. donec deglutiatur; consumatur suo ipsius igne.

23 « Homo nequam : » fornicarius : Græc. *pornos*, pro quo Vulgatus legit *pomeros* : « in ore, » Gr. in corpore, *stomati*, pro *somati* : « donec incendat ignem : » quo ipse tabescat.

24 « Homini fornicario omnis panis : » quæcumque voluptatis esca « dulcis : » insatiabili cupiditate percitus, « non fatigabitur : » Gr. non cessabit usquam

27 « Expellit a se timorem Dei. » Is qui talia dicit, metu amittendæ voluptatis, timorem Dei abjicit : Gr. deest : desunt etiam alia obscurissima ; sic autem habet : et oculi hominum timor illius : is qui talia jactat quæ habentur ℣ 26. neque Deum timet, oculos timet hominum ; abstineretque a flagitio si testes homines habere se crederet.

28 « Non cognovit : » non cogitat, etc. « Multo plus . » decies millies ; Gr.

Antequam crearentur, omnia sunt ei agnita! sic et postquam consummata sunt.

29. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia.

Hic in plateis civitatis vindicabitur; et ubi non speravit, apprehendetur.

30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur : et ubi non speravit, apprehendetur.

31. Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini.

Sic et mulier relinquens virum, et statuens hæreditatem ex alieno.

32. Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio :

Primo enim in lege Altissimi incredula fuit, et secundo in virum suum deliquit, et tertio in fornicatione mœchata est; ex alieno viro filios statuit.

33. Primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundo in virum suum deliquit; tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi.

Hæc in ecclesiam educetur, et in filios ejus visitatio erit.

34. Hæc in ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur.

Non diffundentur filii ejus in radicem, et rami ejus non dabunt fructum.

35. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum.

Relinquetur in maledictum memoria ejus, et dedecus ejus non delebitur.

36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur.

Et cognoscent qui relicti sunt, quoniam nihil melius timore Domini, et nihil dulcius quam attendere mandatis Dei.

37. Et agnoscent qui derelicti sunt quoniam nihil melius est quam timor Dei; et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.

38. Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.

CAP. XXIV. Laus sapientiæ : ejus ante omnia secula ortus ex Deo : atque in Israele sedes : inexhausta abundantia.

S. V. — LAUDATIO SAPIENTIÆ.

Sapientia laudabit animam suam, et in medio populi sui gloriabitur.

V. V. — Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur.

In ecclesia Altissimi aperiet os

2. Et in ecclesiis Altissimi aperiet

30 « Hic : » talis homo, adulter : de quo ℣ 25.

33 « Primo enim : » nota tria in fornicariam, ex Deo, ex merito, ex sobole.

34 « In ecclesiam : » in judicium vocato legitimo cœtu. « In filios ejus respicietur : » inquiretur : erit in eos inspectio : Gr. *épiskopé :* ejus progeniem Deus ultor insequetur, ut docent seq.

1 « Sapientia laudabit animam suam : » seipsam, noto hebraismo; qua phrasi Deus ipse Is. 1, 14. « Solemnitates vestras odivit anima mea. » Præfatio laudationis, qua docetur sapientiam solam esse dignam, quæ se ipsam laudet; quam laudem orditur ℣ 5. « Populi sui : » ergo sapientia illa Deus ipse est, neque quisquam nisi Deus hoc sensu Israelitas populum suum appellat.

suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur.

os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur.

3. Et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur.

4. Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens :

Ego ex ore Altissimi prodivi :

5. Ego ex ore Altissimi providi primogenita ante omnem creaturam :

Et sicut nebula obtexi terram.

6. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram :

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.

7. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.

Gyrum cœli circuivi sola, et in profundo abyssorum deambulavi. In fluctibus maris,

8. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

Et in omni terra, et in omni populo,

9. Et in omni terra steti : et in omni populo,

Et gente possedi.

10. Et in omni gente primatum habui :

Cum his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate cujus morabor.

11. Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi : et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

Tunc præcepit mihi Creator omnium : et qui creavit me; quiescere fecit tabernaculum meum,

12. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Et dixit : in Jacob inhabita, et in Israel hæreditare.

13. Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.

Ante seculum ab initio creavit

14. Ab initio, et ante secula

3 « In plenitudine sancta : » pleno consessu, « admirabitur, » admirationi erit.

5 « Ex ore Altissimi prodivi : » ergo sapientia illa, quæ est Deus, ex ore Dei prodiit; Deus ergo ex Deo. « Primogenita ; » Gr. deest : ductum ex Prov. VIII. 22. et seq. atque ex hujus loci sententia Paulus vocat Christum primogenitum omnis creaturæ : Col. I. 15. hoc est, genitum, anteaquam quidquam crearetur.

6 « Lumen indeficiens : » sol : nam illa lux quæ beatas collustrat mentes, quæque omnem hominem illuminat, ipsa est sapientia, non aliquid quod fecerit. « Indeficiens, » inextinctum : « sicut nebula : » nominandi casu : quod quaquaversus sapientia diffundatur.

7 « In columna nubis : » illa qua populus noctu illustrabatur.

10—11 « Primatum habui : » Gr. possedi, quæ autem est illa vis, quæ et a Deo sit, et omnes gentes imperio teneat, nisi filius Dei a Deo, æque Deus? « Requiem quæsivi : » sedem, in qua solium collocarem. « In hæreditate Domini : » Gr. quæsivi in cujus hæreditate morarer, in qua gente, in quo populo.

12 « Tunc præcepit. » Cum sapientia ipsa sit Verbum Dei (« fons » enim « sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, » supra, I. 5.) ergo idem est præceptum Patris ; ergo præcepit, cum genuit : ut præclare Augustinus passim. « Requievit : » Gr. requievit, active : requiescere fecit : tabernaculum meum. Cum ego sapientia omnium gentium domina. (℣ 10.) quærerem ubi sedem collocarem, (11.) Deus ostendit mihi Israeliticum populum, in quo tabernaculum figerem. (12, 13.) Qui creavit me : » quid Hebræus habeat, et quid illud creare sit apud antiquos illos interpretes, diximus, Prov. VIII. 22.

14 « Ab initio, » sive ante seculum : Gr. « usque ad futurum : » usque ad seculum : Gr. ergo æterna, et ipse Deus, cum neque initium, neque finem habeat. Quod enim est a seculo in seculum, Gr. secundum Scripturas nullo initio est. « Ministravi : » ut decebat sapientiam Deo ipsi congenerem, qua Deus ut conjuncta sibi, et apud se existente agit. Joan. I. 2.

me : et usque ad seculum non desinam. In habitatione sancta coram ipso ministravi :

Et sic in Sion firmata sum : in civitate dilecta similiter quiescere me fecit, et in Jerusalem potestas mea.

Et radicavi in populo honorificato, in parte Domini, hæreditatis ejus.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cupressus in montibus Ærmon.

Quasi palma exaltata sum in littoribus, et quasi plantæ rosæ in Jericho.

Quasi oliva speciosa in campo : et quasi platanus exaltata sum.

Sicut cinnamomum, et aspalathus aromatum dedi odorem : et tanquam myrrha electa dedi suavitatem odoris.

Quasi galbanum et ungula et gutta, et quasi Libani vapor in tabernaculo :

Ego quasi terebinthus expandi ramos meos : et rami mei, rami honoris et gratiæ.

Ego quasi vitis fructificavi gratiam : et flores mei, fructus honoris et honestatis.

Accedite ad me, qui concupiscitis

creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam ; et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

15. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.

16. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

17. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion.

18. Quasi palma exaltata sum in Canes, et quasi plantatio rosæ in Jericho ;

19. Quasi oliva speciosa in campis : et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.

20. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

21. Et quasi storax et galbanus et ungula et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam ; et quasi balsamum non mistum odor meus.

22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos : et rami mei honoris et gratiæ.

23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis.

24. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

25. In me gratia omnis viæ et veritatis : in me omnis spes vitæ et virtutis.

26. Transite ad me, omnes qui

15 « In civitate sanctificata : » dilecta : Gr.

16 « In parte Dei mei hæreditas illius : » sapientiæ, id est, mei, vide Gr. « Detentio mea, » domicilium.

17 « In monte Sion : » Gr. in montibus Ærmon, sive Hermon : notissimis.

18 « In Cades. » Alii in Gaddi, sive Engaddi, ubi palmeta nobilia, et balsamus. In littoribus : Gr.

19 « Juxta aquam in plateis ; » ac per vicos urbium decurrentem.

20 « Et balsamum. » Gr. aspalathus, planta odorifera apud Plinium et cæteros. « Myrrha electa : » optima.

21 « Ungula : » (onyx) : pro nardo quam continet. « Gutta : » Gr. stacte, odoramenti genus. « Quasi Libanus : » thus.

24 « Ego mater pulchræ dilectionis : » sive ut alii codices : Ego mater dilectionis illius pulchræ (qua diligitur Deus) : non turpium amorum : « et agnitionis : » Dei veritatis : vel, optima cognitu.

26 « A generationibus, » fructibus.

me, et a generationibus meis adimplemini.

Memoria enim mea super mel dulcis, hæreditas mea super mellis favum.

Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.

Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt.

Hæc omnia, liber testamenti Dei Altissimi:

Legem, quam mandavit Moyses, hæreditatem synagogis Jacob.

Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum.

Qui adimplet quasi Euphrates sensum, et quasi Jordanis in diebus messis.

Qui emittit disciplinam, sicut lucem, quasi Gehon in diebus vindemiæ.

Non consummavit primus scire ipsam: et sic ultimus non investigavit eam.

A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium ejus ab abysso magna.

concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.

27. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

28. Memoria mea in generationes sæculorum.

29. Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.

30. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt.

31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

32. Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis.

33. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones.

34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem in sempiternum.

35. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum.

36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.

37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemiæ.

38. Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam.

39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magna.

27 « Spiritus meus : » memoria mea : Gr.

32 « Hæc omnia » continet « liber vitæ : « Gr. liber testamenti, sive legis.

33 « Domui Jacob : » congregationibus Jacob : Gr.

34 « Posuit David. » Hic commemorat Salomonem, ut primum sententiarum auctorem, quem ipse imitetur : Gr. deest.

35 « Qui implet » (Deus) « quasi Phison sapientiam. » In Moyse (sive etiam in Salomone) pleno flumine decurrentem. « In diebus novorum » fructuum ; quo exundare solet solutis nivibus : ut Jordanis in messe. ỳ seq.

37 « Assistens : » affluens : Gr. deest.

38 « Qui perficit primus : » qui primus dedit operam sapientiæ : « et infirmior : » postremus, Gr. ubi etiam totus versus sic habet : non consummavit primus scire ipsam, et sic ultimus non investigabit eam, sapientiam scilicet, quam neque primi, neque postremi sapientes, aliorum licet instituti præceptis, capere potuerunt.

39 « A mari enim :..... ab abysso : » tanquam a mari, tanquam ab Oceano : cogitationibus velut a profundo, atque inexhausto mari deductis.

40. Ego sapientia effudi flumina.

Et ego, sicut fossa de flumine, et sicut aquæductus exivi in paradisum.

41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso.

Dixi, Potabo hortum meum : et inebriabo pratum meum.

42. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.

Et ecce facta est mihi fossa in fluvium ; et fluvius meus factus est in mare.

43. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare :

Adhuc doctrinam, quasi antelucanum, illuminabo, et ostendam eam usque in longinquum.

44. Quoniam doctrinam, quasi antelucanum, illumino omnibus ; et enarrabo illam usque ad longinquum.

45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.

Adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam ; et relinquam illam in generationes seculorum.

46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam ; et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.

Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus eam.

47. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

CAP. XXV. Tria optanda : tria exosa : labora juvenis, 5. senum gloria, 6. et seq. res novem jucundæ sensibus : decima super omnia timor Domini, 9 et seq. inter pessima nihil pejus quam mulier nequam, 15. ad finem : mulier continenda domi, 34.

s. v. — In tribus decora facta sum ; et surrexi decora coram Domino et hominibus :

v. v. — 1. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus :

Concordia fratrum, et amicitia proximorum, et vir et mulier sibi bene consentientes.

2. Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.

Tres autem species odivit anima mea, et indignata sum vitæ illorum :

3. Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum :

40 « Effudi flumina : » et quæ paradisum, et quæ mentes hominum tanta copia irrigarunt

41 « Ego » (sapientia loquitur) « quasi trames, » quasi fossa. « Quasi fluvii Dioryx : » alia versio ; dioryx enim fossa.

43 « Trames : » Gr. et facta est mihi fossa in fluvium, et fluvius in mare : (crescente et exundante doctrina.)

44 « Doctrinam, quasi antelucanum : » tanquam crepusculum matutinum : Gr. ortum : « illumino : » accendam ; illustrem faciam. « Et enarrabo illam : » doctrinam : Gr. ostendam, declarabo illa, quæ dixi, præcepta sapientiæ.

45 « Inspiciam omnes dormientes : » penetrabo usque ad mortuorum sedem.

46 « In progenies : » in generationes seculorum. « Usque in ævum sanctum : » in sempiternam vitam reservatam sanctis.

47 « Videte : » quod videtur dicere, non jam ipsa sapientia, quæ hactenus locuta est, sed hujus libri auctor : ut infra, XXXIII. 18.

1 « In tribus. » In Gr. sapientia pergit loqui.

Pauperem superbum, et divitem mendacem; senem adulterum diminutum intellectu.

In juventute tua non congregasti: et quomodo in senectute tua invenies?

Quam speciosum canitici judicium, et presbyteris cognoscere consilium!

Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosus intellectus et consilium!

Corona senum multa peritia, et gloria eorum timor Domini.

Novem cogitationes beatificavi in corde, et decimam dicam in lingua:

Homo, qui jucundatur in filiis, vivens, et videns subversionem inimicorum.

Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui in lingua non est lapsus, et qui non servivit indigno se:

Beatus qui invenit prudentiam; et qui narrat in aures audientium.

Quam magnus est, qui invenit sapientiam! sed non est super timentem Dominum.

Timor Domini super omnia se superposuit:

Qui tenet illum, cui assimilabitur?

4. Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.

5. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?

6. Quam speciosum canitici judicium, et presbyteris cognoscere consilium!

7. Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium!

8. Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.

9. Novem insuspicabilia cordis magnificavi, et decimum dicam in lingua hominibus:

10. Homo, qui jucundatur in filiis, vivens, et videns subversionem inimicorum suorum.

11. Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui in lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

12. Beatus qui invenit amicum verum; et qui enarrat justitiam auri audienti.

13. Quam magnus, qui invenit sapientiam et scientiam! sed non est super timentem Dominum.

14. Timor Dei super omnia se superposuit.

15. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur?

16. Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei.

4 « Divitem mendacem: » quod deceat eos liberaliter agere, non instar egenorum, multa mentiri ac fallere comparando victu. « Senem fatuum: » adulterum: Gr.

6 « Quam speciosum: » quam decet canos senesque judicandi officium: quam congruit senioribus « cognoscere consilium, » quod dent exquirentibus!

7 « Veteranis, » senibus, « gloriosis, » honoratis, optimatibus.

9 « Novem insuspicabilia: » novem cogitationes seu suspiciones beatas existimavi in corde meo, Gr. novem enim isti beati: 1. in prole felix, 2. diu vivens, valensque, 3. qui videt subversos inimicos, 4. cui uxor prudens obtigit, 5. cujus verba irreprehensa sunt, 6. qui non servit indignis, 7. qui habet amicum verum, 8. qui jura sua, quæque opus habeat, enarraturus, aurem attentam ac benevolam nactus est, 9. qui invenit sapientiam: hæc novem exequitur a ℣ 11. ad 14. Decimum autem omnia supergressum, timorem Domini, ℣ 13, 14, 15, 16. Sane viventem valentemque, ac videntem subversos inimicos, pro duobus numeramus: alioquin octo tantum essent bona, ac nonum excidisset: quod autem pro amico vero, ℣ 12. Gr. habet, « prudentiam, » vix a sapientia scientiaque secernitur, quam nono loco refert. Quo loco sapientiam intelligas, prout apud homines sumitur: cum vera sapientia sit timor Domini, decimo gradu memoratus. De inimicis vero subversis, meminerimus nos audire hic sensus humanos, per quos, velut per gradus devenimus ad summum illud, verumque et divinum bonum, timorem Domini.

16 « Timor Dei. » Hic versus in Sixtina deest, supplendus ex aliis codicibus. » Fidei autem

Omnem plagam, et non plagam, cordis :
Et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris :
Omnem obductionem, et non obductionem odientium :
Et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum.
Non est caput super caput colubri :
Et non est ira super iram inimici.
Commorari leoni et draconi placebit mihi, quam habitare cum muliere nequam.
Malitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcat vultum ejus, quasi saccum. In medio proximorum suorum

Concidet vir ejus, et audiens suspiravit amare.
Brevis omnis malitia ad malitiam mulieris : sors peccatoris cadat super illam.
Ascensus arenosus in pedibus veterani : sic mulier linguata viro quieto.
Ne procidas ad speciem mulieris, et non concuspiscas mulierem.

Ira, et irreverentia, et confusio magna; mulier, si subministret viro suo.

17. Omnis plaga tristitia cordis est : et omnis malitia, nequitia mulieris.
18. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis :
19. Et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris :
20. Et omnem obductum, et non obductum odientium :
21. Et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum.
22. Non est caput nequius super caput colubri :
23. Et non est ira super iram mulieris: Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.
24. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcat vultum suum tanquam ursus : et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus.
25. Ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum.
26. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris : sors peccatorum cadat super illam.
27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.
28. Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie.
29. Mulieris ira, et irreverentia, et confusio magna.
30. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo.

initium agglutinandum est ei : » Gr. fides initium agglutinandi se ei, sive agglutinationis (conjunctionis) cum eo.

17 « Omnis plaga : » alia lectio sequentis, obscura et imminuta : Gr. deest.

18—19 « Omnem plagam : » videbit vir æquo animo, « sed non plagam cordis, » læsi et vulnerati, frustrato amore et violata fide, infra, 31. XXVI. 8. XXVII. 22, 23. ita « et omnem nequitiam, » sed « non mulieris, » tanta est vafritie : tot artes nocendi novit.

20 « Omnem obductum : » impetum adversæ fortunæ.

21 « Omnem vindictam : » etiam a publica potestate; est enim exorabilis : sed « non inimicorum, » qui se nec evitari, nec placari sinunt.

24 « Obcæcat » (obscurat) « vultum » ejus : exasperando atque efferando : a nativa forma in ursi speciem mutat. « Tanquam saccum ostendit : » rugosum et squalidum facit.

25 « Modicum : » presso dolore scilicet. At Gr. suspiravit amare : modicum, forte a sequenti petitum.

27 « Ascensus arenosus : » tam gravis verbosa mulier viro quieto, quam grave est seni grassari et obrepere per clivum arenosum, nullo pedum fulcimento

29 « Mulieris ira, et irreverentia : » inverecundia : « et confusio, » causa pudoris « magna : » addit Gr. causam; nempe, si subministret viro (quo vivat :) id enim et viro turpe, et mulieri causa superbiendi, ac sæviendi in virum.

Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam.

Manus debiles, et genua dissoluta, quæ non beatificabit virum suum.

A muliere initium peccati, et per illam omnes morimur.

Ne des aquæ exitum, nec mulieri nequam, potestatem.

Si non ambulaverit ad manum tuam, a carnibus tuis abscinde illam.

31. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam.

32. Manus debiles et genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum.

33. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.

34. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum : nec mulieri nequam veniam prodeundi.

35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.

36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

CAP. XXVI. De muliere bona, 1, 2, 3. zelotypa, 5. et seq. mulier nequam, 10. et seq. fornicariæ indicia, 12. filia inverecunda, 13. et seq. mulier bona, 16. et seq. a justitia ad peccatum transitus quam odiosus, 26, 27.

s. v. — Mulieris bonæ beatus vir : et numerus annorum illius duplex.

Mulier fortis oblectat virum suum : et annos illius implebit in pace.

Pars bona mulier bona, in parte timentium Dominum dabitur.

Divitis autem et pauperis cor bonum in omni tempore vultus hilaris.

A tribus timuit cor meum, et in quarto facie supplicavi :

Delaturam civitatis, et collectionem turbæ,

Et calumniam mendacem, super mortem omnia gravia.

Dolor cordis et luctus, mulier.

Zelotypa in mulierem zelotypam, et flagellum linguæ omnibus communicans.

v. v. — 1. Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex.

2. Mulier fortis oblectat virum suum : et annos vitæ illius in pace implebit.

3. Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.

4. Divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.

5. A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit :

6. Delaturam civitatis, et collectionem populi :

7. Calumniam mendacem : super mortem omnia gravia.

8. Dolor cordis et luctus, mulier zelotypa.

9. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans.

31 « Plaga cordis : » vide 18.

33 « A muliere : » ex Gen. III.

35 « Ad manum tuam : » ad imperium tuum, instar jugalis freno obsequentis.

4 « Divitis autem. » Sive divitis, sive pauperis cor lætum, vultum exhilarat : quæ sententia referri videtur ad ℣ 2.

6 « Delaturam civitatis : » Gr. *diabolen*. Civitati crimen illatum, nec privatis tantum, sed universæ communitati, per calumniam. « Collectionem populi : » Gr. turbæ, sive inconditæ multitudinis. « Calumniam mendacem : » mendacium, Gr.

8 « Dolor cordis. » Quartum illud, ima pectoris vulnerans : « Mulier zelotypa : » sive, ut habet Gr. æmula mulieri; urunt enim se mutuo æmulæ fœminæ, virumque velut in medio deprehensum requiescere non sinunt.

9 « In muliere zelotipa, » sive æmula, est « flagellum linguæ, omnibus communicans : » sive commune. Indicat maledicta communicata ac dissipata in vulgus.

Boum jugum quod movetur, mulier nequam : qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

Ira magna, mulier ebriosa : et turpitudinem suam non conteget.

Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur.

In filia non avertente se, firma custodiam; ne inventa remissione, utatur se.

Post irreverentem oculum cave; et non mireris, si in te deliquerit.

Sicut viator sitiens os aperit, et ab omni aqua proxima bibet, contra omnem palum sedebit, et contra sagittam aperiet pharetram.

Gratia mulieris delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit.

Scientia ipsius.

Datum Domini est mulier taciturna : et non est commutatio eruditæ animæ.

Gratia super gratiam, mulier pudorata :

Et non est pondus omne, dignum continentis animæ.

Sol exoriens in altissimis Domini, et species mulieris bonæ in ornamento domus suæ.

Lucerna lucens super candelabrum sanctum, et species faciei in ætate stabili.

Columnæ aureæ super basim ar-

10. Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam : qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

11. Mulier ebriosa, ira magna : et contumelia et turpitudo illius non tegetur.

12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur.

13. In filia non avertente se, firma custodiam; ne inventa occasione, utatur se.

14. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave; et ne mireris, si te neglexerit.

15. Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, et ab omni aqua proxima bibet, et contra omnem palum sedebit, et contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat.

16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit.

17. Disciplina illius datum Dei est.

18. Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ.

19. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata.

20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.

21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.

22. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem.

23. Columnæ aureæ super bases

10 « Boum jugum : » conjugium jugum quoddam : « quod movetur, » concutitur, distrahitur, incertisque fertur motibus : *saleuoménon :* ubi viro bono « mulier nequam » copulatur.

12 « In extollentia oculorum : » in inverecundia et protervia, « et in palpebris : » in mollitie : quales sunt illi oculi, quos vocat Petrus adulterii plenos. II. Pet. II. 14.

13 « In filia non avertente se : » *adiatreptō*, quod etiam inverecundam sonat.

14 « Irreverentia : » inverecundo oculo : Gr. « Si te neglexerit : » si monita tua despexerit. Vide Gr.

15 « Sicut viator sitiens » ab omni fonte potat, lassusque ad omnem palum considebit, ac defiget tentorium, et sicut qui tela congerit, ad omnem sagittam pharetram aperiet, « donec deficiat » locus; sic puella inverecunda omni amori patet, quod auctor per modestiam reticet.

18 « Mulier sensata : » supple, donum quoque Dei est, ex antecedente. « Non est immutatio : » commutatio, pretium ; « eruditæ animæ. »

27 « Candelabrum sanctum : » in templo : « species faciei : » formæ pulchritudo : « super ætatem stabilem : » naturam : en species pudicæ mulieris, sanctum quid, et candelabri sancti faciebus comparatum.

23 « Columnæ aureæ : » pulchra pulchris, firma firmis fulta, comparat mulieri « super plantas » firmis vestigiis consistenti, nec vagæ atque incompositæ ; quod magis ad animum pe-

genteam, et pedes decori in pectoribus stabilis.

In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit.

Vir bellator deficiens per inopiam : et viri sensati si contemnantur.

Regrediens a justitia ad peccatum, Dominus parabit eum ad rhomphæam.

Difficile exuetur negotians a delicto; et non justificabitur caupo a peccato.

argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris.

24. Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

25. In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit.

26. Vir bellator deficiens per inopiam : et vir sensatus contemptus :

27. Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam.

28. Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia ; et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.

CAP. XXVII. Inopia, avaritia, emptio et venditio, 1, 2, 3. cogitationum cribratio, 5. cultura animorum, 6. ex sermone quemvis explora, 8. quærenda justitia : veritas : juramenta, 15. maledicta : infida amicitia : arcanorum proditio, 17 et seq. dissimulator sibi ipsi accersit pœnam, 25 et seq.

S. V. — Propter indifferens multi deliquerunt : et qui quærit locupletari, avertet oculum.

In medio compaginis lapidum palus figetur, et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.

Si non in timore Domini tenuerit se instanter, cito subvertetur domus ejus.

In percussura cribri remanet fimus; sic quisquiliæ hominis in cogitatione ejus.

Vasa figuli probat fornax, et tentatio hominis in sermocinatione ejus.

V. V. — 1. Propter inopiam multi deliquerunt : et qui quærit locupletari, avertit oculum suum.

2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.

3. Conteretur cum delinquente delictum.

4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

5. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis ; sic aporia hominis in cogitatu illius.

6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.

ferendum, ex vers. seq. « Stabilis mulieris, » *eustathoûs : rectæ*, bene librato corpore : quod autem pro *stereoîs*, quod Vulgatus legisse videtur, id est, firmamentis (pedum) seu plantis Græc. nunc habet *sternoîs*, pectoribus, nullo sensu, omnino repudiandum.

28 « Negotians . » mercator : » a negligentia : » mercatura opus sollicitum : « caupo a peccatis labiorum : » ars cauponaria scatens mendaciis inflato rerum pretio.

1 « Avertit oculum : » a lege, sive a malis imminentibus, quorum avaritia radix est. I. Tim. VI. 10.

2 « Angustiabitur peccatum, » *suntribésétai*, constringetur, firmabitur.

3 « Conteretur : » alia versio. « Cum delinquente ; » abest a Gr. neque ullum habet sensum.

5 « Sicut in percussura » (concussione) « cribri remanet pulvis : » lapilli, arena, « sic aporia, » dubitatio « in cogitatu, » in ratiocinatione « hominis : » velut cribratione quadam bona malave consilia secernuntur.

Culturam ligni ostendit fructus ipsius ; sic verbum excogitatum, hominis cor.

Ante sermonem non laudes virum; hæc enim tentatio est hominum.

Si sequaris justitiam, apprehendes : et indues illam, quasi poderem honoris.

Volatilia ad sibi similia divertent; et veritas ad eos, qui operantur ipsam, revertetur.

Leo venationi insidiatur : sic peccata operantibus iniqua.

Narratio pii semper sapientia : stultus autem ut luna mutatur.

In medio insensatorum serva tempus : in medio autem cogitantium assiduus esto.

Narratio fatuorum odiosa ; et risus eorum in deliciis peccati.

Loquela multum jurantis arriget capillos ; et jurgium eorum obturatio aurium.

Effusio sanguinis rixa superborum : et maledictio illorum auditus gravis.

Qui denudat arcana, fidem perdidit; et non inveniet amicum ad animum suum.

Dilige amicum, et conjungere fide cum illo.

Si autem denudaveris absconsa illius, non persequaris post eum.

Sicut enim perdidit homo inimicum suum ; sic qui perdidit amicitiam proximi.

7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis.

8. Ante sermonem non laudes virum ; hæc enim tentatio est hominum.

9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam : et indues, quasi poderem honoris, et inhabitabis cum ea, et proteget te in sempiternum ; et in die agnitionis invenies firmamentum.

10. Volatilia ad sibi similia conveniunt ; et veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur.

11. Leo venationi insidiatur semper : sic peccata operantibus iniquitates.

12. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.

13. In medio insensatorum serva verbum tempori : in medio autem cogitantium assiduus esto.

14. Narratio peccantium odiosa ; et risus illorum in deliciis peccati.

15. Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet; et irreverentia ipsius obturatio aurium.

16. Effusio sanguinis in rixa superborum : et maledictio illorum auditus gravis.

17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit : et non inveniet amicum ad animum suum.

18. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo.

19. Quod si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum.

20. Sicut enim homo qui perdit amicum suum ; sic et qui perdit amicitiam proximi sui.

7 « Sicut rusticatio : » vide Gr. in quo tamen nonnihil desideres.

9 « Poderem : » illustrem vestem.

10 « Veritas... qui operantur illam : » tractant, meditantur, cum eaque assuescunt.

11 « Leo venationi... sic peccata. » Ubi consuetudinem peccandi feceris, repente ac tanquam ex occulto irruunt, et imparatos rapiunt.

13 « In medio... serva verbum tempori : » hebraismus, pro, serva tempus, sive opportunitatem, ut habet Gr. parce et cum tempus resque postulat, versare cum insipientibus : at, « in medio cogitantium, » intelligentium, « assiduus esto. »

15 « Irreverentia : » Gr. jurgium eorum, « obturatio aurium : » propter juramenta interserta. Vide seq.

19 « Quod si denudaveris : » vide ℣ 22.

20 « Qui perdit amicum : » qui cædit. Sensus est proditionem arcani cædem esse amicitiæ, nec magis resurgere cæsam ac mortuam, quam amicum (aut inimicum) neci deditum. Vide autem vers. 22, 23, 24.

Et sicut qui dimisit avem de manu sua ; sic dimisisti proximum, et non eum capies.

Non illum sequaris, quoniam longe discessit ; et effugit quasi caprea de laqueo.

Quoniam vulnus est colligare : et maledicti est concordatio :

Qui autem denudavit mysteria, desperavit.

Annuens oculo fabricat iniqua ; et nemo ipsum removebit ab ipso.

In conspectu oculorum tuorum induleabit os tuum, et super sermones tuos admirabitur. Novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum.

Multa odivi, et non coæquavi ei ; et Dominus odiet illum.

Qui in altum mittit lapidem, super caput suum mittit : et plaga dolosa dividet vulnera.

Qui foveam fodit, incidet in eam ; et qui statuit laqueum, in eo capietur.

Qui facit mala, super ipsum involventur : et non agnoscet unde adveniant sibi.

Illusio, et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi.

Laqueo capientur, qui oblectantur casu justorum ; et dolor consumet illos antequam moriantur.

Ira et furor, etiam hæc sunt abominationes, et vir peccator continens erit illorum.

21. Et sicut qui dimittit avem de manu sua : sic dereliquisti proximum tuum, et non eum capies.

22. Non illum sequaris, quoniam longe abest : effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima ejus.

23. Ultra eum non poteris colligare : et maledicti est concordatio :

24. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

25. Annuens oculo fabricat iniqua ; et nemo eum abjiciet :

26. In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum.

27. Multa audivi, et non coæquavi ei ; et Dominus odiet illum.

28. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa, dolosi dividet vulnera.

29. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo : et qui laqueum alii ponit, peribit in illo.

30. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur : et non agnoscet unde adveniat illi.

31. Illusio, et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi.

32. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum ; dolor autem consumet illos antequam moriantur.

33. Ira et furor, utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum.

23 « Non poteris colligare : » obligare vulnus. Vide Gr. cujus sensus est, ut obligari et sanari vulnus, ita maledictum resarciri posse : at arcani proditione rem in desperationem adduci.

25 « Annuens oculo. » Hac phrasi designatur artifex plura nutibus quam verbis conficiens : omnis malæ rei dissimulator, de quo supra, XIX. 23. et Prov. VI, 13. X. 10. « Nemo eum abjiciet, nemo declinat ictus tam caute concinnantis dolos.

27 « Non coæquavi ei » quemquam ; nihil æque odi atque ipsum.

28 « Plaga dolosa : » qui cæco ictu ferit per tenebras, sæpe seipsum vulnerat. « Dividet vulnera : » diducet ; forte etiam vulneribus dividet carnes.

31 « Illusio et improperium, » pœna insidiatrix, sicut leo, insequetur illusores, etc.

33 « Continens erit illorum : » obnoxius.

CAP. XXVIII. Non ulciscendum, 1. ad 10. non contendendum, 10. et seq. bilinguis, 15. lingua tertia, seu serens jurgia, 16. et seq. continendæ aures et os, 28. sermones suos quisque purget, 29, 30.

s. v. — Qui vindicat, a Domino inveniet vindictam ; et peccata illius servans servabit.

Remitte injuriam proximo tuo : et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

Homo homini reservat iram ; et a Deo quærit medelam.

In hominem similem sibi non habet misericordiam ; et de peccatis suis deprecatur.

Ipse cum caro sit, reservat iram : quis propitiabit peccata illius?

Memento novissimorum, et desine inimicari :

Tabitudinis et mortis : et permane in mandatis.

Memorare mandata ; et ne irascaris proximo ,

Et testamentum Altissimi, et despice ignorantiam.

Abstine a lite, et minues peccata.

Homo enim iracundus incendet litem : et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit calumniam.

Secundum materiam ignis, sic exardescet : secundum virtutem hominis, iracundia illius erit : et secundum substantiam exaltabit iram suam : et secundum firmitatem rixæ exardescet.

Contentio festinata incendit ignem, et rixa festinans effundit sanguinem.

v. v. — 1. Qui vindicari vult , a Domino inveniet vindictam : et peccata illius servans servabit.

2. Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

3. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam.

4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur.

5. Ipse cum caro sit , reservat iram, et propitiationem petit a Deo: quis exorabit pro delictis illius ?

6. Memento novissimorum, et desine inimicari :

7. Tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus.

8. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo.

9. Memorare testamentum Altissimi ; et despice ignorantiam proximi.

10. Abstine te a lite, et minues peccata.

11. Homo enim iracundus incendit litem ; et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam.

12. Secundum enim ligna silvæ, sic ignis exardescit ; et secundum virtutem hominis , sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam.

13. Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem.

2 « Relinque : » dimitte : remitte : Gr.

5 « Homo homini : » servus servo. Vide Matth. XVIII. 32.

7 « Tabitudo... in mandatis ejus : » supple, in ulciscentes : intentata scilicet mortis pœna in transgressores legis, quales illi sunt, qui non benefaciunt inimico, nec pecus quoque ejus reducunt ad eam; ubi Tertullianus : quanto magis jubentur ut ipsum sibi? Exod. XXIII. 4, 5. Paulus etiam docet vetere lege vetitam ultionem; Rom. XII. 19, 20. Vide etiam illud Davidis ultionem detestantis de Nabalo. I. Reg. XXV. 31, 33. et alia passim.

9 « Despice ignorantiam : » errorem : « proximi » te lædentis : videtur enim ignorare legem. Sic , « Dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt. » Luc. XXIII. 34.

11 « Inimicitiam : » calumniam : Gr.

12 « Secundum virtutem : » potentiam, vires. « Et secundum substantiam : » quo ditior, et potestate firmior, eo iratior.

13 « Certamen festinatum.. lis festinans ; » rixa suscepta levi animo.

Si sufflaveris scintillam, exardescet: et si expueris super illam, extinguetur: et utraque ex ore tuo proficiscuntur.

Susurronem et bilinguem maledicere: multos enim pacem habentes perdiderunt.

Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem.

Et civitates munitas destruxit, et domos magnatorum subvertit.

Lingua tertia mulieres viriles ejecit, et privavit illas laboribus suis.

Qui attendit illi, non inveniet requiem, nec habitabit cum requie.

Flagelli plaga livorem faciet: plaga autem linguæ comminuet ossa.

Multi ceciderunt in ore gladii: et non ut ii qui ceciderunt per linguam.

Beatus qui tectus est ab ea, qui in iracundia illius non transivit, qui non traxit jugum illius, et in vinculis illius non est ligatus.

Jugum enim illius, jugum ferreum est; et vincula illius, vincula ærea.

Mors illius, mors nequissima, et utilis potius infernus quam illa.

Non obtinebit pios; et in flamma

14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; et si expueris super illam extinguetur; utraque ex ore proficiscuntur.

15. Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.

16. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem.

17. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit.

18. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit.

19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis.

20. Qui respicit illam, non habebit requiem; nec habebit amicum, in quo requiescat.

21. Flagelli plaga livorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa.

22. Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.

23. Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus.

24. Jugum enim illius, jugum ferreum est; et vinculum illius, vinculum æreum est.

25. Mors illius, mors nequissima, et utilis potius infernus quam illa.

26. Perseverantia illius non per-

15 « Utraque ex ore: » indicat rixas, vel accendi, vel extingui adstantium sermonibus.

16 « Lingua tertia; » certissima lectio, quam præter Vulgatam græci habeant codices præstantissimi. Proverbialis locutio in Chaldaica Paraphrasi frequens, ut ad Ps. c. Heb. cx. vers. 5. et ad Psal. cxxxix. Heb. cxl. vers. 12. linguam tertiam volunt esse eam, quæ inter duos amicos serat jurgia. Unde illi pessima quæque attribuunt, ut bella dissidiaque inter gentes; hic, excidia civitatum, et illustrium familiarum: vers. 17, 18, denique conjugum divortia, vers. 19, etc. Recte autem post linguam duplicem seu fallacem et ancipitem, vers. 15. subdit linguam tertiam, vulgi usu notam. Quod vero notat Flaminius ad Vaticani marginem annotatum esse pro *triten*, tertiam, *tripen*, seu *tetrupeménen*, perforatam, nemo non videt conjecturas esse hominum non satis cogitantium quid esset lingua *tritè*, seu tertia; quanquam intelligi posset lingua perforata, quæ secreta non teneat: quo sensu apud Comicum:

Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

19 « Mulieres viratas, » mulieres fortes, quemadmodum Vulgata vertit xxvi. 2.

22 « Non sic quasi qui: » sic, redundat: Vide Gr. « Suam: » Gr. deest. Hic enim non agitur de iis qui lingua sua perierunt; sed qui absolute malæ linguæ vulneribus: 21, 23.

23 « In iracundia: » qui iratam et sævientem non est expertus.

25 « Quam illa: » mala lingua.

26 « Perseverantia: » non tamen valebit semper; nam « vir linguosus non dirigetur (non firmabitur) in terra: virum injustum mala capient, » etc. Ps. cxxxix. 12.

illius non comburentur.

Qui relinquunt Dominum, incident in illam; et exardebit in illis, et non extinguetur. Immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus perdet eos.

Ecce sepi possessionem tuam spinis.

Et argentum tuum et aurum tuum alliga: et verbis tuis fac jugum et stateram: et ori tuo fac ostium et vectem.

Attende, ne forte labaris in ea: ne cadas in conspectu insidiantis.

manebit, sed obtinebit vias injustorum; et in flamma sua non comburet justos.

27. Qui reliquunt Deum, incident in illam; et exardebit in illis, et non extinguetur; et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos.

28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras.

29. Aurum tuum et argentum tuum confla; et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos.

30. Et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi; et sit casus tuus insanabilis in mortem.

CAP. XXIX. De mutuo, et fidejussione, toto capite: contra mutuo accipientes, nec solventes, 4 et seq. contra recusantes dare mutuo, 10 et seq. eleemosyna, 14 et seq. mutuo accipiens, erro, 29.

s. v. — Qui facit misericordiam, fœnerabitur proximo: et qui prævalet manu sua, mandata servat.

Fœnerare proximo in tempore necessitatis illius: et rursus redde proximo in tempore.

Confirma verbum, et fideliter age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam iis qui se adjuverunt.

Donec accipiat, osculabitur manum ejus, et in pecuniis proximi humiliabit vocem:

Et in tempore redditionis protrahet tempus, et reddet verba acediæ, et tempus causabitur:

Si potuerit, vix reddet dimidium, et computabit illud, quasi inventionem.

v. v. — 1. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo; et qui prævalet manu, mandata servat.

2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius; et iterum redde proximo in tempore suo.

3. Confirma verbum, et fideliter age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt.

5. Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam.

6. Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii et murmurationum, et tempus causabitur:

7. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, et computabit illud quasi inventionem.

29 « Aurum tuum... confla: » expurga.

1 « Qui prævalet manu: » qui manu est liberali.

4 « Multi quasi inventionem: » quasi bonum inventum ac modum acquirendæ rei: vertī potest tanquam lucrum inexpectatum. « Æstimaverunt fœnus: » mutuo acceptam, nec redden dam pecuniam: vide vers. 7.

6 « Verba tædii: » hoc est, cunctationis. « Et computabit illud: » pecuniam creditam, « quasi inventionem: » quasi rem bene inventam, bene partam; sive existimaverunt procrastinationem illam quasi præclarum inventum.

Sin autem, fraudavit illum pecuniis ejus, et possedit illum inimicum gratis :

Maledicta et convitia reddet illi : et pro honore reddet illi inhonorationem.

Multi propter nequitiam averterunt : fraudari gratis timuerunt.

Verumtamen super humilem longanimis esto : et pro eleemosyna non protrahas illum.

Propter mandatum assume pauperem ; et secundum inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

Perde pecuniam propter fratrem et amicum ; et non contrahat rubiginem sub lapide in perditionem.

Pone thesaurum tuum secundum præcepta Altissimi ; et proderit tibi magis quam aurum.

Conclude eleemosynam in cellis tuis ; et hæc eruet te ex omni malo.

Super scutum potentiæ, et super lanceam roboris, adversus inimicum pugnabit pro te.

Vir bonus fidejubet pro proximo ; et qui perdidit verecundiam, derelinquet illum.

Gratias fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.

Bona fidejussoris evertet pecca-

8. Sin autem fraudabit illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis.

9. Et convitia et maledicta reddet illi ; et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam.

10. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt ; sed fraudari gratis timuerunt.

11. Verumtamen super humilem animo fortior esto ; et pro eleemosyna non trahas illum.

12. Propter mandatum assume pauperem ; et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

13. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum ; et non abscondas illam sub lapide in perditionem.

14. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi ; et proderit tibi magis quam aurum.

15. Conclude eleemosynam in corde pauperis ; et hæc pro te exorabit ab omni malo.

16. 17. 18. Super scutum potentis, et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.

19. Vir bonus fidem facit pro proximo suo ; et qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi.

20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris ; dedit enim pro te animam suam.

21. Repromissorem fugit peccator et immundus.

22. Bona repromissoris sibi ad-

8 « Sin autem : » supple, non potuerit reddere.

9 « Convitia et maledicta reddet illi, » loco pecuniarum.

10 « Multi non causa... » multi sunt qui a mutuo dando abhorrent, « non causa nequitiæ : » non perverso animo : « sed » eo quod « fraudari gratis (nulla spe emolumenti : seu potius, nulla satis idonea metuendi causa) timuerunt ; » quos sequentia reprehendunt. Gr. multi per nequitiam avertunt (se a mutuo dando petentibus :) contra quod Dominus : « volenti mutuari a te, ne avertaris : » Matth. v. 42.

11 « Animo fortior : » ne sis adeo meticulosus, neque duro animo tuo eam excusationem obtendas, quæ est versu præcedenti : quippe qui non modo mutuo dare, sed etiam ultro eleemosynam præstare jubearis, vide vers. 13. « Ne trahas, » ne protrahas, nec in longum ducas.

12 « Propter inopiam : » secundum inopiam.

15 « Eleemosynam in corde pauperis : » in sinu, latenter. Prov. XXI. 14. Gr. in cellis tuis ; suo tempore erogandam, nec alio distrahendam ; sint cellæ ejusmodi, quæ non uni tibi, sed potius pauperi fructiferæ sint.

19 « Vir bonus fidem facit, » fidejubet : qua sententia molliuntur et explicantur quæ passim in Proverbiis de non fidejubendo feruntur. « Confusionem, » verecundiam : qui inverecunde negat opem suam proximo laboranti : « derelinquet » illum (proximum suum) « sibi... » suæ inopiæ : cujus versus alia interpretatio, sed mutila et obscura vers 23.

21 « Repromissorem : » fidejussorem.

22 « Sibi adscribit : » vide Gr.

tor ; et ingratus sensu derelinquet liberantem se.

Fidejussio multos perdidit dirigentes, et commovit illos quasi fluctus maris.

Viros potentes migrare fecit ; et vagati sunt in gentibus alienis.

Peccator incidens in fidejussionem, et sectans redemptiones, incidet in judicia.

Recupera proximum secundum virtutem tuam ; et attende tibi , ne incidas.

Initium vitæ, aqua et panis, et vestimentum, et domus tegens turpitudinem.

Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in alienis.

Super minimum et magnum placeat tibi.

Vita nequam de domo in domum; et ubi hospitabitur, non aperiet os.

Hospitio suscipies, et potabis ad ingrata; et præterea in his amara audies :

Transi hospes , orna mensam ; et si quid in manu tua, ciba me.

Exi hospes a facie honoris ; adve-

scribit peccator ; et ingratus sensu derelinquet liberantem se.

23. Vir repromittit de proximo suo ; et cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo.

24. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, et commovit illos quasi fluctus maris.

25. Viros potentes gyrans migrare fecit ; et vagati sunt in gentibus alienis.

26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam ; et qui conatur multa agere, incidet in judicium.

27. Recupera proximum secundum virtutem tuam ; et attende tibi, ne incidas.

28. Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem.

29. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio.

30. Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies.

31. Vita nequam hospitandi de domo in domum ; et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

32. Hospitabitur, et pascet, et potabit ingratos ; et ad hæc amara audiet.

33. Transi hospes, et orna mensam ; et quæ in manu habes, ciba cæteros.

34. Exi a facie honoris amicorum

23 « Vir repromittit : » vide 19.

24 « Multos perdidit dirigentes, » bene habentes : multos etiam viros bonos a recto tramite avertit, dum se fraudibus et vitiligationibus expedire satagunt. Vide 26.

26 « Incidet (tanquam in barathrum) in promissionem : » fidejussionem. « Qui conatur multa agere » ut se expediat : sive ut Gr. habet, sectans redemptiones, se a fidejussione expedire satagens : « incidet in judicium : » in judicia, in lites inextricabiles ; aliter : qui multis se implicat negotiis : sectans redemptiones, *ergolabeias*, alienas lites emens : conductorem, redemptorem, institorem agens, multaque agenda suscipiens : incidet, etc.

28 « Initium vitæ : » vita paucis eget : quod qui cogitaverit, non ad fœnora adigetur, quibus sibi exitium accersat. Vide vers. 30. « domus... turpitudinem, » occultans quæ decentius latent.

29 « In peregre : » in alieno loco.

31 « Vita nequam : » pudenda.

32 « Hospitabitur. » Nec minus incommoda, aut injucunda susceptio talium hospitum, qui mendicandi consuetudine frontem perfricuerint.

33 « Transi hospes : » oratio peregrini impudentis, cibos ab hospite tanquam debitum, exigentis : « ciba cæteros : » me. Gr.

34 « Exi a facie honoris : » oratio excusantis ab hospite suscipiendo; decede ab honoris loco quem concedo amicis. « Necessitudine domus meæ : » domo opus habeo ; hospes alius supervenit, fratris instar carus. Vide Gr.

nit mihi hospitio suscipiendus frater ; opus est domo.

Gravia hæc homini habenti sensum, increpatio domus, et improperium fœneratoris.

meorum ; necessitudine domus meæ; hospitio mihi factus est frater.

35. Gravia hæc homini habenti sensum ; correptio domus, et improperium fœneratoris.

CAP. XXX. De liberis ab ineunte ætate curandis, ad 14. de valetudine, ad finem usque capitis : de ejus pretio, 14 ad 22. ad eam servandum adhibenda lætitia, 23. continentia, 24. et in cibis delectus, 27. fugiendæ curæ : tristitia, invidia, ira, 22, 24, 25, 26.

S. V. — *De liberis.*

Qui diligit filium suum, assiduabit illi flagella, ut lætetur in novissimo suo.

Qui erudit filium suum, lucrabitur in illo, et in medio notorum in illo gloriabitur.

Qui docet filium suum, in zelum mittet inimicum; et in medio amicorum gloriabitur in illo.

Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim sibi reliquit post se.

In vita sua vidit, et lætatus est, et in obitu suo non est contristatus.

Contra inimicos reliquit defensorem, et amicis reddentem gratiam.

Refrigerans filium, colligabit vulnera illius ; et ad omnem clamorem turbabuntur viscera sua.

Equus indomitus evadit durus : et filius remissus evadit præceps.

Lacta filium, et paventem te faciet : lude cum illo, et contristabit te.

Ne corrideas illi, ne simul doleas: et in novissimo quaties dentes.

Non des illi potestatem in juventute :

V. V.

1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flegella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia.

2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur.

3. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum ; et in medio amicorum gloriabitur in illo.

4. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se.

6. In vita sua vidit, et lætatus est in illo : in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.

6. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam.

7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua; et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus.

8. Equus indomitus evadit durus : et filius remissus evadet præceps.

9. Lacta filium, et paventem te faciet : lude cum eo, et contristabit te.

10. Non corrideas illi, ne doleas : et in novissimo obstupescent dentes tui.

11. Non des illi postestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius.

35 « Gravia hæc : » hæc præcepta sunt « correptio domus : » instructio, emendatio : « improperium fœneratoris : » ejus qui accipiendo fœnori, eo inopiæ redactus est, ut eversa re domoque, vagus ac profugus nullo possit loco consistere.

1 « Proximorum ostia : » erro, inops, vagus.

7 « Pro animabus filiorum. » Vide Gr. « Et super omnem vocem : » omnem rumorem malum de filio : « turbabuntur viscera ejus : » culparum metu, et emendandi studio, quod est curare vulnus.

12 « Remissus : » dissolutus : remissis habenis ac stimulis.

10 « Obstupescent dentes tui : » stupor dentium pro frendore : ex ira adversus filium.

Tunde latera illius, dum infans est : ne forte induratus, non credat tibi.

12. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dum infans est : ne forte induret, et non credat tibi : et erit tibi dolor animæ.

Erudi filium tuum, et operare in illo ; ne in turpitudinem tuam offendat. Et ne despicias ignorantias illius : curva cervicem ejus in juventute.

13. Doce filium tuum, et operare in illo : ne in turpitudinem illius offendas.

DE SANITATE.

Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives flagellatus in corpore suo.

14. Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitia.

Sanitas et bona habitudo melior est omni auro : et corpus validum, quam census immensus.

15. Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro et argento : et corpus validum, quam census immensus.

Non est census melior sanitate corporis : et non est oblectamentum super cordis gaudium.

16. Non est census super censum salutis corporis : et non est oblectamentum super cordis gaudium.

Melior est mors, quam vita amara, aut languor perseverans.

17. Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans.

Bona offusa ad os clausum, appositiones epularum appositæ super sepulcrum.

18. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.

Quid prodest oblatio idolo ? nec enim manducabit, nec odorabitur :

19. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit :

Sic qui persecutionem patitur a Domino.

20. Sic qui effugatur a Domino, portans mercedes iniquitatis :

Videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans.

21. Videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans.

Non des in tristitiam animam tuam : et non affligas temetipsum in consilio tuo.

22. Tristitiam non des animæ tuæ; et non affligas temetipsum in consilio tuo.

Jocunditas cordis, hæc est vita hominis : et exultatio viri est longævitas.

23. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis : et exultatio viri est longævitas.

Dilige animam tuam, et consolare

24. Miserere animæ tuæ placens

13 « Ne in turpitudinem : » ne turpes ejus mores tibi probro vertant.

14 « Melior. » Hic titulus in Gr. de valetudine, cujus pretium hic, tuendæ rationes, ac morborum causas exequitur, ℣ 22. ad finem. « Malitia : » malo corporis habitu.

17 « Requies. » (cessatio) « æterna : » mors; alia phrasi.

18 « Bona : » meliora : « abscondita in ore clauso : » sive moribundi qui jam glutire non valet, palato et gutture jam exsucco. Vide Gr. « Appositiones epularum. » Alludit ad antiquum morem, cujus vestigium supererat ad nostram usque ætatem in regum funeribus.

20 « Sic qui effugatur : » qui finem habet : Gr. qui persecutionem patitur « a Domino, » immisso exitiali morbo.

21 « Videns oculis, » oggestos cibos, vitæque sustentandæ avidus, deficit viribus.

23 « Sanctitatis : » forte sanitatis, de qua hic agitur, quæ tamen longe valent amplius de sanitate mentis de qua seq. ℣. Gr. deest.

24 « Contine : » continens esto.

cor tuum : et tristitiam longe expelle a te.

Multos enim occidit tristitia; et non est utilitas in ea.

Zelus et iracundia minuunt dies : et ante tempus senectam adducet cogitatus.

Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe repelle a te.

25. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.

26. Zelus et iracundia minuunt dies : et ante tempus senectam adducet cogitatus.

In Gr. Cap. XXXIII. ℣ 13.

Splendidum cor et bonum in epulis, ciborum suorum diligentiam adhibebit.

27. Splendidum cor, et bonum in epulis est : epulæ enim illius diligenter fiunt.

CAP. XXXI. De divitiis curisque conjunctis et avaritia, 1. ad 12. de conviviis, usque ad finem : mensa divitis, ibid. intellige ex te ipso quæ sunt proximi, 18. sobrietas præsertim in vino, 22. ad finem. valetudini utilis, ibid. bonus et liberalis conviva, 28, 29, 41, 42.

S. V. — *In Gr. Cap.* XXXIV. V. V.

Vigilia divitiarum tabefacit carnes, et cogitatus illarum aufert somnum.

Sollicitudo vigiliæ interpellabit dormitionem : et infirmitatem gravem digeret somnus.

Laboravit dives in congregatione pecuniarum, et in requie repletur deliciis suis.

Laboravit pauper in diminutione victus, et in requie indigens fit.

Qui aurum diligit, non justificabitur : et qui insequitur corruptionem, ipse replebitur.

Multi dati sunt in casum propter

1. Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum.

2. Cogitatus præscientiæ avertit sensum : et infirmitas gravis sobriam facit animam.

3. Laboravit dives in congregationes substantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis.

4. Laboravit pauper in diminutione victus, et in fine inops fit.

5. Qui aurum diligit, non justificabitur : et qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

6. Multi dati sunt in auri casus :

26 « Zelus : » invidia, livor. « Cogitatus : » Gr. cura, sollicitudo. Post hunc versum multa habet Græcus quæ respondent Vulgatæ, cap. XXXIII. 16. et seq. usque ad finem capitis, quo loco convenientius reponentur.

27 « Splendidum cor : » liberale, ingenuum « et bonum : » lætum : bono habitu et sano : et hoc ad valetudinem pertinet, ut cibi non sordide, sed diligenter apteque, nec sine delectu apparentur. Hic versus in Sixtino legitur, vers. 13. cap. XXXIII, alienissimo loco, ut notabimus.

1 « Vigilia honestatis : » sive divitiarum : Gr. hoc est, vigilia ex sollicitudine divitiarum, amplæque et honorabilis vitæ. Porro hæc habentur in Gr. cap. XXXIV. « Cogitatus, » cura.

2 « Cogitatus præscientiæ : » cogitatio præscia futurorum malorum quæ imminent divitibus : « avertit sensum : » nihil tuti cogitanti relinquit. At Gr. cura vigiliæ (seu vigil) interpellat soporem : « et infirmitas gravis : » Gr. ægritudinem gravem eluet (allevabit) somnus.

3—4 « In requie sua : » in cessatione, in fine, ut habes ℣ 4. « In diminutione victus : » in dispergendo, sive dissipando victu, id est, opibus quibus vita sustentatur. Sensus autem utriusque sententiæ est : Alius in colligendo laborat, alius in dispergendo : ad extremum, in vitæ fine, ille laborum fructum, hic egestatem reperit : quæ et similia si ad vera bona referas, perfectam habebis sententiam.

5 « Consumptionem : » Gr. qui insequitur corruptionem, ipse (ea) replebitur : corrumpetur, peribit.

6 « In auri casus : » in exitium propter aurum, Gr. « in specie ipsius, » auri scilicet. Gr. et facta est perditio ipsorum, ante faciem ipsorum, manifesta et ineluctabilis.

aurum : et facta est perditio ipsorum ad faciem ipsorum.

Lignum offensionis est sacrificantibus ei : et omnis imprudens capietur in illo.

Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit.

Quis est, et beatificabimus eum? fecit enim mirabilia in populo suo.

Quis probatus est in illo, et perfectus est? et sit in gloriationem. Quis potuit transgredi, et non est transgressus; et facere mala, et non fecit?

Stabilientur bona illius : et eleemosynas illius enarrabit ecclesia.

Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam fauces, et

Ne dicas, Multa quidem sunt, quæ super illam.

Memento quoniam malum est oculus nequam.

Nequius oculo quid creatum est? Ideo ab omni facie lacrymatur.

Quocumque aspexerit, ne extendas manum :

Et ne comprimaris cum eo in catino.

Intellige quæ sunt proximi, ex te ipso : et in omni re cogita.

et facta est in specie ipsius perditio illorum.

7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium : væ illis, qui sectantur illud : et omnis imprudens deperiet in illo.

8. Beatus dives, qui inventus est sine macula; et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris.

9. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

10. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus : facere mala, et non fecit.

11. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino : et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.

12. Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior.

13. Non dicas sic : Multa sunt, quæ super illam sunt.

14. Memento quoniam malus est oculus nequam.

15. Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur. Cum viderit,

16. Ne extendas manum tuam prior, et invidia contaminatus erubescas.

17. Ne comprimaris in convivio.

18. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.

7 « Lignum offensionis : » (sive idolum) « est aurum sacrificantium : » Gr. (aurum de quo ỳ antecedente) lignum offensionis est, (sive idolum) sacrificantibus ei (auro scilicet :) quod congruit loco Pauli : avaritia « est idolorum servitus. » Col. III. 5. « Deperiet. » Vide Gr.

9 « Laudabimus : » Gr. beatificabimus; beatum prædicabimus.

10 « Qui probatus est in illo : auro. » Vide Græc.

12 « Supra mensam magnam. » Jam aggreditur de conviviis : qui sermo deducitur ad ỳ 19. sequentis capitis, ac primum describit divitum avarorum magna et invisa convivia, monetque ne ciborum copiam, sed animum præbentis aspicias.

14 « Oculus nequam : avarus, invidus, quasi diceret : quid lætaris avarorum conviviis? qui, si quid parant lautius, aspicientes dolent, tibique invident; ut exponit sequens.

15 « Ab omni facie lacrymabitur, » sive lacrymat; ille avarus convivii instructor, plorat cibos quos ipse aspicit in mensa sua tibi administratos. « Facies » pro re conspectui oblata. « Cum viderit : » Gr. quocumque aspexerit; quemcumque cibum velut oculis designaverit; ad eum tu

16 « Ne extendas manum... et invidia : » ne invidia : (avari tibi invidentis cibos) « contaminatus : » (ejusque lividis oculis reprehensus) erubescas : Græc. deest : quo sublato cum sequente planior nexus.

17 « Ne comprimaris : » Gr. ne collidas cum eo (manum de qua agitur) in catino.

18 « Intellige quæ sunt proximi. » Optima regula morum, quam ad mensam queque adhibendam docet; si quid concupiscis, intelige et ab alio posse appeti; et largire ultro, sive dimitte cupienti. Addit Gr. et in omni re (quamvis exigua) cogita (ac te prudentem præbe.)

Comede, ut homo, quæ tibi sunt apposita; et non devores, ne odio habearis.

Cessa prior, causa disciplinæ : et noli esse insatiabilis, ne forte offendas.

Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam.

Quam sufficiens est homini erudito exiguum! et in lectu suo non laborat asthmate.

Somnus sanitatis in intestino moderato : surrexit prior; et anima ipsius cum ipso.

Labor vigiliæ, et choleræ, et tortura cum viro insatiabili.

Et si coactus fueris in epulis, surge in medio pomorum, et requiesces.

Audi me, fili, et ne spernas me : et in novissimo invenies verba mea.

In omnibus operibus tuis esto velox : et omnis infirmitas non occurret tibi.

Splendidum in manibus benedicent labia : et testimonium bonitatis illius fidele.

Nequissimo in pane obmurmurabit civitas : et testimonium nequitiæ illius certum.

In vino noli fortem agere : multos enim exterminavit vinum.

Fornax probat aciem ferri in tinctura : sic vinum corda in contentione superborum.

19. Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur : ne, cum manducas multum, odio habearis.

20. Cessa prior, causa disciplinæ : et noli nimius esse, ne forte offendas.

21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.

22. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum! et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem.

23. Vigilia, cholera, et tortura viro infrunito.

24. Somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur.

25. Et si coatus fueris in edendo multum, surge e medio, evome : et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem.

26. Audi me, fili, et ne spernas me : et in novissimo invenies verba mea.

27. In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi.

28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum : et testimonium veritatis illius fidele.

29. Nequissimo in pane murmurabit civitas : et testimonium nequitiæ illius verum est.

30. Diligentes in vino noli provocare : multos enim exterminavit vinum.

31. Ignis probat ferrum durum : sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

19 « Utere : » Gr. comede ut homo; ne belluæ more sis vorax.

20 « Causa disciplinæ : » temperantiæ.

21 « Prior illis : » non tantum temperantiæ, sed etiam honoris causa.

22 « Non laborabis : » cruditate et crapula. Gr. asthmate.

23 « Vigilia et cholera : » concitata bilis : « et tortura : » alii, torsiones : « viro infrunito : » indocili : intemperanti. In Gr. § 23, 24. ordo commutatur.

24 « In homine parco : » sobrio : in ventre moderato : Gr. « Dormiet usque mane : » Gr. surrexit prior (surrexit matutinus, et præ aliis vigil.) « Et anima illius cum ipso : » vivax, suique compos.

25 « Et si coactus... in edendo : » in epulis, Gr. « surge e medio : » pomorum, Gr. (ac secundæ mensæ;) « evome; » ex antiquæ medicinæ præceptis, atque inde inolitis moribus. « Refrigerabit te : » requiesces, Gr. desines.

28 — 29 « Splendidum in panibus... nequissimo in pane : » panis, hebraismo noto, pro toto victu.

30 « Diligentes in vino : » ad potandum abiceres : Gr. in vino ne esto fortis.

31 « Sic vinum, » Probatur in potatione quo ingenio quis sit, vino arcana resolvente.

Æquale vitæ vinum homini; si bibas illud mensura sua.

32. Æqua vita hominibus vinum in sobrietate : si bibas illud moderate, eris sobrius.

Quæ vita ei, qui minuitur vino.

33. Quæ vita est ei, qui minuitur vino?

34. Quid defraudat vitam? mors.

Et ipsum creatum est in jocunditatem homis.

35. Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio.

Exultatio cordis, et lætitia animæ, vinum potatum in tempore, quod satis sit.

36. Exultatio animæ et cordis, vinum moderate potatum.

37. Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.

38. Vinum multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit.

Amaritudo animæ vinum potatum multum in irritatione et contentione.

39. Amaritudo animæ vinum multum potatum.

Multiplicat ebrietas furorem imprudentis in offensionem, minorans virtutem, et faciens vulnera.

40. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera.

In compotatione vini non arguas proximum, et non despicias eum in jocunditate illius.

41. In convivio vini non arguas proximum : et non despicias eum in jucunditate illius.

Verbum improperii ne dicas illi : et non premas illum in repetendo.

42. Verba improperii non dicas et illi : non premas illum in repetendo.

CAP. XXXII. De rectoribus : ad 4. quasi unus est ipsis, 1. senes loquantur : juniores magis audiant, 4. et seq. domi morandum quam maxime, 16. viri boni, 18, 19. prudentes, 23, 24. correptio : a quibus abstinendum viis, 25. caute agendum, 27.

S. V. — *In Gr. Cap.* XXXV.

V. V.

DE RECTORIBUS.

Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis, quasi unus ex ipsis :

1. Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.

Curam illorum habe, et sic con-

2. Curam illorum habe, et sic con-

32 « Æqua vita : » vinum sobrie potum æquabilem ac temperatam vitam facit. « Si bibas moderate : » mensura sua, Gr. Vide 36, 37.

40 « Ebrietatis animositas : » Gr. multiplicat : etc. minorans virtutem; minuens vires.

42 « In repetendo : » debito sive promisso.

1 « Rectorem » convivii ex symbolis; quod antecedentibus magis congruit. Agit autem de illis conviviis gravibus, moderatisque, quæ, veterum sapientum more, optimis sermonibus condiebantur; patet ex ℣ 4. et aliis, senioribus docentibus, tacente juniorum turba, adhibita sane musica, verum ut par erat in tali convivio, gravis illa et sacra, de qua XLIV. 5. quæ cupiditates componeret, non accenderet; procul autem illæ crebræ, atque ad multam noctem protractæ perpotationes; sed quisque monebatur ut maturus domum rediret, ibique se graviter oblectaret, 14, 15, 16. nec priusquam gratiis Deo actis discederet : ℣ 17. Non igitur immerito instruitur ille rector qui his rebus præsit : quanto autem magis officio suo invigilet populorum rector?

2 « Omni cura tua explicita recumbe : » rebus omnibus comparatis accumbe ad mensam cum reliquis. In populo regendo ne quiescas, nisi officio functus.

fide : et omni cura tua explicita recumbe :

Ut læteris propter illos, et ornamenti gratia accipias coronam.

Loquere major natu (decet enim te)

In diligenti scientia, et non impedias musica.

Ubi est acroama, non effundas sermonem : et importune noli sapientiam ostentare.

Sigillum carbunculi in ornamento aureo, concentus musicorum in compotatione vini.

In fabricatione aurea sigillum smaragdi, modulatio musicorum in vino jocundo.

Adolescens loquere, cum necessitas tibi fuerit, vix,

Si bis interrogatus fueris. In summam collige sermonem :

In paucis multa : esto quasi sciens, et simul tacens.

In medio magnatorum non agas æqualem : et alio dicente, ne multa garrias.

fide; et omni cura tua explicita recumbe :

3. Ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis.

4. Loquere major natu : decet enim te

5. Primum verbum, diligenti scientia, et non impedias musicam.

6. Ubi auditus non est, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua.

7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini.

8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino.

9. Audi tacens; et pro reverentia accedet tibi bona gratia.

10. Adolescens loquere in tua causa vix.

11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

12. In multis esto quasi inscius : et audi tacens simul et quærens.

13. In medio magnatorum non præsumas : et ubi sunt senes, non multum loquaris.

3 « Ornamentum gratiæ : » vide Gr. « dignitatem consequaris corrogationis : » deest Gr. Forte : « coronationis, » et esset altera versio posterioris membri hujus versus. Coronas autem in conviviis adhibitas, etiam illud testatur : « Coronemus nos rosis : » Sap. II. 8. quanto ergo magis rectori quam reliquis?

5 Diligentis scientia : » accurata : « non impedias musicam » in convivio resonantem, ut ℣ 7, 8. sed qualem mox divinus, doctis temperatisque sermonibus congruentem : Gr. musica, neutro plurali : instrumenta musica, cantus, sub quibus etiam comprehendas hominum consiliorumque concentum.

6 « Ubi auditus non est ; » ubi turba nullaque attentio dictis : contra Gr. ubi acroama est : ubi musici cantus, ne obloquare : « importune noli extolli, » ne intempestive sapientem agas ; ne sapientiam ostentes : Gr. ut faciunt illi qui inter cantus ut periti hujus artis, argute disserentes, obtundunt alios, cum audiendi, non dicendi sit locus. Allegorice : ne pulchros et concinnos sermones interturbes.

7 « Gemmula carbunculi : » sigillum, Græc. « comparatio, » sive concentus, Gr. « musicorum.

8 « Sicut in fabricatione : » in opere aureo : « signum, » sigillum, Gr. « est smaragdi : numerus musicorum : » Gr. melos, modulatio.

10 « In tua causa : » cum ad te sermo devenerit : quæ in conviviis quoque illis ad sapientiam institutis, observata, ad totam postea vitam transferantur.

11 « Si bis : » Gr. refert ad præcedentem : « habeat caput : » sit a certo capite, initioque deductum : melius ex Gr. *kephalaiôson :* in summam contrahe sermonem ; addit : paucis multa ; supple : complectere.

12 « In multis esto quasi inscius. » Invisum et importunum hominum genus, qui omnia scire se volunt, aliosque enecant sermonibus : « tu audi tacens simul et quærens : » interrogans ; quippe qui doceri, quam docere malis : quod sæpe Aug. de se profitetur, præsertim epistola nona ad Mercatorem : Gr. aliter, sed eodem sensu : esto quasi sciens : et simul tacens (nec ostentes scientiam.)

13 « Non præsumas : » ne te æquaveris : ne te geras pro æquali, Gr. « ubi sunt senes, » Vide Gr.

Ante tonitruum festinat coruscatio : et ante verecundum præibit gratia.

In hora exurge, et non sis ultimus : recurre in domum, et ne torpeas. Ibi lude :

Et fac cogitata : et ne pecces verbo superbo.

Et super his benedicito eum qui fecit te, et inebriantem te de bonis suis.

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam : et qui mane vigilant, invenient benedictionem.

Qui quærit legem, replebitur ea; et qui simulat, scandalizabitur in ea.

Qui timent Dominum, invenient judicium : et justificationes quasi lumen accendent.

Homo peccator vitat correptionem : et secundum voluntatem suam inveniet comparationem.

Vir consilii non despiciet considerationem : alienus et superbus non pertimescet timorem,

Etiam postquam fecit secum sine consilio.

Sine consilio nihil facias : et in faciendo te non pœnitebit.

14. Ante grandinem præibit coruscatio : et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.

15. Et hora surgendi non te trices : præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude,

16. Et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo.

17. Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.

18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus : et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.

19. Qui quærit legem, replebitur ab ea : et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea.

20. Qui timent Dominum, invenient judicium justum : et justitias quasi lumen accendent.

21. Peccator homo vitabit correptionem : et secundum voluntatem suam inveniet comparationem.

22. Vir consilii non disperdet intelligentiam : alienus et superbus non pertimescet timorem :

23. Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, et suis insectationibus arguetur.

24. Fili, sine consilio nihil facias : et post factum non pœnitebis.

14 « Ante grandinem : » ante tonitruum, Gr. « ante verecundiam : » Gr. ante verecundum. Significat autem verecundi adolescentis dicta quadam pudoris gratia commendari : quæ gratia tam præcedere nata sit, quam tonitruum præcedit corruscatio. « Pro reverentia : » iteratum ex v. 9. Gr. deest.

15 « Hora surgendi : » e mensa : « non te trices : » nec velut impeditis gressibus vacilles, aut etiam labare temulentus, sive, ne te involvas tricis, vanisque impedimentis; aliamque ex alia remanendi excusationem nectas. Vide Gr. « Præcurre » prior : Gr. recurre in domum : (ne vagere) : et ne torpeas (somno aut desidia oppressus, neque ex torpore resideas domi, sed animum recolligendi studio.) » Illic avocare, illic lude : » ibi dulces lusus, dulcia animi avocamenta quæras. En quam sobrii, quam sani ex illo convivio redeant; unde sequitur :

16 « Et age conceptiones tuas. » Fac quæ vis, age ingenio tuo, dummodo a malis ac superbis dictis factisque abstineas.

17 « Benedicito Dominum... inebriantem te. » Ne ante discesseris quam Deo, ut vero convivii apparatori, gratias egeris; quo fine concluditur sermo de conviviis.

19 « Qui insidiose agit : » Gr. simulator : hypocrita : « scandalizabitur in ea : » offendet in legem.

21 « Comparationem : *sugkrima* : consensionem : fœda adulatione.

22 « Intelligentiam : » Gr. cogitationem : consideration em. « Alienus, » impius, infidelis : « non pertimescet timorem : » male securus ex inconsiderantia et animi levitate.

23 « Etiam postquam fecit cum eo, » secum, Gr. id est (ex propria sententia) « sine consilio : » etiamsi res suas fortunæ permittat. « Suis insectationibus : » suis ipse consiliis capietur. Deest Gr.

In via ruinæ non eas, et non offendes in lapidosis.

Non credas te viæ non exploratæ.

Et a filiis tuis cave.

In omni opere crede animæ tuæ : hoc est enim observatio mandatorum.

Qui credit legi, attendit mandatis : et qui confidit in Domino, non minorabitur.

25. In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides : nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum.

26. Et a filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende.

27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ : hoc est enim conservatio mandatorum.

28. Qui credit Deo, attendit mandatis, et qui confidit in illo non minorabitur.

CAP. XXXIII. Deum timens : legi credens. 1, 2, 3. irrisor, 6. Deus, instar figuli, ut vult, alios erigit, alios deprimit, 7 ad 15. justo tamen judicio, ibid. contrariorum sapiens ordinator, 15. Auctoris sedulitas in conquirendis sententiis, 16. Vir sapiens ne se subdat filio : non uxori : non cuivis homini, 20 et seq. dimissionem opum reservet testamento, 20, 24. de servis continendis, ac benevole tractandis, 25. ad finem : otiositas, 29.

S. V. — *In Gr. Cap.* XXXVI. V. V.

Timenti Dominum non occurret malum, sed in tentatione et iterum liberabit illum.

Vir sapiens non odiet legem : qui autem simulat in ea, quasi in procella, navis.

Homo sensatus credet legi : et lex ei fidelis,

Sicut interrogatio justorum. Para verbum, et sic audieris : colliga doctrinam, et responde.

Rota carri præcordia fatui : et quasi axis qui versatur, cogitatus illius.

Equus ad admissuram, amicus subsannator : sub omni supersedente hinnit.

1. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis.

2. Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procella navis.

3. Homo sensatus credit legi Dei : et lex illi fidelis.

4. Qui interrogationem manifesta, parabit verbum, et sic deprecatus exaudietur : et conservabit disciplinam, et tunc respondebit.

5. Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius.

6. Equus emissarius, sic et amicus subsannator : sub omni suprasedente hinnit.

25 « In via ruinæ : » præcipitii : » Gr. « Et non offendas : » ne offendas « in lapides : » Gr. in lapidosis : (et difficilibus itineribus) « nec credas te viæ laboriosæ, » inexploratæ, Gr. Hic observa tres evitendas vias : exitiosas sive præcipites, difficiles et periculosas, inexploratas.

26—27 « Crede » non liberis ac propinquis; sed « animæ tuæ, » ipsi tibi : age prout recta ratio suaserit. « Hoc est conservatio mandatorum, » si non aliena ratione ducaris, sed tua; sive etiam « fide, » ut habet Vulgata : quanquam Gr. deest.

2 « Et non illidetur : » Gr. simulator (hypocrita) « quasi in procella navis : » semper agitatus, nullo certo tramite.

3 « Lex illi fidelis : » addit Græc. sicut (ostendit) interrogatio (sive probatio) justorum.

4 « Qui interrogationem : » Gr. para verbum, (meditare quæ dicas) et audieris.

5 « Rota carri : » stridens, importuna, versatilis.

6 « Equus emissarius, amicus subsannator, » irrisor, « sub omni suprasedente, » sub omni insessore « hinnit, » quo risum significat; æque arridet, æque illudit omnibus.

Quare dies diem superat, et omne lumen diei anni a sole?

A Domini scientia separati sunt :

Et immutavit tempora, et dies festos.

Ex ipsis exaltavit, et sanctificavit, et ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo : et ex terra creatus est Adam.

In multitudine scientiæ Dominus separavit eos et immutavit vias illorum.

Ex ipsis benedixit, et exaltavit; et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit : ex ipsis maledixit, et humiliavit, et evertit illos a statione ipsorum.

Quasi lutum figuli in manu ejus :

Omnes viæ ejus secundum beneplacitum ejus. Sic homines in manu illius qui fecit eos, ad reddendum illis secundum judicium suum.

Contra malum bonum est, et contra mortem vita : sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo duo unum contra unum.

7. Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole?

8. A Domini scientia separati sunt, facto sole, et præceptum custodiente.

9. Et immutavit tempora, et dies festos ipsorum, et in illis dies festos celebraverunt ad horam.

10. Ex ipsis exaltavit et magnificavit Deus, et ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, et ex terra, unde creatus est Adam.

11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum.

12. Ex ipsis benedixit, et exaltavit : et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit : et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum.

13. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere.

14. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus : sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum judicium suum.

15. Contra malum bonum est, et contra mortem vita : sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo et duo, et unum contra unum.

7 « Quare dies diem superat? » Summa est : Quemadmodum lux omnis, dies omnis, annus omnis a sole est; et tamen dies die, annus anno illustrior ac pulchrior; (Dei enim sapientia discrimina vit dies, et alios quidem in festos consecravit, alios instituit ad numerum tantum, et ad implendum mensium annorumque curriculum) ita homines ab una terra orti, disponente Deo, alii aliis clariores. Hæc summa usque ad ỳ 15. Jam singula perpendamus.

« Quare dies diem..... annus annum : » cum sint omnes « a sole. » Annos quoque aliis alios antepositos Vulgata commemorat : nec absurde; est enim annus jubilæus singularis inter annos dignitatis. Gr. Quare dies diem superat, et (tamen) omne lumen diei anni (seu per annum) a sole ?

8 « A Domini scientia : » sapientia.

9 « Dies festos ipsorum : » inter ipsos. « Ad horam : » suo tempore.

10 « Magnificavit : » sanctificavit : Gr.

11 « In multitudine disciplinæ : » doctrinæ et sapientiæ.

12 « Ex ipsi sanctificavit, et ad se applicavit : » suo ministerio consecravit levitas et Aaronis familiam. « Ex ipsis maledixit, et humiliavit : » ademit sacerdotium familiæ Heli, et transtulit ab Abiathar, ad Sadoc. I. Reg. II. III. III. Reg. II. 27, 35. « Convertit illos a separatione ipsorum : » abstulit honores quibus a cæteris separati erant. Gr. Avertit sive dejecit illos a statione ipsorum, sicut de Sobna dictum : « Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. » Is. XXII. 19. quod cum fiat pro imperio ac potestate summa, fit tamen recto justoque judicio, ỳ 13, 14.

15 « Contra malum bonum est : » humana contrariis constant : neque purum bonum, malumque inest rebus : « duo et duo, » omnia gemina, ac velut bina procedunt : « sed unum contra unum : » quæque res habet adversarium, ut veluti civili bello conficere se adversa videantur; sed Deus res temperat, et stare orbem jubet. Vide infra XLII. 24.

Et ego novissimus evigilavi.

16. Et ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vindemiatores.

In Gr. Cap. xxx, v. 16.

Quasi qui colligit acinos post vindemiatores :

In benedictione Domini perveni : et quasi qui vindemiat, replevi torcular.

17. In benedictione Dei et ipse speravi : et quasi qui vindemiat, replevi torcular.

Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.

18. Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.

Audite me, magnates populi; et rectores ecclesiæ, auribus percipite.

19. Audite me, magnates, et omnes populi, et rectores ecclesiæ, auribus percipite.

Filio et mulieri, fratri et amico non des potestatem super te in vita tua : et non dederis aliis pecunias tuas ; ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis.

20 Filio et mulieri, fratri et amico non des potestatem super te in vita tua : et non dederis alii possessionem tuam; ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis.

Dum adhuc superes, et spiratio in te, ne alienes te ipsum omni carni.

21. Dum adhuc superes et aspiras, non immutabit te omnis caro.

Melius est enim, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

22. Melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

In omnibus operibus tuis præcellens esto.

23. In omnibus operibus tuis præcellens esto.

Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus, distribue hæreditatem tuam.

24. Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui, distribue hæreditatem tuam.

DE SERVIS.

Pabula, et virga, et onera asino : panis, et disciplina, et opus servo.

25. Cibaria, et virga, et onus asino : panis, et disciplina, et opus servo.

Operare in puero, et invenies re-

26. Operatur in disciplina et quæ-

16 « Et ego. » Solent sacri sententiarum auctores harum cursum abrumpere insertis adhortationibus ad animos excitandos : maxime ubi grandiora vel utiliora prompturi sunt : sic Salomon, sic Sapientiæ auctor, ad quorum exemplum hunc sermonem instituit Ecclesiasticus. « Novissimus » sapientum « evigilavi : » posteaquam Israelitæ a colligendis majorum sententiis diutissime cessarunt. « Quasi qui colligit acinos post vindemiatores. » Ita, ego post Salomonem, post Agur, post alios magistros, quorum sententias Ezechiæ tempore collegerunt; Prov. xxv. 1. xxx. 1. vindemiæ uberrimæ collegi reliquias, haud minore copia atque illi, qui vineam primi messuerunt : ỳ 17.

20 « Et mulieri : » uxori. « Possessionem tuam : » res tuas, Gr. « Et depreceris pro illis : » rebus scilicet tuis in tua egestate suppliciter repetendis.

21 « Non immutabit te omnis caro : » Gr. Ne commutaveris te omni carni, ne te cuiquam homini vendideris, addixeris.

22 « Respicere in manus : » tanquam dona expectantem, atque inde suspensum.

24 « In die consummationis : » ex antecedentibus : serva res tuas quandiu vivis, testamento relicturus eas cui oportuerit.

25 « Cibaria : » in Gr. titulus : de servis. « Cibaria..... asino : » ne tamen servos habeas, pro mutis animantibus, docebit ỳ 31.

26 « Operatur in disciplina : » servus opere exercitus, quærit requiem tantum ; remissis autem manibus, sive otiosus, quærit libertatem sive licentiam. Gr. Operare in puero sive servo (admove illum operi :) et invenies requiem.

quiem : laxa manus illi, et quæret libertatem.

Jugum et lorum curvabunt collum :

Et servo malefico torturæ, et tormenta. Mitte illum in operationem, ne vacet.

Multam enim malitiam docuit otiositas.

In opera constitue illum, prout condecet illum. Quod si non obaudierit, aggrava pedes ejus ; et non amplifices super omnem carnem : et sine judicio nihil facias.

Si est tibi servus, sic sicut tu : quoniam in sanguine comparasti eum. Si est tibi servus, tracta eum sicut teipsum : quoniam tanquam anima tua, egebis eo.

Si afflixeris eum, et tollens aufugiat.

In qua via quæres illum ?

rit requiescere : laxa manus illi, et quærit libertatem.

27. Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ.

28. Servo malevolo tortura et compedes : mitte illum in operationem ne vacet.

29. Multam enim malitiam docuit otiositas.

30. In opera constitue eum : sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus ; et non amplifices super omnem carnem : verum sine judicio nihil facias grave.

31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta : quoniam in sanguine animæ comparasti illum.

32. Si læseris eum injuste, in fugam convertetur :

33. Et si extollens discesserit, quem quæras, et in qua via quæras illum nescis.

CAP. XXXIV. Somnia : divinationes, ad 8. vera prævisio futurorum ex lege ac promissis : ex experimentis et sapientum consilio, 8. et seq. spes in Deum, 15 et seq. Auctoris gravia pericula, 12, 13. De oblationibus. 21 et seq. ex iniquo et substantia pauperum, ibid. oppressores pauperum, 25, 26. uno animo agendum, 28, 29. ne in peccata recidas, 30, 31.

s. v. — *In Gr. Caput* XXXI.

Vanæ spes, et mendaces viro insensato : et somnia volare faciunt imprudentes.

Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic qui attendit somniis.

Hoc juxta hoc, visio somniorum : ante faciem similitudo facici.

v. v.

v. v. — 1. Vana spes, et mandacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentes.

2. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.

3. Hoc secundum hoc visio somniorum : ante faciem hominis similitudo hominis.

30 « Curva illum compedibus : » Gr. aggrava pedes ejus ; ne tamen plus æquo sævias, subdit : « non amplifices » (ne multiplices plagas. Gr. ne sis nimius) « super omnem carnem : » ne sis immisericors adversus omnem hominem, etiam servum.

31 « Sicut anima tua ; » sicut tu, Gr. « Quasi fratrem : » sicut teipsum, Gr. « In sanguine animæ : » in sanguine, Gr. Alludit ad originem servitutis : primi enim servi, bello capti ; sive etiam quod empti grandi pecunia, quæ familiam tuam sic vegetat, ut sanguis ipsum corpus : sive, ut addit Græcus, tracta eum sicut teipsum, quoniam tanquam anima tua, egebis illo.

33 « Si extollens discesserit : » si tollens, sive rapiens aliquid, aufugerit. »

1 « Extollunt : » Gr. ad verbum : volare faciunt (dant pennas :) eodem sensu : animos adduunt, facilia fingunt omnia. Alludit ad eos qui se pennatos somniant, et in sublime raptos.

3 « Hoc secundum hoc. » Sic se habet somnium, nihil aliud est quam homini exhibita hominis similitudo mendax, atque « ante faciem : » tanquam in speculo : » similitudo facici, » Gr.

Ab immundo quid mundabitur? et a falso quid verum erit?

Divinationes, et auguria, et somnia vana sunt:

Et sicut parturientis, cor phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerint missa in visitatione; ne dederis ad illa cor tuum.

Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.

Sine mendacio consummabitur lex, et sapientia ori fideli perfectio.

Vir eruditus novit multa: et qui multa expertus est, enarrabit intellectum.

Qui non est expertus, pauca novit: qui autem vagatus est, multiplicabit astutiam.

Multa vidi in circumerratione mea: et plura verborum meorum, intellectus meus.

Sæpe usque ad mortem periclitatus sum; et salvatus sum horum gratia.

Spiritus timentium Dominum vivet:

4. Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur?

5. Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est.

6. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum.

7. Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.

8. Sine mendacio consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur.

9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: at qui multa didicit, enarrabit intellectum.

10. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.

11. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.

12. Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines.

13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa; et liberatus sum gratia Dei.

14. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur.

4 « A mendace: » a falso, Gr. a somnio, quod nihil nisi mendacium est.

6 « Sicut parturientis. » Mulieres gestantes uterum, quibus, quamque vehementibus phantasiis perturbentur, notum est.

8 « Sine mendacio. » Quasi diceret: recurre potius ad legem verbumque divinum, ubi incorrupta veritas, ubi per certa promissa, vera et utilis cognito futurorum, quemadmodum Isaiæ VIII. 19, 20. « Et cum dixerint: Quærite a pythonibus et a divinis ... ad legem magis et ad testimonium, » sive oraculum, quale a Deo vero mitti solet. « Et sapientia in ore fidelis complanabitur: » plana et aperta fiet, Gr. perfectio (erit:) ad perfectum deducetur. Sensus est: si futura investiganda sunt, præter legem divinam, observari posse virorum sapientium provida consilia et præsecias conjecturas, ut docent seq.

10 « Qui in multis factus est. » Gr. qui multum peregrinatus est: per multas regiones:

Qui mores hominum multorum vidit, et urbes.

unde ℣ 12, « Multa vidi errando: » peregrinando. « Multiplicat malitiam: » sive ut Gr. astutiam.

11 « Qui tentatus.... qui implanatus: » gemina versio 9 et 10. cujus hic erit sensus. qui deceptus est fit astutior, atque etiam fit nequior, animo per hominum corruptelas a sinceritate ac simplicitate deflexo.

12 « Plurimas verborum consuetudines: » agendique rationes: hebraica phrasi, verba pro rebus. Gr. planior: multa vidi circumerrando (peregrinando): et plura verborum meorum intellectus meus, quæ doceo, ea plerumque experimento vera comperi.

13 « Usque ad mortem: » vide cap. LI. 3. et seq. « Gratia Dei: » Gr. servatus sum horum gratia: non per somnia et divinationes, de quibus ab initio capitis, sed per legem et timorem Dei, ac præcepta quæ nunc trado, sæpe ipse servatus sum.

14 « Spiritus timentium Deum quæritur: » vivet, Gr. *dzètèsètai* pro *zèsètai*, vivet.

Spes enim illorum in salvantem illos.

Qui timet Dominum, non trepidabit, et non pavebit : quoniam ipse est spes ejus.

Timentis Dominum beata est anima :

Cui attendit? et quis est fortitudo ejus?

Oculi Domini super diligentes eum, protectio potentiæ, et firmamentum virtutis : tegmen ab ardore, et tegmen a meridie :

Custodia ab offensione, et adjutorium a casu : exaltans animam, et illuminans oculum, dans sanitatem, vitam, et benedictionem.

Immolantis ex iniquo oblatio subsannata : et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum.

Oblationes impiorum non probat Altissimus : neque in multitudine sacrificiorum propiciatur peccatis.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperum; victimat filium in conspectu patris sui.

Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illam, homo sanguinum est.

Qui offert victum, occidit proximum :

Et qui fraudat mercedem mercenarii, effundit sanguinem.

Unus ædificans, et unus destruens: quid proficiunt aliud, quam labores?

Unus orans, et unus maledicens : cujus vocem exaudiet Dominus?

15. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit : quoniam ipse est spes ejus.

17. Timentis Dominum beata est anima ejus :

18. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus?

19. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, et umbraculum meridiani,

20. Deprecatio offensionis, et adjutorium casus : exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.

21. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata : et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum.

22. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis et justitiæ.

23. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

24. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

25. Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.

26. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

27. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

28. Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis, nisi labor?

29. Unus orans, et unus maledicens : cujus vocem exaudiet Deus?

19 « Protector potentiæ : » sine quo nulla est potentia nostra, seu mavis, protector potens, noto hebraismo. Gr. ad verbum : protectio opposito scuto. « Firmamentum virtutis : » validum, inconcussum ; « umbraculum meridiani : » a meridie, et quavis tentatione gravi.

20 « Deprecatio : » custodia ab offensione, Græc.

21 « Maculata : » *memōmēmēnē*, a *mōmos*, probrum, macula. Gr. *memōkēmēnē*, ridicula, risu digna. « Subsannationes : » derisiones : « injustorum, » ex iniquo et rapto immolantium, Deoque illudentium.

25 « Homo sanguinis : » cædis reus.

26 « Qui aufert in sudore, » sudanti et laboranti, « panem : » seu panem sudore partum.

28—29 « Unus ædificans : unus orans : » intellige in eadem familia ; ut doceantur communi studio bene agere.

Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum : quid profecit lavatione sua?

Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum vadit, et facit eadem : orationem illius quis exaudiet, et quid profecit humiliando se?

30. Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum : qui proficit lavatio illius?

31. Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

CAP. XXXV. Pergit de oblationibus et precibus, toto capite : humilium precum vis, 21 et seq.

S. V. — *In Gr. Caput* XXXII.

Qui conservat legem, multiplicat oblationes.

Sacrificans salutare, qui attendit mandatis.

Qui retribuit gratiam, offert similaginem : et qui facit eleemosynam, offert sacrificium laudis.

Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate; et propitiatio, recedere ab injustitia.

Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

Hæc enim omnia propter mandatum.

Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis ejus est in conspectu Altissimi.

Sacrificium viri justi acceptum est : et memoria ejus non tradetur oblivioni.

In bono oculo glorifica Dominum; et non minuas primitias manuum tuarum.

In omni datu hilarem fac vultum tuum : et in exultatione sanctifica decimas.

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo inventionem manus.

V. V.

V. V. — 1. Qui conservat legem, multiplicat oblationem.

2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate.

3. Et propitiationem litare sacrificii super injustitias; et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.

4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem : et qui facit misericordiam, offert sacrificium.

5. Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate : et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.

6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt.

8. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.

9. Sacrificium justi acceptum est : et memoriam ejus non obliviscetur Dominus.

10. Bono animo gloriam redde Deo : et non minuas primitias manuum tuarum.

11. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas.

12. Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum :

30 « Qui baptizatur » (lavatur) rediens « a mortuo. »

1 « Qui conservat : » ipsa legis observatio oblationis multiplicatio est.

2 « Sacrificium salutare : » Gr. sacrificans salutaris, genit. casu : supple : oblatione, sive pro salute.

3 « Et propitiationem : » alteram versionem eamque planiorem, vide ℣ 5.

4 « Retribuet gratiam : » Gr. contra qui retribuit gratiam (benefactori) offert similaginem.

10 « Bono animo : » Gr. in bono oculo, non parco, non invido. Vide 12.

11 « In omni dato : » donatione : « hilarem fac : » Rom. XII. 8. II. Cor. IX. 7.

12 « In bono oculo : » cum Deus erga te beneficus : cum res tuas respexerit. « Adinventio

Quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi.

Ne minua de munere : non enim suscipiet :

Et non attendas sacrificio injusto : quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ.

Non accipiet personam in pauperem : et deprecationem læsi exaudiet.

Non despiciet preces pupilli ; nec viduam, si effundat loquelam.

Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio super deducentem eas?

Qui colit, in beneplacito suscipietur : et deprecatio illius usque ad nubes attinget.

Oratio humiliantis se nubes penetravit ; et donec propinquet, non revocabitur ; et non discedet donec aspiciat Altissimus.

Et judicabit juste, et faciet judicium, et Dominus non tardabit : et non habebit in illis patientiam, quousque contribulet dorsum immisericordium.

Et gentibus reddet vindictam, donec tollat multitudinem superborum, et sceptra iniquorum contribulet :

Donec reddat homini secundum actus ejus, et opera hominum secundum cogitationes eorum :

Donec judicet judicium plebis

13. Quoniam Dominus retribuens est ; et septies tantum reddet tibi.

14. Noli offere munera prava : non enim suscipiet illa.

15. Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est : et non est apud illum gloria personæ.

16. Non accipiet Dominus personam in pauperem : et deprecationem læsi exaudiet.

17. Non despiciet preces pupilli ; nec viduam, si effundat loquelam gemitus.

18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas?

19. A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum ; et Dominus exauditor non delectabitur in illis.

20. Qui adorat Deum in oblatione, suscipietur ; et deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.

21. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat.

22. Et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium : et Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum :

23. Et gentibus reddet vindictam ; donec tollat plenitudinem superborum, et sceptra iniquorum contribulet :

24. Donec reddat hominibus secundum actus suos, et secundum opera Adæ, et secundum præsumptionem illius :

25. Donec judicet judicium plebis

nem minuum : « dona ex iis quæ acquisiveris : quæ sub manu tua inveneris, phrasi usitata Levit. xiv. 21. xxv. 26, 28. et alibi passim. Læto oculo redde inventa, sive dona.

14 « Munera prava : » diminuta : vide Gr. et § 10.

15 « Gloria personæ : » Gr. *doxa*, opinio, respectus seu acceptio personæ.

20 « Qui adorat in oblatione. » Gr. cultor (Dei) etc.

21 « Oratio humiliantis se : » Gr. humilis, afflicti. « Donec propinquet, non consolabitur : » non revocabitur, *mē paraclethē* : non desistet a cursu, donec coram Deo steterit : oratio, legati instar, primum quidem, nubes penetrat : 2. non desistit donec perveniat ad Deum : 3. ubi pervenit, « non discedet, donec Altissimus respiciat. » Vide orationis improbæ et ad molestiam usque urgentis ingenium : Luc. xi. 7, 8. xviii. 5.

22 « Non elongabit : » non tardabit, Gr. « non habebit in illis patientiam : » sic Luc. xviii. 7. « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum..... et patientiam habebit in illis? Ut contribulet : » conterat : vide Græc.

23 « Plenitudinem superborum : » contumeliosorum turbam : « sceptra : « (potentiam) » iniquorum contribulet : » confringat, atterat.

24 « Adæ : » dativo casu : videtur ex Heb. vertisse ubi loco, homini, scribitur, Adæ ; sensus-

suæ : et lætificabit eos misericordia sua.

Speciosa misericordia in tempore tribulationis ejus, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

suæ : et oblectabit justos misericordia sua.

26. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

CAP. XXXVI. Oratio auctoris pro populo, et sancta civitate ab inimicis et principibus vexata, ad 20. orat etiam pro gentibus, 4 et seq. Aaronicæ familiæ dignitas, 17. De rebus subtili judicio discernendis, 20. ad finem : uxor pulchra et sapiens, ibid.

s. v. — *In Gr. Caput* XXXIII.

Miserere nostri, Domine Deus omnium, et respice.

Et immitte timorem tuum super omnes gentes.

Extolle manum tuam super gentes alienas; et videant potentiam tuam.

Sicut coram illis sanctificatus es in nobis; ita coram nobis magnificeris in illis.

Et agnoscant te, secundum quod et nos agnovimus; quoniam non est Deus præter te, Domine.

Innova signa, et immuta mirabilia :

Glorifica manum, et brachium dextrum :

Excita furorem, et effunde iram.

Aufer adversarium, et affige inimicum.

Festina tempus, et memento juramenti : et enarrentur mirabilia tua.

In ira ignis devoretur, qui salva-

v. v.

v. v. — 1. Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos; et ostende nobis lucem miserationum tuarum.

2. Et immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquiserunt te; ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnalia tua.

3. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.

4. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis; sic in conspectu nostro magnificaberis in eis,

5. Ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus; quoniam non est Deus præter te, Domine.

6. Innova signa, et immuta mirabilia.

7. Glorifica manum et brachium dextrum.

8. Excita furorem, et effunde iram.

9. Tolle adversarium, et affige inimicum.

10. Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua.

11. In ira flammæ devoretur qui

que est : reddet hominibus et cuique homini secundum opera sua : imo secundum « præsumptionem, » sive ut habet Gr. secundum cogitationem illius : arcanorum testis, neque tantum operum, sed etiam cogitationum ultor.

1 « Miserere. » Postquam egit de oblationibus et precibus, ipse ad orandum se convertit. « Deus omnium : » eo quod pro gentibus quoque precaturus sit ; et congruit locus, cum de persecutione gentium sit acturus; qua occasione de gentium conversione vaticinari videtur : quem spiritum magis magisque effundebat Deus, accedente Christi tempore, in quo benedicendæ erant gentes. Vide v. 3, 4, 5.

6 « Immuta, » itera, « mirabilia. »

10 « Festina tempus : » accelera : quod est gravia et extrema patientium. « Memento finis : » rem cito deducas ad exitum. Gr memento juramenti : (pactique ac jurati cum populo tuo fœderis.) Hæc ad quod tempus pertineant, per historias liquet. Sane soluta captivitate Babylonica per Cyrum, Judæi alta pace potiti sunt sub Persarum regibus, sub Alexandro magno, sub Macedonibus; neque unquam causa religionis invisi, nisi sub Antiocho Epiphane orta vexatione ea de qua in Præfatione divinus; et tamen hic nonnihil annotari e re erat.

11 « Qui salvatur : » si quis hostium incolumis ab hominibus abeat, cum tu iræ tuæ flamma corripe.

tur : et qui pessimant plebem tuam, invenient perditionem.

Contere capita principum inimicorum, dicentium : Non est præter nos.

Congrega omnes tribus Jacob :

IN GR. CAPUT XXXVI. V. 16.

Et hæreditavi eos, sicut ab initio.

Miserere plebi, Domine, vocatæ in nomine tuo ; et Israel, quem primogenito assimilasti.

Miserere civitati sanctificationis tuæ, Jerusalem, civitati requiei tuæ.

Reple Sion ad extollenda eloquia tua, et a gloria tua populum tuum.

Da testimonium iis qui ab initio creaturæ tuæ sunt : et suscita prophetias, quæ in nomine tuo.

Da mercedem sustinentibus te : et prophetæ tui fideles inveniantur.

salvatur : et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem.

12. Contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos.

13. Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua : et hæreditabis eos, sicut ab initio.

14. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum ; et Israel quem coæquasti primogenito tuo.

15. Miserere civitati sanctificationis tuæ, Jerusalem, civitati requiei tuæ.

16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum.

17. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt : et suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.

18. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum,

12 « Principum : » Syriæ, quorum regno attributi : « inimicorum » nostrorum se gerentium pro diis, ac supra omne numen sese efferentium ; unde sequitur : atque « dicentium : Non est alius præter nos : » cui Judæi serviant ut diis ac regibus. Vide infra, LI. ac præsertim ℣ 7, 12, 14. Congruunt verba superba quæ passim invenias in Machabaicis : et vaticinia Danielis de Antiocho Epiphane, VII. 25. VIII. 25. XI. 36. etc. Cæterum Ægyptii reges Macedonici benevoli adversus Judæos fuere, et a Ptolemæo quidem Lagi filio capta Jerosolyma, amplificandi imperii causa, nullo gentis odio, cum captivis benefecerit, et ad militiæ honores evectis regnum tuendum tradiderit. Ptolemæus Philadelphus ejus filius, quantum piæ genti faverit, notum, cujus quippe temporibus acciti LXX. seniores ; judaica religio summo honori fuerit. Ac Ptolomæus quidem Evergetes hujus nominis primus Philadelphi filius multa licet comminatus, quod Onias II. consuetum tributum denegasset, a Josepho tamen Tobiæ filis Jerosolymita, usque adeo delinitus, ut sancta gens nusquam clarior haberetur ; neque secuti reges ab ea sententia recesserunt ; nam quod de Ptolemæo Philopatore in tertio Machabaico refertur, minus potius et conatum quam persecutionem fuisse, et in Præfatione notavimus, et ad cap. L. copiosior erit dicendi locus.

13 « Congrega omnes tribus : » persecutione dispersas. Hic in Gr. insertus est ℣ 27. cap. XXX. de conviviis, alienissimo loco, ut res ipsa demonstrat : ex quo liquet in Græcis potius quam in Latinis ordinem perturbatum.

14 « Miserere. » Continuatio hujus precationis invenitur in Gr. cap. XXXVI. 16. usque ad 20. Ex quo etiam confirmatur in Gr. perturbatum fuisse ordinem, cum non constet precationis illius series. « Quem coæquasti, » sive assimilasti, Gr. « primogenito tuo : » quem primogeniti honore donasti.

15 « Civitati sanctificationis tuæ » in (qua est templum tuum) « Jerusalem. » Hæc indicant vexationem, quam hic deprecatur, maxime incubuisse in Jerusalem et templum : quod revera factum sub Seleuco Philopatore et Antiocho Epiphane ejus filio, nec alias usquam. Vide Præfat.

17 « Creaturæ tuæ sunt : » nominandi casu : Gr. creaturis tuis ab initio : priscis temporibus : jam inde ab Abrahamo, seu mavis, ex Semo cui benedixit Dominus præ cæteris fratribus : Gen. IX. 26, 27. non sicut Chanaan, qui ab illo initio maledictus : ibid. 25. « Prædicationes : » an prædictiones ? Gr. Suscita prophetias Danielis, Zachariæ, Isaiæ quoque et aliorum de Machabaicis victoriis, deque Syriæ regibus conterendis.

Exaudi, Domine, orationem supplicum tuorum, secundum benedictionem Aaron de populo tuo. Et scient omnes qui super terram, quia tu Dominus es Deus seculorum.

Omnem escam manducabit venter; est autem cibus cibo melior.

Fauces gustant cibos venationis: sic cor sensatum verba mendacia.

Cor pravum dabit tristitiam: et homo peritus retribuet ei.

Omnem masculum excipiet mulier: est autem filia melior filia.

Species mulieris exhilarat faciem, et super omnem concupiscentiam hominis superducit.

Si est in lingua ejus misericordia et mansuetudo; non est vir illius secundum filios hominum.

Qui possidet mulierem, inchoat

17. Secundum benedictionem Aaron de populo tuo; et dirige nos in viam justitiæ: et sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspector seculorum.

10. Omnem escam manducabit venter; et est cibus cibo melior.

21. Fauces contingunt cibum feræ; et cor sensatum verba mendacia.

22. Cor pravum dabit tristitiam; et homo peritus resistet illi.

23. Omnem masculum excipiet mulier: et est filia melior filia.

24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.

25. Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum.

26. Qui possidet mulierem bonam,

19 « Secundum benedictionem Aaron. » Postulat ut permaneat apud Israelitas verum ac legitimum sacerdotium: non quale erat tunc sub Antiocho Epiphane, venale, atque infandis sacerdotibus Jasoni, ac Menelao pretio prostitutum, pulso Onia III. legitimo ac sanctissimo pontifice, ut habes II. Mach. IV. 8, 23. Et Jason quidem Oniæ frater ac de Aaronis genere: Menelaus vero cui etiam nomen Oniæ fuisse Josephus memorat, frater Simonis Benjaminitæ, II. Mach. III. 4. IV. 23. Non ergo ab Aaronis stirpe, nedum Oniæ III. frater, quidquid dicat Josephus: Origin. XII. 6. nam quod aiunt: ideo dictum Simonis illius Benjaminitæ fratrem, quod ejus sororem duxerit, cæterum Oniæ III. et Jasonis germanum fuisse; gratis dicitur, nec historiæ sacræ congruit: si enim ejus Oniæ atque Jasonis frater fuisset. Machabaica historia non de eo sic scriberet: « Misit Jason Menelaum supradicti Simonis (Benjaminitæ) fratrem: » sed suum et Oniæ III ac de Menelao, ut de Jasone diceret, quod « proprium fratrem captivaverat, » II. Machab. IV. 23, 26. cumque iste Menelaus Oniam III. etiam occiderit, quanto magis memoraret eumdem parricidam, ac proprii fratris interfectorem fuisse? de quo tamen reticet: ibid. 34. neque quidquam aliud de Menelai stirpe memorat, nisi eum Simonis Benjaminitæ esse fratrem; quo satis ostendit a sacerdotali genere alienum, uti prædiximus. Cujus etiam loco Lysimachus ejus frater pontificatum accepit, Onia III. adhuc superstite: ibid. 29. quarum corruptelarum occasione, cum eas in hæc tempora incidisse demonstratum a nobis sit, Ecclesiasticus hic et infra XLV. 31. Aaronicæ familiæ dignitatem, et pontificiæ successionis ordinem commendat. De his autem, deque Josepho hic non semper audiendo, vide Præt. Atque hic precatio desinit: jam aliæ sententiæ.

20 « Omnem escam.... cibus cibo melior. » Dicturus de rebus subtili judicio discernendis, hinc incipit; sicut cibos a cibis, ita cogitationes a cogitationibus quodam gustu secernendas, quod sequenti congruit.

21 « Fauces contingunt: » guttur gustat ferinam, gustandoque discernit ab alia quavis esca; ita « et cor sensatum. »

22 « Homo peritus: » multa expertus.

23 « Omnem masculum: » in mulieribus idem sexus, sed tamen delectus est virginum, quo magis necesse est discretione uti.

24 — 25 « Species mulieris.... si est lingua curationis: » Gr. si linguæ illius (mulieris) inest misericordia et mansuetudo, « non est vir illius, etc. » Sensus est: muliebris quidam formæ cupiditas omnem aliam hominis cupiditatem supergreditur; sed si accedet linguæ verborumque lenitas, vir ejus communi hominum conditioni eximendus. Quæ etsi intricatiora in interpretatione latina, huc tamen haud incommode trahi possunt. « Lingua curationis: » quæ vitia emendet verbis sapientibus, ac lenitate sanet animi ægritudinem.

26 « Qui possidet.... inchoat possessionem. » Initium omnis bonæ possessionis est bonam mulierem possidere; inde ordiendum ei qui dives esse vult. « Adjutorium secundum illum est: »

possessionem, adjutricem secundum se, et columnam requietis.

Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est mulier, ingemiscet errans.

Quis enim credet succincto latroni erranti de civitate in civitatem? sic homini non habenti nidum, et deflectenti ubicumque obscuraverit.

inchoat possessionem : adjutorium secundum illum est, et columna ut requies.

27. Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est mulier, ingemiscit egens.

28. Quis credit ei, qui non habet nidum, et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?

CAP. XXXVII. De veris falsisque amicis et conciliariis dignoscendis, ad 19. a quo petenda consilia ; 12. Deus imprimis consulendus, 19. ratio antecedat actus. 20. veri falsique sapientes, 22 et seq. quisque se probet, 30, 31. ut a cibis, sic a voluptatibus temperandum, 32, 33, 34.

S. V. — Omnis amicus dicet, Et ego cum illo amicitiam copulavi : sed est amicus solo nomine amicus.

Nonne tristitia inest usque ad mortem, sodalis et amicus convertens se ad inimicitiam?

O præsumptio nequissima, unde devoluta es cooperire aridam in dolositate?

Sodalis amico conjucundatur in oblectatione : et in tempore tribulationis contrarius erit.

Sodalis amico condolet causa ventris : contra bellum accipiet scutum.

Ne obliviscaris amici in animo tuo: et non immemor sis illius in opibus tuis.

Omnis consiliarius extollit consilium : sed est, qui consulit sibi ipsi.

V. V. — 1. Omnis amicus dicet : Et ego amicitiam copulavi : sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem?

2. Sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur.

3. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia et dolositate illius?

4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus : et in tempore tribulationis adversarius erit.

5. Sodalis amico condolet causa ventris : et contra hostem accipiet scutum.

6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis.

7. Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium.

8. Omnis consiliarius prodit consilium : sed est consiliarius in semetipso.

simile sibi. Gen. II. 18. congruum, suoque animo consentaneum. « Columna ut requies : » columna (et firmamentum) quietis, Gr.

27 « Ingemiscit egens : » erro, Gr. in tuto exceptus loco : ut patet ex seq.

28 « Quis credit : » clarius Gr. Quis credit succincto latroni exerranti de urbe in urbem ? sic (neque creditur) homini non habenti nidum (hoc est familiam) ac solventi (equum vel currum) ubicumque advesperasset, ubicumque nox oppresserit : quod Vulgatus vertit, ubicumque obscuraverit : significat autem in vulgari vita ac veteris testamenti conditione, viro bono habendum esse lectulum, ac fidam lectuli consortem, neque quolibet divertendum.

1 « Est amicus solo nomine : » et hoc de dignoscendis amicis ad discernendi judicium pertinet, qua de re agi diximus a superioris capitis ℣ 20.

2 « Sodalis et amicus : » Græc. sic nectit : nonne tristitia intus, usque ad mortem, sodalis et amicus convertens se ad inimicitiam?

3 « O præsumptio : » Gr. o cogitatio prava, unde (quo fonte) devoluta es, ut operires aridam (sive terram) dolis ? (rupto amicitiæ fœdere, ac subdolis invectis amicitiis.)

5 « Condolet, » sive collaborat, Gr. « Contra hostem accipiet scutum : » specie ut amicum tractatur, revera ut ventri suo consulat.

7 « Noli consiliari : » hunc ℣. Gr. transtulit post 11. « A zelantibus te : » ab æmulis tuis.

8 « Omnis consiliarius » talis) « prodit consilium : » Gr. planior : omnis consiliarius

A consiliario serva animam tuam: et scito prius quæ sit illius necessitas : etenim ipse sibi consulet :

Ne forte mittat super te sortem, et dicat tibi :

Bona est via tua : et stabit e contrario videre quid tibi eveniat.

Noli consiliari cum eo, qui te suspectum habet; et a zelantibus te absconde consilium :

Cum muliere, de æmula ejus; et cum timido, de bello; cum negotiatore, de permutatione; et cum emptore, de venditione; cum invido, de gratiis reddendis;

Et cum immisericorde, de beneficentia; cum pigro, de omni opere;

Et cum mercenario domestico, de consummatione; servo pigro, de multa operatione; non attendas his de omni consilio.

Sed cum viro sancto assiduus esto, quem cognoveris observantem mandata :

Qui in anima sua est secundum animam tuam : et si cecideris, condolebit tibi.

Et consilium cordis statue : non est enim tibi fidelior ipso.

Anima enim viri annuntiare in-

9. A consiliario serva animam tuam : prius scito quæ sit illius necessitas : et ipse enim animo suo cogitabit :

10. Ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi :

11. Bona est via tua : et stet e contrario videre quid tibi eveniat.

12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate; et cum injusto de justitia; et cum muliere, de ea quæ æmulatur; cum timido, de bello; cum negotiatore, de trajectione; cum emptore de venditione; cum viro livido, de gratiis agendis;

13. Cum impio, de pietate; cum inhonesto, de honestate; cum operario agrario, de omni opere;

14. Cum operario annuali, de consummatione anni; cum servo pigro de multa operatione : non attendas his in omni consilio.

15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei;

16. Cujus anima est secundum animam tuam; et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

17. Cor boni consilii statue tecum : non est enim tibi aliud pluris illo.

18. Anima viri sancti enuntiat

effert (jactat) consilium; « sed est consiliarius » in semetipsum : quod Vulg. vertit « in semetipso : » est qui consulat sibi.

9 « A consiliario.... scito quæ necessitas, » sive utilitas. Ne petas consilium, nec arcana tua prodas sine necessitate. « Ipse enim animo suo cogitabit : » Gr. sibi consulet.

10 « Ne forte mittat sudem in terram : » offendiculum aliquod : quod sequentibus verbis congruit : Gr. sortem super te. Grotius conjicit pro *kléron* sortem, reponendum *skléron* durum quid, in quod impingat : quod Vulgatus verterit, sudem.

12 « Cum viro irreligioso : » aperte excidit negatio quæ habetur in Græc. subdit enim § 14. « Non attendas his in omni consilio. » Sic ergo habet Græcus : Ne tractaveris cum eo qui te suspectum habeat, et ab æmulis tuis absconde consilium; cum uxore, de æmula ejus; cum timido, de bello : quisque enim consulet secundum ingenium ac rationes suas. Jam ad singula. « Cum negotiatore de trajectione : » de convectendæ mercis pretio : Græc. de permutatione, seu rebus permutandis.

13 « Cum impio, de pietate : » cujus loco, Gr. cum immisericorde de beneficentia. « Cum operario agrario de omni opere » in agris faciendo, de arando, de metendo : Gr. cum pigro de omni opere : abhorrebit enim ac dissuadebit, aut laborem pluris æstimabit.

14 « Cum operario annuali : » cum mercenario conducto ad certum tempus de præstituto operi fine : Gr. cum mercenario domestico de consummatione (sive fine operis :) is enim in longum extrahet opus, ex quo sibi lucrum pariat, aut continuandum suadebit.

15 « Timorem : » Gr. mandatum : « Dei. »

17 « Cor boni consilii : » sive ut habet Gr. consilium cordis statue tibi, quoad fieri potest, cape consilium ex te ipso. « Pluris illo : » fidelior, Gr. quod sequentia firmant.

18 « Anima viri : » suus cuique animus « enuntiat « plus » quam septem circumspectores » Vulgata merito addit, « sancti : » optimus enim eris tibi consiliarius, si sanctus sis, et vigili adversus cupiditates animo.

terdum consuevit magis, quam septem circumspectores sedentes in excelso super speculam.

Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

Principium omnis operis verbum: et ante omnem actum, consilium.

Vestigium mutationis cordis. Quatuor partes oriuntur, bonum et malum, vita et mors: et dominatrix assidue illorum est lingua.

Est vir astutus, et multorum eruditor; et animæ propriæ inutilis est.

Est qui sapientiam ostentat in sermonibus odibilis: hic omni alimento defraudabitur.

Non est enim data illi a Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est.

Est sapiens animæ suæ: et fructus sensus illius in ore fideles.

Vir sapiens plebem suam erudiet: et fructus sensus illius fideles sunt.

Vir sapiens implebitur benedictione; et beatificabunt illum omnes qui vident.

Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles sunt.

aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

19. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

20. Ante omnia opera verbum verax præcedat te; et ante omnem actum consilium stabile.

21. Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors: et dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, et animæ suæ inutilis est.

22. Vir peritus multos erudivit, et animæ suæ suavis est.

23. Qui sophistice loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur.

24. Non est illi data a Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est.

25. Est sapiens animæ suæ sapiens: et fructus sensus illius laudabilis.

26. Vir sapiens plebem suam erudit: et fructus sensus illius fideles sunt.

27. Vir sapiens implebitur benedictionibus; et videntes illum laudabunt.

28. Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles sunt.

19 « Et in his omnibus : » cum omnia ex his præceptis prudenter institueris, adhuc « deprecare Altissimum. »

20 « Ante omnia opera : » planus sensus, ut antequam quidquam agas, vera monearis. At Gr. initium operis verbum, seu potius ratio; eo quod necesse sit tractare et cogitare antequam agas.

21 « Verbum nequam » (ab aliis prolatum alicui) « immutabit cor » illius : hinc enim ingeneratur ejus animo suspicio : ex qua « in partes quatuor » sese dividit animus, atque incipit dubitare in quovis negotio, an sit « bonum malumve, » seu commodum an noxium : peccatum an recte factum, sive usitata phrasi, « vita et mors : » his enim quatuor vita humana vertitur. At Gr. vestigium mutationis cordis : sive hæc sunt quibus perspicere possis animum cujusque immutatum; si intellexeris ex aliquo negotio aliquid cuique noxium aut commodum, recte aut male factum secuturum. « Et dominatrix illorum : » his rebus imperat sermo assiduus, ut facile conjectare possis quo cujusque animus inclinaturus sit, si attenderis quibuscum assidue colloquatur : hinc enim vel maxime afficitur animus.

23 « Qui sophistice loquitur : » qui argute, non candide : melius ex Gr. qui sapientem se facit, sapientiam ostentat. « Omni re : » alimento : Gr. « defraudabitur : » carebit, privabitur; cujus rei causa est id quod sequitur : nempe quod invisus, et omnia callide machinari visus, sibi relinquatur.

25 « Est sapiens animæ suæ, » sibi ipsi utilis, non ut ille multa monens alios, « animæ suæ inutilis : » de quo agitur ℣ 21.

28 « Vita viri : » ne te ipsum respexeris tam brevis ævi futurum, sed rempublicam, quæ est immortalis; apud quam « nomen tuum in æternum vivet, » ℣ 29.

Sapiens in populo suo hæreditabit fidem : et nomen ejus vivet in æternum.

Fili, in vita tua tenta animam tuam : et vide quid malum ei, et non des ei :

Non enim omnia omnibus expediunt : et non omni animæ omnia placent.

Noli esse insatiabilis in omnibus deliciis : et non te effundas super epulas.

In multis enim escis erit labor : et insatiabilitas appropinquabit usque ad choleram.

Propter edacitatem multi obierunt : qui autem attendit, adjiciet vitam.

29. Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum.

30. Fili, in vita tua tenta animam tuam : et si fuerit nequam, non des illi potestatem :

31. Non enim omnia omnibus expediunt : et non omni animæ omne genus placet.

32. Noli avidus esse in omni epulatione : et non te effundas super omnem escam ;

33. In multis enim escis erit infirmitas : et aviditas appropinquabit usque ad choleram.

34. Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

CAP. XXXVIII. De medicis ac medicina : eaque occasione de morbis et morte, ad 25. pro ægro oret medicus, 14. mortui ut lugendi, 16, et seq. et quid in funeribus cogitandum, 23, 24. Sapientia postulat otium, 25. qua occasione de artium occupationibus ac primum de agricultura, et aliis, 26, ad finem : dum laborent, Deum legemque recogitent, 39.

s. v. — Honora medicum ad necessitates, honoribus illius : nam et illum creavit Dominus.

Ab Altissimo enim est medela; et a rege accipiet donationem.

Scientia medici exaltabit caput illius; et in conspectu magnatorum suspicietur.

Dominus creavit de terra medicamenta : et vir prudens non abhorrebit illa.

Nonne a ligno indulcata est aqua :

Ut cognosceretur virtus illius ? et ipse dedit hominibus scientiam, ut glorificaretur in mirabilibus suis.

In his curavit, et abstulit dolorem ejus. Unguentarius in his faciet misturam : et non consummabit opera sua.

v. v. — 1. Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus.

2. A Deo est enim omnis medela, et a rege accipiet donationem.

3. Disciplina medici exaltabit caput illius : et in conspectu magnatorum collaudabitur.

4. Altissimus creavit de terra medicamenta : et vir prudens non abhorrebit illa.

5. Nonne a ligno indulcata est aqua amara ?

6. Ad agnitionem hominum virtus illorum ; et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.

7. In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis ; et non consummabuntur opera ejus.

30 « Tenta animam tuam : » quod est, nosce teipsum : « et si fuerit nequam ; » si in malum propendere videris, ne permitte eam sibi.

33 « Usque ad choleram : » torsiones ex bile et cholera ortas. Allegorice ; ut a nimiis epulis, ita a nimiis voluptatibus abstinendum.

1 « Honora medicum : » quod etiam complectitur mercedem honorariam, ejus arti curæque debitam ; quo sensu dicitur : « Honora Dominum de tua substantia. » Prov. III. 9. atque etiam, « Honora patrem et matrem. » Matth. XV. 4, 5, 6.

5 « Nonne a ligno : » quod est documento inditas virtutes arboribus, sive natura, sive supra naturam.

6 « Virtus illorum : » medicamentorum de quibus ℣ 4. Græc. illius : ligni, de quo ℣ 5.

7 « Pigmenta : » misturam, Gr. « et non consummabuntur : » nullum finem habebunt

Et pax ab illo est super faciem
ræ.

Fili, in infirmitate tua non despicias; sed ora Dominum, et ipse curabit te.

Amove delictum, et dirige manus, et ab omni peccato munda cor.

Da suavitatem odoris, et memoriale similaginis, et impingua oblationem : quasi non sis. Et da locum medico :

Nam et illum Dominus creavit : et non discedat a te ; nam et ipso opus est.

Est tempus, cum et in manibus eorum suavitas odoris.

Nam et ipsi Dominum deprecabuntur, ut dirigat ipsis requiem et sanationem, propter restituendam valetudinem.

Qui peccat contra eum qui fecit eum, incidat in manus medici.

Fili, super mortuum deduc lacrymas : et quasi dira passus, incipe ploratum : et secundum judicium ejus contege corpus illius ; et non despicias sepulturam illius.

Amarum fac ploratum : et calefac planctum ;

Et fac luctum secundum dignitatem ejus, uno die, vel duobus, propter detractionem : et admitte consolationem propter tristitiam.

8. Pax enim Dei super faciem terræ.

9. Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te.

10. Averte a delicto, et dirige manus; et ab omni delicto munda cor tuum.

11. Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem et da locum medico ;

12. Etenim illum Dominus creavit; et non discedat a te; quia opera ejus sunt necessaria.

13. Est enim tempus quando in manus illorum incurras;

14. Ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum et sanitatem, propter conversationem illorum.

15. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.

16. Fili, in mortuum produc lacrymas; et quasi dira passus, incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius; et non despicias sepulturam illius.

17. Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die; et consolare propter tristitiam.

18. Et fac luctum secundum meritum ejus, uno die, vel duobus, propter detractionem.

« opera ejus : » tot genera condimentorum pigmentorumque sunt : Gr. non consummabit ; supple, unguentarius, non ad perfectum deducet, et tamen exinde.

8 « Pax Dei, » favor, benevolentia ; ex qua plantæ salubres : Gr. pax ab illo : scilicet unguentario et grande adjumentum vitæ humanæ. Quidam hos versus sic jungunt : « Non consummabit : » non cessabit unguentarius, donec ab illo pax, seu valetudo tibi sit.

9 « Ora Dominum : » nec sis ut Amasias qui confisus est in arte medicorum, et non in Domino. Sic docet Ecclesiasticus declinare extrema ; neque contemnere, neque pluris quam oporteat, facere artem medicam.

10 « Dirige manus : » opera tua fac recta. Docet unde esse debeat initium procurandi morbi, nempe a procurando peccato ; quo etiam pertinet sequens.

11 « Da suavitatem : » da sacrificium boni odoris : « memoriam : » memoriale : « similaginis : » in sacrificio adhiberi solitæ : « impingua oblationem : » Gr. addit : quasi non sis ; quasi in extremo vitæ, ac statim moriturus, nisi Deum placaveris.

13 « In manus illorum incurras : » ideo non contemnendus a sanis, ut fit : Gr. hic et Latinus, ℣ seq. docent medicum, ut ipse quoque pro ægris deprecetur, ac victimam boni odoris offerat ; sic enim remedia melius successura.

16 « Secundum judicium » ejus : Gr. secundum dignitatem, ut ℣ 18. alii : pro more.

17 « Propter delaturam : » cum efferitur corpus.

18 « Propter detractionem : » ne quis tibi detrahat, aut dicat parce a te celebratum solemnem luctum : et tamen « consolare : » passive : funde consolabiles lacrymas.

Ex tristitia enim provenit mors : et tristitia cordis flectet virtutem.

In abductione transit et tristitia : et vita pauperis secundum corda.

Ne dederis in tristitiam cor tuum : repelle eam, memor novissimorum,

Et noli oblivisci : non est enim reditus : et huic non proderis, et teipsum pessimabis.

Memento judicii ejus ; quoniam sic, ut etiam tuum : mihi heri, et tibi hodie.

In requie mortui quiescere fac memoriam ejus ; et consolationem accipe in eo, in exitu spiritus illius.

Sapientia scribæ in opportunitate otii : et qui minoratur actu suo, sapientiam percipiet.

Quomodo sapientia replebitur qui tenet aratrum, et gloriatur in hasta stimuli, boves agitat, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum?

Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum.

Sic omnis faber, et architectus,

19. A tristitia enim festinat mors ; et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem.

20. In abductione permanet tristitia ; et substantia inopis secundum cor ejus.

21. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te ; et memento novissimorum.

22. Noli oblivisci ; neque enim est conversio, et huic nihil proderis, et teipsum pessimabis.

23. Memor esto judicii mei ; sic enim erit et tuum ; mihi heri, et tibi hodie.

24. In requie mortui requiescere fac memoriam ejus ; et consolare illum in exitu spiritus sui.

25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis ; et qui minoratur actu ; sapientiam percipiet ; qua sapientia replebitur.

26. Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum?

27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum.

28. Sic omnis faber et architec-

19 « A tristitia : » sabandi, cave tamen nimis lugeas : eo quod « a tristitia, » etc. « cooperit virtutem : » velut fluctu obruit, ac demergit omnem animi vim. « Flectit cervicem : » sub hoc velut pondere incurvatam.

20 « In abductione : » abducto cadaverè et sepulto « permanet tristitia : » hactenus permanet : *paraménei*. Nunc Gr. habet : *parabainei*, transit, clariore sensu : transit paulatim, tristitia : « et substantia, » Gr. vita « inopis secundum cor ejus : » luctu levato, vita fit lætior. Alii aliter legunt et vertunt, obscurissimo sensu.

21 « Memento novissimorum : » in aliorum funere mortem tuam cogita : hoc utile ; non autem ut te luctu conficias : alii : memento mortis quam lugendo accersas : ex antecedentibus.

22 « Noli oblivisci : » quæ moneo de moderando luctu : « neque enim est conversio : » sive reversio mortuorum, quantumvis lugeas.

23 « Memor esto : » quasi nomine mortui : « judicii mei : » legis quam subii.

24 « In requie mortui requiescere, » seu cessare, « fac memoriam ejus : » tolle luctum indefessum ex nimia recordatione : « consolare illum : » quasi diceret, adhibe solatia ægro, quandiu vivit : mortuum ne plus æquo lugeas. At Gr. consolationem accipe in exitu spiritus ejus : ne te nimio luctu conficias.

25 « Sapientia scribæ » (doctoris) « in tempore » (in opportunitate, Gr.) « vacuitatis : » otii : etium ac secessus conquirendæ sapientiæ necessaria : unde Martheæ sollicitudo increpatur, Mariæ beatissimæ ad pedes Domini laudatur quies. « Et qui minoratur actu ; » qui ab actione turbulenta ac negotiis cessat, « sapientiam percipiet : qua sapientia replebitur? » per interrogationem, aut, ut habet Gr. quomodo sapientia replebitur?

26 « Qui tenet aratrum : » qui totus in bobus est, nihil aliud aut cogitat, aut loquitur, ve aliis addictus est artibus quas enumerat a 26 ad 35. « Qui gloriatur in jaculo : » stimulo ad boves agitandos : « conversatur, » versatur, « in operibus eorum ; » is ergo quomodo sapientiæ attendat!

28 « Sic omnis faber. » Jam transit ad fabros, aliaque opera, in quibus omnis artifex « noctem tanquam diem » (laborando) « transigit ; » atque adeo nullum colendæ sapientiæ relinquit locum. « Qui sculptit signacula sculptilia : » sigillorum cælaturas. « Assiduitas ejus variat ;

qui noctem tanquam diem transigit: qui sculpunt sculpturas signaculorum, et assiduitas ejus immutare varietatem ? Cor suum dabit ad assimilandam picturam : et vigilia ejus, perficere opus.

Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et addiscens pigro ferro. Vapor ignis durabit carnes ejus, et in calore fornacis concertabit.

Vox mallei innovabit aurem ejus: et contra similitudinem vasis oculi ejus.

Cor suum dabit in consummationem operum: et vigilia ejus, ornare in perfectionem.

Sic figulus sedens ad opus suum, et convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper in opus suum; et in numero omnis operatio ejus.

In brachio suo formabit lutum: et ante pedes curvabit virtutem suam.

Cor suum dabit ut consummet linitionem; et vigilia ejus, mundare fornacem.

Omnes in manibus suis speraverunt: et unusquisque in arte sua sapiens est.

Sine ipsis non ædificabitur civitas:

Nec inhabitabunt, nec inambulabunt: et in ecclesia non transilient;

Super sellam judicis non sedebunt,

tus, qui noctem tanquam diem transigit; qui sculpit signacula sculptilia, et assiduitas ejus variat picturam; cor suum dabit in similitudinem picturæ; et vigilia sua perficiet opus.

29. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri. Vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur.

30. Vox mallei innovat aurem ejus; et contra similitudinem vasis oculus ejus:

31. Cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit in perfectionem.

32. Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum; et in numero est omnis operatio ejus.

33. In brachio suo formabit lutum: et ante pedes suos curvabit virtutem suam.

34. Cor suum dabit ut consummet linitionem; et vigilia sua mundabit fornacem.

35. Omnes hi in manibus suis speraverunt: et unusquisque in arte sua sapiens est.

36. Sine his omnibus non ædificatur civitas.

37. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt; et in ecclesiam non transilient.

38. Super sellam judicis non sede-

cor suum dabit ad similitudinem. » Duo enumerat quibus maxime sculptorum pictorumque constat industria; alterum, varietas operis; alterum, exacta ad naturam rerum expressio : vide autem quam hæc totum occupent animum : « assiduitas ejus..... » cor suum dabit.

29 « Considerans opus ferri : » artem exercens in rudi ferro; *argô*, nondum facto. Alii vertunt : pigro, duro, nec ductili aut sequace, emollitu difficili. « Concertatur : » concertabit : Gr. laborabit : vel igne adhibito, ferri rigorem tanquam certando vincet.

30 « Vox mallei innovat aurem ejus : » assiduo pulsu iterata, et innovata aurem percutit. « Contra similitudinem : » attentus exemplari vasis quod fabricat, « Ornabit in perfectionem : » opus perpoliet, et ad summum artis adducet.

32 « In numero : » in quodum numeroso motu.

35—36 « Omnes hi.... unusquisque : sapiens est.... sine his; » quasi diceret : Hæc quidem opera suam habent sapientiam, humanæ societati necessarium, infimi tamen ordinis, non rerum gubernaculis natum, ỳ 37. et seq. neque comparandam veræ sapientiæ, de qua cap. seq.

37 « Et non inhabitabunt : » orationem sic construe : sine his artibus non ædificatur civitas, ut ỳ præcedenti : « et non inhabitabunt, nec inambulabunt » homines in ea; civitate scilicet : urbes desertæ erunt, atque inhabitabiles : et tamen illi artifices quorum tanta præstantia est, « in ecclesiam, » in legitimos cœtus « non transilient : » non ad eos vocabuntur, neque ulli parti reipublicæ præerunt, ut exprimit seq.

38 « Testamentum judicii : » leges judiciorum : « et in parabolis, » arcanisque sententiis conquirendis « non invenientur; » neque in his adhibebunt operam.

et testamentum judicii non intelligent : neque palam facient justitiam et judicium : et in parabolis non invenientur.

Sed creaturam ævi confirmabunt : et deprecatio eorum in operatione artis, tantummodo accommodantis animam suam, et conquirentis in lege Altissimi.

bunt, et testamentum judicii non intelligent : neque palam facient disciplinam et judicium, et in parabolis non invenientur;

39. Sed creaturam ævi confirmabunt : et deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, et conquirentes in lege Altissimi.

CAP. XXXIX. Sapiens antiquorum gesta dictaque inquirit, 1, 2, 3. in publicis cœtibus clarescet, 4. alienas gentes peragrat, discendi et experiendi gratia, 5. mane vigilat orationis causa, 6, 7. hinc sapientia, 8. auctor instinctu divino actus, 16, 17. glorificandus Deus, 20. cui nihil mirabile, 25. opera ejus perfecta, 26. bona quoque malis male vertunt, 32. ultores spiritus, 31. creaturæ omnes ultrices scelerum, 35, 36. omnia bona præstat Dominus, sed tempore suo, 39, 40. ideo laudandus, 41.

s. v. — Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetiis vacabit.

Narrationes virorum nominatorum conservabit; et in versutias parabolarum simul introibit.

Occulta proverbiorum exquiret; et in ænigmatibus parabolarum conversabitur.

In medio magnatorum ministrabit; et in conspectu præsidis apparebit.

In terram alienigenarum gentium pertransiet : bona enim et mala in hominibus tentavit.

Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum; et in conspectu Altissimi deprecabitur.

Et aperiet os suum in oratione : et pro delictis suis deprecabitur.

Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebitur.

Ipse tanquam imbres emittet verba sapientiæ suæ; et in oratione confitebitur Domino.

Ipse dirigit consilium ejus et scien-

v. v. — 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit.

2. Narrationem virorum nominatorum conservabit; et in versutias parabolarum simul introibit.

3. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conservabitur.

4. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit.

5. In terram alienigenarum gentium pertransiet : bona enim et mala in hominibus tentabit.

6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum : et in conspectu Altissimi deprecabitur.

7. Aperiet os suum in oratione : et pro delictis suis deprecabitur.

8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum :

9. Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ; et in oratione confitebitur Domino :

10. Et ipse diriget consilium ejus

39 « Sed creaturam ævi : » res mortales, ac brevi tempore duraturas stabilient, « confirmabunt : et deprecatio ; » neque altius eorum vota pertingent, quam ut suæ artis opera præclare exequantur. Alii, interim tamen non sunt alieni a Deo, quem inter operandum invocant. « Accommodantes : » legi et ipsi auscultantes : at Gr. *plèn tou èpidontos*, præter eum, longe ab eo qui se totum dedit intelligendæ legi; quæ vera et homine digna sapientia est : de qua seq. cap. uti prædictum est.

2 « Narrationem .... versutias parabolarum : » contra ac de fabris dixerat : supra, 38.

4 « In medio : » judicibus assessor dabitur.

10 « Consiliabitur : » inde rerum agendarum consilia sumet : secundum illud Psalmi CXVIII. « Consilium meum justificationes tuæ. »

tiam, et in absconditis ejus meditabitur.

Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur.

Collaudabunt multi intelligentiam ejus : usque in seculum non delebitur.

Non recedet memoria ejus ; et nomen ejus vivet in generationes generationum.

Sapientiam ejus enarrabunt gentes ; et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

Si permanserit, nomen derelinquet plusquam mille ; et si requieverit, acquirit sibi.

Adhuc meditatus enarrabo ; et tanquam plenilunium repletus sum.

Exaudite me, filii sancti, et germinate, quasi rosa plantata super rivum agri.

Et quasi thus odorem suavitatis emittite ;

Et florete florem, quasi lilium ; diffundite odorem, et collaudate canticum. Benedicite Dominum in omnibus operibus ;

Date nomini ejus magnificentiam ; et confitemini in laudatione ejus, in canticis labiorum, et in citharis. Et sic dicetis in confessione :

Opera Domini universa quia bona valde ; et omne præceptum in tempore suo erit ; omnia enim in tempore suo quærentur.

et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur.

11. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur.

12. Collaudabunt multi sapientiam ejus ; et usque in seculum non delebitur.

13. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem.

14. Sapientiam ejus enarrabunt gentes ; et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

15. Si permanserit, nomen derelinquet plusquam mille : et si requieverit, proderit illi.

16. Adhuc consiliabor, ut enarrem : ut furore enim repletus sum.

17. In voce dicit : Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate.

18. Quasi Libanus odorem suavitatis habete.

19. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam : et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.

20. Date nomini ejus magnificentiam : et confitemini illi in voce labiorum vestrorum ; et in canticis labiorum, et citharis. Et sic dicetis in confessione :

21. Opera Domini universa bona valde.

15 « Si permanserit : » si vita diutina perfruatur, nomen inclytum relinquet supra mille sapientes. « Et si requieverit : » si interierit : sibi ipsi laboraverit, et æterna præmia conquisiverit.

16 « Adhuc consiliabor : » non hic hæreho : exaggerabo sermones, ad sapientum gloriam commendandam. « Ut furore » Domini, atque instinctu illo grandi ac prophetico « repletus sum : » Gr. quasi plenilunium repletus sum : plena luce fulgeo : *dichomêia :* dimidiatus mensis, sive bifariam sectus, hoc est plenilunium

17 « In voce dicit : » arcana illa voce qua Dominus solet in cordibus loqui, passim apud prophetas : hac ergo arcana voce Deus hæc inspiravit, quibus adhortarer pios. « Obaudite me, divini fructus : » divina germina a Deo pullulentia, sive ut Græc. filii sancti.

18 « Quasi Libanus : » sive thus : Gr.

19 « Florete flores : » fundite flores; efflorescite ut lilium. « Collaudat canticum : » canticum laudis canite.

20 « In voce labiorum... in canticis labiorum : » duplex versio seu lectio; ut videtur, « Voce labiorum et citharis : » voce cum instrumentis musicis juncta. Notum illud : « confitemini, laudate : » confessio, laus.

21 « Bona valde : » addit Gr. et omne præceptum in tempore suo erit; omnia enim in tempore suo quærentur : quod ultimum Vulgata habet ℣ 26. vide etiam ℣ 39. hoc est, præcepta aptat personis, locis, temporibus, rebus, etiam elementis, ut sequens; quo fonte manarunt veteris novæque legis discrimina.

In verbo ejus stetit aqua, sicut congeries; et in sermone oris illius, exceptoria aquarum.

In præcepto ipsius omne beneplacitum; et non est qui minuat salutare illius.

Opera omnis carnis coram illo; et non est abscondi ab oculis ejus.

A sæculo in sæculum respexit; et nihil est admirabile in conspectu illius.

Non est dicere; Quid est hoc? ad quid hoc? omnia enim ad usus ipsorum creata sunt.

Benedictio illius quasi fluvius inundavit;

Et quomodo cataclysmus aridam inebriavit; sic iram suam gentes hæreditare faciet,

Sicut convertit aquas in salsuginem. Viæ illius sanctis directæ; sic iniquis offensiones.

Bona bonis creata sunt ab initio; sic peccatoribus mala.

Principium omnis rei necessariæ ad vitam hominis, aqua, ignis, et ferrum, et sal, et siligo tritici, et mel, et lac, sanguis uvæ, et oleum, et vestimentum.

Hæc omnia sanctis in bona: sic peccatoribus in mala convertentur.

22. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries; et in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarum.

23. Quoniam in præcepto ipsius placor fit: et non est minoratio in salute ipsius.

24. Opera omnis carnis coram illo: et non est quidquam absconditum ab oculis ejus.

25. A sæculo usque in sæculum respicit: et nihil est mirabile in conspectu ejus.

26. Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit.

28. Quomodo cataclysmus aridam inebriavit: sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit.

29. Quomodo convertit aquas in siccitatem, et siccata est terra; et viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira ejus.

30. Bona bonis creata sunt ab initio: sic nequissimis bona et mala.

31. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum.

32. Hæc omnia sanctis in bona: sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur.

22 « Exceptoria aquarum: » stante mari rubro, ac si receptaculis teneretur.

23 « Placor: » placentia: lætum quid, ut supra, IV. 13. Gr. omne beneplacitum, omnis causa lætandi. « Non est minoratio, » diminutio « in salute ipsius: » quæ per ipsum; vim ejus salutarem nihil imminuit.

25 « Nihil est mirabile. » Nota præclaram sententiam: quoniam et antecedentia et præsentia et futura mente complexus, nihil novi intuetur; ad hæc nihil quod ejus majestate ac potestate non sit inferius.

26 « Quid est hoc? quid est istud? » Gr. ad quid istud? « omnia enim tempore suo quærentur: » requirentur: necessaria esse comperientur: Gr. omnia ad usus suos creata.

28 « Cataclysmus: » inundatio: sic intelligi potest: sicut diluvium sub Noe terram inundavit: « sic ira ejus hæreditabit: » active: hæreditare, sortiri faciet.

29 « Aquas in siccitatem: » terra exsucca et arida ad immittendam famem: Gr. in salsuginem: ut habes, Ps. CVI. 34. « Terram fructiferam in salsuginem: » in sterilitatem, agris, velut sale conspersis; sic impii, steriles, nulla gratia, nullo fructu. « Viæ illius viis illorum: » Gr. planior: viæ illius (Dei scilicet) sanctis directæ: (planæ, faciles) sic iniquis offensiones.

30 « Bona bonis: bona et mala: » bona pura bonis « creata » comparataque « sunt ab initio » in paradiso voluptatis: « et nequissimis: » Gr. peccatoribus, quanquam mala pura commeritis, tamen ex benignitate per hanc vitam præparavit Deus « mala et bona, » vitamque quæ malorum ac bonorum temperamento constat. Vide 32. et Gr.

31 « Necessariæ rei: » vide frugalitatem et simplicitatem. « Ferrum: » ad aratra, ad malleos.

Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt flagella sua ;

Et in tempore consummationis effundunt virtutem ; et furorem ejus, qui fecit illos, sedabunt.

Ignis et grando, et fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt :

Bestiarum dentes, et scorpii, et viperæ, et rhomphæa vindicans in exterminium impios.

In mandato lætabuntur ; et super terram in necessitates præparabuntur ; et in temporibus suis non præterient verbum.

Propterea ab initio confirmatus sum, et meditatus sum, et in scriptura reliqui.

Omnia opera Domini bona ; et omnem usum in tempore ejus subministrabunt.

Et non est dicere : Hoc illo nequius est ; omnia enim in tempore comprobabuntur.

Et nunc in omni corde et ore collaudate ; et benedicite nomen Domini.

33. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua :

34. In tempore consummationis effundent virtutem ; et furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

35. Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt :

36. Bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphæa vindicans in exterminium impios.

37. In mandatis ejus epulabuntur : et super terram in necessitatem præparabuntur : et in temporibus suis non præterient verbum.

38. Propterea ab initio confirmatus sum, et consiliatus sum, et cogitavi, et scripta dimisi.

39. Omnia opera Domini bona : et omne opus hora sua subministrabit.

40. Non est dicere : Hoc illo nequius est : omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

41. Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.

33 « Qui ad vindictam creati sunt : » ex eventu, posteaquam a Deo defecerunt, ad id ordinati, ut divinam vindictam et ipsi exciperent, et in alios exercerent. « In furore suo : » in ira qua adversus hominum genus exardescunt, ut patebit sequente ℣. « Confirmaverunt tormenta, » flagella « sua, » a se incussa, gravem in ictibus firmabunt manum : hos ergo commemorat, ut doceat quorum ope, ex ℣ præcedente, omnia etiam per se bona, tamen malis malo vertant.

34 « In tempore consummationis : » interitus, internecionis, sive in novissimis diebus ; « effundent virtutem : » vim illam pestiferam : « et furorem ejus, qui fecit illos, placabunt : » exsatiabunt, digno supplicio : melius, tantas edent strages, ut Deum inflectant ad misericordiam et veniam. Cave autem intelligas immundos spiritus, ac sempiterno supplicio destinatos, tandem placaturos Deum; quod sensit Origenes, sed ferme unus, et ab universâ Ecclesia reprobatus.

35 « Ignis, grando, fames. » Præter ea, quæ cum bona sint malis malo vertunt, sunt quædam per se noxia in ultionem comparata.

36 « Rhomphæa : » gladius anceps versatilis.

37 « In mandatis ejus epulabuntur : » lætitia efferentur, Gr. creaturæ illæ ultrices : alludit ad Psal. CXLVIII. 8. « Ignis, grando, nix, glacies..... quæ faciunt verbum ejus. » Quo etiam sensu dictum est : « Vocavit Dominus famem. » IV. Reg. VIII. 1. « In necessitatem præparabuntur : » in necessariam ultionem.

38 « Confirmatus sum : » in timore Dei : « et consiliatus sum, » meditatus sum; Gr. cogitavi tristes exitus impiorum : « et (hæc) scripta dimisi, » scripto mandavi : horum autem summa est, id quod sequitur :

39 « Omne opus hora sua : » tempore suo.

40 « Non est dicere : Hoc illo nequius est : » apta enim sunt omnia, et suis constituta finibus, atque ex horum nexu par existit decor : unde vera ratio laudandi Deum.

CAP. XL. Jugum grave super filios Adam, a v. 1. ad 12. mors inevitabilis 12. impiorum inanes divitiæ, 13. liberalitas, 14, 17. vita sibi sufficiens, 18. quid cui anteponendum, 19, ad 27. timor Domini omnibus antecellit, 26 et seq. ne mendices, 29. ad finem.

S. V. — Occupatio magna creata est omni homini, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem in sepultura in matrem omnium.

Cogitationes eorum, et timorem cordis, consideratio expectationis, dies finitionis.

A residente super thronum in gloria, et usque ad humiliatum in terra et cinere:

Ab eo qui portat hyacinthum, et coronam, et usque ad eum qui operitur lino crudo, furor, et zelus, et tumultus, et fluctuatio, et timor mortis, et iracundia perseverans, et contentio;

Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis, immutat cognitionem ejus.

Modicum tanquam nihil in requie; et ab eo in somnis, quasi in die speculæ,

Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evasit a facie belli: in tempore salutis suæ exsurrexit, et admirans ad nullum terrorem.

V. V. — 1. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

2. Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio expectationis, et dies finitionis:

3. A residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra et cinere:

4. Ab eo, qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio:

5. Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis, immutat scientiam ejus.

6. Modicum tanquam nihil in requie; et ab eo in somnis, quasi in die respectus,

7. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exsurrexit, et admirans ad nullum timorem.

1 « Occupatio magna : » afflictio. « Grave jugum : » de quo jugo, sive onere miseris mortalibus imposito, hæc ponit : primum, Quod incubet per totam vitam a natali ad sepulturam. ℣ 1. secundum, Quod sit repositum in curis, timoribus, vanis spebus, reliquis animi perturbationibus, ℣ 2, 4, 5 et seq. atque innumeris calamitatibus, ℣ 9, 10. tertium, Quod æque omnes premat, summos, infimos, medios, cujuscumque status homines, ℣ 3 et seq. qua de re præclare Aug. contra Jul. VI. 10. n. 31. in fine : Parvulos intuere quot et quanta mala patiantur; in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant; deinde jam grandes etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat; tentat dolor aut labor, ut frangat; tentat mœror, ut sternat. tentat typhus (superbia) ut extollat : et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? quod jugum non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

2 « Cogitationes. » Quatuor hæc commemorat, quæ hominum genus maxime exagitent, curæ, metus, fallaces spes, postque labores tantos, mors. « Adinventio expectationis : » cogitatio expectationis : Gr. spei ludibria, quæ vel maxime homines distendunt et excruciant, quibus addendum id quod sequitur ℣ 4.

5 « In cubili somnus, » qui nec curæ expers, tot turbida insomnia terrent et exagitant, « immutat scientiam, » cogitationes, « ejus : nova visa, atque aliam cogitandi et imaginandi rationem inducit.

6 « Modicum tanquam nihil in requie : » somnus initio ad momentum quietus. « Et ab eo, » ex illo post illud minutum quietis tempus. « Quasi in die respectus : » speculæ, Gr. homo quasi in specula vigil collocatus, omnigena visa ac monstra perspicit.

7 « Tanquam qui evaserit : » fugibundus, vix ab hoste securus : cum omnia in tuto sint; miraturque experrectus tantopere exagitatum se, nulla timendi causa.

Cum omni carne ab homine, usque ad pecus : et super peccatores septupla.

Ad hæc, mors et sanguis, et contentio et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagellum.

Super peccatores creata sunt hæc omnia : et propter illos factus est cataclysmus.

Omnia, quæ de terra sunt, in terram revertuntur, et ab aquis in mare reflectunt.

Omne munus et iniquitas delebitur; et fides in seculum stabit.

Substantiæ injustorum sicut fluvius exsiccabuntur; et sicut tonitruum magnum et pluvia personabit;

In aperiendo ipsam manus suas, lætabitur; sic prævaricatores in consummationem deficient.

Nepotes impiorum non multiplicant ramos; et radices immundæ super duram petram.

Achi super omnem aquam, et oram fluminis, ante omne fœnum evelletur.

Gratia, sicut paradisus, in benedictionibus; et misericordia in seculum permanet.

8. Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, et super peccatores septuplum.

9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella.

10. Super iniquos creata sunt hæc omnia : et propter illos factus est cataclysmus.

11. Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur; et omnes aquæ in mare revertentur.

12. Omne munus et iniquitas delebitur : et fides in seculum stabit.

13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur : et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.

14. In aperiendo manus suas, lætabitur : sic prævaricatores in consummatione tabescent.

15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos : et radices immundæ super cacumen petræ sonant.

16. Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

17. Gratia sicut paradisus in benedictionibus : et misericordia in seculum permanet.

8 » Cum omni carne : » cum omni animante : supple, hæc sunt.

9 « Ad hæc mors : » etiam violenta fuso sanguine : « contentio, » bellum : « contritio et flagella, » morbi, ipsa pestis.

10 « Super iniquos : » ergo ab initio hæc non erant : « cataclysmus : » diluvium. Hactenus de gravi jugo : nunc aliæ sententiæ.

11 « Omnia : » ut omnes aquæ in mare, ita terrena omnia in terram.

12 « Omne munus : » omnis in judiciis corruptela. « Et iniquitas delebitur : » nullo fructu corruet : « fides » autem non ita, et « in seculum stabit. »

13 « Substantiæ : » res, pecuniæ « injustorum sicut fluvius, » sicut torrens decurrent, « siccabuntur : et sicut tonitruum magnum per pluviam » inani ac nihil profuturo per nubes murmure « personabunt : » in divitum jactantia nihil nisi sonitus ac strepitus.

14 Sicut « in aperiendo » inopi « manus suas lætabitur, » prospere aget (vir bonus) : ita e contrario, « prævaricatores, » etc.

15 « Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, » sicut nec « radices immundæ, » plantæ infrugiferæ, illætabiles, quæ sunt « super cacumen petræ : » seu, super duram petram, qua voce terminatur Gr. Vulgatus addit, « sonant, » hoc est, illæ plantæ ventis agitatæ, inanem tantum sonitum edunt, nulla stirpe, nullo fructu; sonant autem, ex ỳ seq. *achei* pro quod Vulgatus interpres legisse videtur, *échei*, seu potius, *échousi* sonant.

16 « Super aquam viriditas. » Opponit siccitati plantæ super petram arescentis, virides herbas super aquam crescentes; iisque virum bonum latenter comparat. Herba autem illa viridis « ad oram fluminis, ante omne fœnum » maturescet, atque adeo prima omnium, « evelletur, » secabitur, demetetur : *achei*, varie legunt et interpretantur; Grotio ægyptia vox, significans illa virentia quæ Nilo exundante oriri soleant.

17 « Gratia, » seu collatum beneficium, « sicut paradisus, » sicut hortus irriguus, amœnus ac pomifer.

Vita sufficientis sibi operarii condulcabitur; et super utraque, qui invenit thesaurum.

Filii et ædificatio civitatis confirmant nomen; et super utraque, mulier immaculata computatur.

Vinum et musica lætificant cor; et super utraque, dilectio sapientiæ.

Tibia et psalterium jucundam faciunt melodiam; et super utraque, lingua suavis.

Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus; et super utraque, veritatem sationis.

Amicus et sodalis in tempore occurrentes; et super utraque, mulier cum viro.

Fratres et adjutorium in tempore tribulationis; et super utraque, eleemosyna liberabit.

Aurum et argentum statuent pedem; et super utraque, consilium beneplacet.

Facultates et fortitudo exaltabunt cor; et super utraque, timor Domini.

Non est timor Domini minoratio; et non est in eo inquirere adjutorium.

Timor Domini sicut paradisus benedictionis: et super omnem gloriam operuerunt illum.

18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur: et in ea invenies thesaurum.

19. Filii, et ædificatio civitatis confirmabit nomen: et super hæc, mulier immaculata computabitur.

20. Vinum et musica lætificant cor: et super utraque, dilectio sapientiæ.

21. Tibiæ, et psalterium suavem faciunt melodiam: et super utraque, lingua suavis.

22. Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus: et super hæc, virides sationes.

23. Amicus et sodalis in tempore convenientes: et super utrosque mulier cum viro.

24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis: et super eos misericordia liberabit.

25. Aurum et argentum est constitutio pedum: et super utrumque, consilium beneplacitum.

26. Facultates et virtutes exaltant cor: et super hæc timor Domini.

27. Non est in timore Domini minoratio: et non est in eo inquirere adjutorium.

28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis: et super omnem gloriam operuerunt illum.

18 « Vita.... condulcabitur: » quam vitæ laborisque sibi sufficientis dulcedinem sentiebat Paulus, dicens: « Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi..... quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ: » quo nihil beatius, dicente Domino: « Beatius est magis dare, quam accipere. » Act. xx. 33, 35. « Et in ea invenies thesaurum: » inexhaustam scilicet bonorum copiam, ac beneficentiæ fontem. Gr. non ita commode: super utraque est (super illam sufficientiam, et super illam dulcedinem) qui invenit thesaurum, nullo sensu, nisi verum illum thesaurum intelligas, de quo scribitur: « Thesaurus desiderabilis ... in habitaculo justi. » Prov. xxi. 20. et, sapientia « infinitus thesaurus est hominibus. » Sap. vii. 14.

19 « Filii.... confirmabit nomen: » immortale faciet. « Et super hæc, mulier immaculata: » plus illa honoris viro conciliat castitate ac prudentia; sic Manasses Juditha uxore habetur nobilis; Judith. viii. 2. sic Ruth Moabitidis gloria commendatur Booz: Ruth, ii. iii. illustrat familias fortis illius mulieris virtus: « Surrexerunt » enim « filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. » Prov. xxxi. 28. animadverte autem, lector, sequentes versus ad 27. ejusdem figuræ esse.

22 « Gratiam, » venustatem « et speciem » (pulchritudinem;) « et super hæc, virides sationes: » revirescunt enim quotannis arbores; vultus gratia immedicabiliter defloresceit

23 « Convenientes: » occurrentes: Gr. supple, jucunda res est.

24 « Misericordia, » sive eleemosyna.

25 « Aurum et argentum constitutio pedum: » constabilient pedem, Gr. faciunt ut firmo consistas gradu: « super utrumque, consilium beneplacitum est: » consilium placet: Græc.

26 « Et virtutes: » Gr. robur.

27 « Minoratio: » damnum: » et non est in eo: » quem si habueris, nullum aliud auxilium desideraveris.

28 « Super omnem gloriam: » veste induerunt (homines) super omnem aliam vestem inclyta.

Fili, vitam mendicationis ne vivas : melius est mori, quam mendicare.

Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in computatione vitæ; contaminabit animam suam in cibis alienis.

Vir autem sciens et disciplinatus custodiet se.

In ore impudentis condulcabitur mendicatio : et in ventre ejus ignis ardebit.

29. Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas; melius est enim mori, quam indigere.

30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus. Alit enim animam suam cibis alienis.

31. Vir autem disciplinatus et eruditus custodiet se.

32. In ore imprudentis condulcabitur inopia ; et in ventre ejus ignis ardebit.

CAP. XLI. De morte, ad 8. cui amara aut optanda, 1. et seq. Soboles est nomen quale, 8 ad 15. nomini consulendum, plusquam vitæ, 15. bona et mala verecundia, 19. ad finem : de quibus erubescendum, ibid.

s. v. — O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis;

Quieto, et prospere agenti in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum !

O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus,

Defecto ætate, et cui cura est de omnibus, et diffidenti, et qui perdidit patientiam !

Noli metuere judicium mortis. Memento priorum te, et novissimorum ; hoc judicium a Domino omni carni.

Et quid renues in beneplacito Altissimi ? sive decem, sive centum, sive mille anni;

Non est in inferno accusatio vitæ.

Filii abominabiles fiunt filii peccatorum, et qui conversantur parœciis impiorum.

v. v. — 1. O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis,

2. Viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum !

3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus,

4. Defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili, qui perdit patientiam !

5. Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi : hoc judicium a Domino omni carni.

6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi ? sive decem, sive centum, sive mille anni.

7. Non est enim in inferno accusatio vitæ.

8. Fili abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum.

29 « Fili.... ne indigeas ; » vitam mendicitatis (seu mendici) ne vixeris, Gr. « quam indigere : » mendicare, Gr. propter inertiam, et vagandi necessitatem, atque inde orta flagitia ac dedecora.

30 « Vir respiciens.. . non est vita ejus in cogitatione victus : » non est vita ejus in computatione vitæ : Gr. ejusmodi vivendi ratio non est reputanda pro vita.

31 « Custodiet se » ab ejusmodi vita.

32 « In ore imprudentis, » impudentis, *anaidous :* « condulcabitur, » dulcis erit inopia : Gr. mendicatio ; inverecunda licet ac turpis. « Et in ventre ejus : » sæpe laborabit fame.

3 « Bonum est judicium tuum : » decretoria sententia de morte.

4 « Defecto ætate : » extrema ætate, Gr. decrepito ; « cui de omnibus cura est : » curis exercito, neque certi quidquam habenti. « Incredibili : » tanta virium diffidentia, ut nec se ipse sustentet, et malis victus fatiscat : sive incredulo, nec in Deum fidenti.

6 « Quid superveniet : » quasi diceret : age, dic quæ tibi eventura sint ex decretis Dei, quantovis vivas tempore ? Gr. quid renues in beneplacito Altissimi ? quid est quod eludere ac declinare possis.

7 « Non enim est in inferno accusatio, » sive redargutio « vitæ : » hoc est, neque ante mortem evadere poteris quæ Deus decreverit, ỹ præcedente ; neque post mortem anteacta mutare, reprehendere, aut emendare dabitur : omnino eventura sunt tibi quæcumque Deus dixerit.

Filiorum peccatorum periet hæreditas; et cum semine illorum erit assiduitas improperii.

De patre impio querentur filii: quoniam propter illum in opprobrio erunt.

Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Dei altissimi.

Et si nati fueritis, ad maledictionem nascemini, et, si mortui fueritis, in maledictionem separabimini.

Omnia quæ de terra sunt, in terram revertentur; sic impii a maledicto in perditionem.

Luctus hominum in corporibus ipsorum; nomen autem peccatorum non bonum delebitur.

Curam habe de nomine. Hoc enim magis permanet tibi, quam mille magni thesauri auri.

Bonæ vitæ numerus dierum: et bonum nomen permanet in ævum.

Disciplinam in pace conservate, filii; sapientia autem abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?

Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

Igitur revereamini in verbo meo.

Non est enim bonum omnem reverentiam observare; et non omnia omnibus in fide placent.

Erubescite a patre et matre, de fornicatione; et a præsidente et potente, de mendacio;

9. Filiorum peccatorum periet hæreditas: et cum semine illorum assiduitas opprobrii.

10. De patre impio queruntur filii; quoniam propter illum sunt in opprobrio.

11. Væ vobis, viri impii, qui derelequistis legem Domini altissimi.

12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini; et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

13. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem.

14. Luctus hominum in corpore ipsorum; nomen autem impiorum delebitur.

15. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.

16. Bonæ vitæ numerus dierum; bonum autem nomen permanebit in ævum.

17. Disciplinam in pace conservate, filii; sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

18. Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

19. Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo.

20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare; et non omnia omnibus bene placent in fide.

21. Erubescite a patre et a matre, de fornicatione; et a præsidente et a potente, de mendacio;

12 « In maledictione nascemini. Bonum » enim « erat ei, si natus non fuisset homo ille. » Matth. XXVI. 24. « Pars vestra, » sors vestra.

13 « A maledicto in perditionem: » propter peccata maledicti, ac denique addicti supplicio.

14 « Luctus hominum: » lugetur in impiis non tantum perditum corpus, sed etiam nomen extinctum.

19 « Verumtamen reveremini: » verecundamini in his quæ jam edisseram. De rebus verendis dicturus, hæc præmonet.

20 « Non est enim bonum: » sive, ut habet Gr. neque enim quæ vis verecundia bona est. « Et non omnia omnibus bene placent in fide: » non omnia omnibus æqua fide probanda et excipienda sunt; discrimen enim est personarum et rerum. Hæc itaque sunt quæ ex utroque capite merito erubescatis.

21 « A patre.... de fornicatione: » quod reverentia paterni maternique nominis, castæque institutionis domi susceptæ, lædatur per intemperantiam. A præsidente, de mendacio: quod est indicium pessimæ indolis, præsertim erga præsides ac magistratus, quibus nihil magis debetur quam veritas, qua et scelerum ultio, et ratio æquitatis, et universæ reipublicæ administratio nititur.

A judice et principe, de delicto; a synagoga et plebe, de iniquitate;

A socio et amico, de injustitia: et a loco, in quo habitas,

De furto; et a veritate Dei et testamenti; a fixione cubiti in panibus, ab obfuscatione accepti et dati;

Et a salutantibus de silentio; ab aspectu mulieris fornicariæ; et ab aversione vultus cognati:

Ab oblatione partis et dationis.

A consideratione mulieris conjugatæ, a sollicitatione ancillæ ejus; et ne steteris super lectum ejus;

Ab amicis de sermonibus improperii; et postquam dederis, ne improperes.

22. A principe et a judice, de delicto; a synagoga et plebe, de iniquitate;

23. A socio et amico, de injustitia; et de loco, in quo habitas,

24. De furto, de veritate Dei, et testamento; de discubitu in panibus, et ab obfuscatione dati et accepti;

25. A salutantibus de silentio; a respectu mulieris fornicariæ; et ab aversione vultus cognati.

26. Ne avertas faciem a proximo tuo; et ab auferendo partem, et non restituendo.

27. Ne respicias mulierem alieni viri; et ne scruteris ancillam ejus; neque steteris ad lectum ejus.

28. Ab amicis de sermonibus improperii; et cum dederis, ne improperes.

CAP. XLII. Pergit de verecundia, sive erubescentia, ejusque causis, 1. ad 12. diligentia ad rem tuendam, 6, 7. curandæ filiæ, 9 et seq. mulieres, 12 et seq. Incipit collaudare Deum, 15. ad finem. Omnia plena ejus gloria, 16. omnia novit, etiam corda hominum et res futuras, 18 et seq. opera ejus inenarrabilia: immutabilis, omnipotens, cui omnia obediunt. 24.

s. v. — Ab iteratione, et sermone auditus, et a revelationibus sermonum absconditorum: et eris verecundus vere, et inveniens gratiam coram omni homine; ne pro his confundaris, et ne accipias personam, ut delinquas.

v. v. — 1. Non duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi; et eris verè sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum, ne pro his omnibus confundaris, et ne accipias personam, ut delinquas.

22 « A principe et a judice, de delicto : » turpe est enim coram eo delinquere, qui uitor est scelerum. Jam a præsidibus sive gubernatoribus et a judicibus, aliisque magistratibus transit ad populum : « a » cujus « synagoga, » sive cœtu publico, erubescendum est maxime « de iniquitate » sive injustitia et calumnia, quæ adversus plebem sunt invidiosissima.

23 « A Socio et amico, de injustitia : » qua vel maxime amicitia et societas humana solvitur : » de loco in quo habitas, 24. de furto : » probro enim tibi vertit indisciplinatum famulitium, ac domus patens latrociniis. «De veritate Dei et testamento : » hoc est, si a domo tua Dei abest veritas; lex exultat. « De discubitu in panibus : » Gr. de impingendis cubitis (mensæ) in panibus (inter cibos) qui corporis situs indecorus, et ventri deditam monstrat. « Et ab obfuscatione : » si computo dati et accepti rationem involvas quo fraudi facias locum.

25 « A salutantibus de silentio : » fastuosum enim, salutantes nec alloquio dignari. « A respectu..... ab aversione vultus cognati. » Nihil turpius quam, si vel in impudicam mulierem intendas oculos, vel a cognato quamvis inope avertas per superbiam aut immisericordiam.

26 « Ab auferendo, » furando, subtrahendo « partem, » sortem sive rem alicujus : Gr. ab auferenda parte et dono; atque universim re proximi, sive hæreditate sive donatione acceperit.

27 » Ne scruteris, » sollicites, aut circumvenias « ancillam ejus : super lectum ejus : » fœmnino casu : ancillæ.

1 « Et eris vere sine confusione. » Gr. et eris verecundus vere : non falsa illa quam dixi verecundia. « Ne pro his omnibus, » quæ sequuntur, « confundaris : » primum in accipiendo personam; est enim in ea re falsus pudor. Item.

De lege Altissimi, et testamento, et de judicio, justificando impium;

De verbo socii, et viatorum, et de datione hæreditatis amicorum;

De exacta ratione stateræ et ponderum; de acquisitione multorum et paucorum;

De indifferenti venditione et mercatorum, et de multa disciplina filiorum, et servo pessimo latus sanguinare.

Super mulierem nequam bonum est sigillum.

Et ubi manus multæ sunt, claude. Quodcumque tradideris, in numero et pondere; et datio et acceptio, omnibus in scriptura.

De disciplina insensati et stulti, et decrepiti litigantis cum adolescentibus. Et eris eruditus vere, et probatus in conspectu omnis viventis.

Filia patri abscondita, vigilia; et sollicitudo ejus aufert somnum; in juventute sua, ne forte fiat superadulta; et cum viro commorata, ne forte odio habeatur;

In virginitate, ne forte polluatur, et in paternis suis gravida inveniatur: cum viro manens ne forte transgrediatur, et cum cohibitaverit, ne forte sit sterilis.

Super filia non avertente se con-

2. De lege Altissimi, et testamento, et de judicio justificare impium,

3. De verbo sociorum et viatorum, et de datione hæreditatis amicorum;

4. De æqualitate stateræ et ponderum; de acquisitione multorum et paucorum;

5. De corruptione emptionis et negotiatorum, et de multa disciplina filiorum; et servo pessimo latus sanguinare.

6. Super mulierem nequam bonum est signum.

7. Ubi manus multæ sunt, claude; et quodcumque trades, numera et pende; datum vero et acceptum omne describe.

8. De disciplina insensati et fatui, et de senioribus qui judicantur ab adolescentibus; et eris eruditus in omnibus, et probabilis in conspectu omnium vivorum.

9. Filia patris abscondita, est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum; ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur; et cum viro commorata, odibilis fiat;

10. Ne quando polluatur in virginitate sua, et in paternis suis gravida inveniatur; ne forte cum viro commorata transgrediatur; aut certe sterilis efficiatur.

11. Super filiam luxuriosam con-

2 « De lege » observanda : « testamento, » fœdere : « judicio : » rei judicatæ auctoritate « justificare : » ut justifices prævaricatores. Cave etiam de sequentibus erubescas.

3 « De verbo sociorum et viatorum : » de tuendis sociis ac peregrinis sive de servandis pactis circa societatem, ac peregrinationes mercaturæ gratia. « De datione : » de partiunda hæreditate inter amicos, qui fidei tuæ se commiserint.

4 « De æqualitate, de acquisitione, » sive possessione « multorum et paucorum : » de rerum pretio ex mercium quantitate. Jam ad qualitatem.

5 « De corruptione : » sive alteratione specierum, vini puta, frumenti : Vulgatus legit *diaphtorou*, quod corruptum sonat : Gr. *adiaphorou*, de indifferenti venditione : melius *diaphorou* ut alii codices, hoc est, de diversa venditione, sive de natura mercium, rerumque pretiis. « Sanguinare : » cruentare flagris : supple, « ne confundaris, » ex ℣ 1.

6 « Super..... bonum est signum : » adversus uxorem malam ac rapacem, opus est sigillo ad res obsignandas et claudendas.

8 « De disciplina : » de eruditione; turpe est enim docere indociles et stultos; continuatio est dictorum ℣ 5. sive ordo perturbatus a scriptoribus : seu ℣ 6 et 7. per parenthesin interserti. « De » tuendis » senioribus, qui judicantur ab adolescentibus : » quod rebus turpissimis merito annumerandum.

9 « Filia patris abscondita, » sive virgo : alma, hebraice : « est vigilia : » causa vigilandi Has causas quinque commemorat : 1. Ne florem ætatis innupta prætereat, quod turpe habetur, I. Cor. VII, 36. Altera, ne viro tradita, ei odio sit : 3. Ne virgo delinquat, familiæque probro sit : 4. Ne nupta adulteretur : 5. Ne sterilis fiat. « Ne adulta efficiatur, » superadulta, I. Cor. VII. 36.

11 « Super filiam luxuriosam .... ne quando faciat.... a detractione : » propter detractio-

firma custodiam; ne quando faciat te gaudium inimicis, fabulam in civitate, et vocatum populi; et confundat te in multitudine plurimorum.

Omni homini noli intendere in speciem; et in medio mulierum noli considere.

De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas mulieris.

Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens et mulier confundens in opprobrium.

Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi, enarrabo: in sermonibus Domini opera ejus

Sol illuminans per omnia respexit: et gloria ejus plenum est opus ejus.

Nonne indidit sanctis Dominus enarrare omnia mirabilia ejus, quæ confirmavit Dominus omnipotens, ut firmaretur in gloria ipsius universum?

Abyssum et cor investigavit: et in astutiis eorum meditatus est.

Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi: annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt; et revelans vestigia occultorum.

Non præterit illum omnis cogitatus; non abscondit se ab eo ullus sermo.

Magnalia sapientiæ suæ decoravit,

firma custodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi.

12. Omni homini noli intendere in specie; et in medio mulierum noli commorari;

13. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.

14. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium.

15. Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus.

16. Sol illuminans per omnia respexit; et gloria Domini plenum est opus ejus.

17. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?

18. Abyssum et cor hominum investigavit; et in astutia eorum excogitavit.

19. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.

20. Non præterit illum omnis cogitatus; et non abscondit se ab eo ullus sermo.

21. Magnalia sapientiæ suæ deco-

nem: « et objectione, » accusatione « plebis, » quæ tibi turpissima quæque objiciat et imputet. Hæc quidem in Latinis. Gr. autem: ne quando te faciat gaudium, etc. nominatum, seu potius accusatum a populo, eumque quem adducat in exemplum malæ rei.

12 « Omni homini: » cave inter homines id optimum ducas, quod est pulcherrimum: alio, qui muliebris species te facillime caperet.

13 « Iniquitas viri. » Clarus sensus: at Gr. de vestimento, etc. et a muliere, nequitia mulieris: quam sponte innascitur vesti tinea, tam facile nequitia mulieri.

14 « Mulier benefaciens: » sive prona et facilis ministra voluptatum, unde subdit: « confundens in opprobrium. »

15 « Memor ero. » Libri conclusio qua Deum et magnos viros laudat, ut in Præfatione diximus. « In sermonibus Domini opera ejus: » in Scripturis sanctis, ut docent sequentia; Deus enim ipse suam nobis gloriam enarravit.

18 « In astutia eorum excogitavit: » astutissima quæque et occultissima humanæ mentis inspexit.

19 « In signum ævi: » infra, XLIII. 6. Luna... in tempore suo, ostensio temporis et signum ævi. Alludit ad illud Geneseos, I. 14. « Fiant luminaria... et sint in signa et tempora, et dies, et annos. » Vidit ergo Deus a se instituta signa temporum; atque omne inde decurrens ævum, simulque et quod fuit et quod futurum est: « revelans » non modo manifesta signa, verum etiam minutissima quæque « vestigia occultorum: » imo nihil occultum: ex ℣ seq.

21 « Qui est ante seculum: eo quod sit æternus, et omnia sive antecedentia sive futura simul

et quatenus est ante seculum, et in seculum; neque adjectum est ei,

Neque imminutum, et non eguit aliquo consiliario.

Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintillæ, est considerare!

Omnia hæc vivunt, et manent in seculum in omnibus necessitabus, et omnia obediunt.

Omnia duplicia, unum contra unum: et non fecit quicquam deficiens.

Unum unius confirmavit bona: et quis satiabitur, videns gloriam ejus?

ravit; qui est ante seculum, et usque in seculum, neque adjectum est,

22. Neque minuitur, et non eget alicujus consilio.

23. Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintilla, quæ est considerare!

24. Omnia hæc vivunt, et manent in seculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

25. Omnia duplicia, unum contra unum; et non fecit quidquam deesse.

26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur, videns gloriam ejus?

CAP. XLIII. Continuatio laudum Dei: ab operibus: cœlo: sole: stellis: cæteris, toto capite: super opera sua magnus: omni laude major, 29, 30, 33 et seq.

s. v. — Gloriatio altitudinis, firmamentum puritatis, species cœli in visione gloriæ.

Sol in aspectu annuntians in excitu, vas admirabile, opus Excelsi.

In meridiano suo exsiccat regionem; et in conspectu ardoris ejus quis sustinebit; fornacem sufflans in operibus ardoris;

v. v. — 1. Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ.

2. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi.

3. In meridiano exurit terram; et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris;

mente complectatur, ideo: « neque adjectum est, 22. neque minuitur » opus ejus; ac statim opera sua ad perfectum perduxit sine monitore, sine consilio.

23 « Et tanquam scintilla. » Operum Dei non magnitudinem totam, aut lucem, sed scintillam tantum mortales perspicere possumus; et tamen intelligimus res esse consideratu dignissimas. Job. XXVI. 14. Gr. et scintillæ instar: alia lectio: sicut scintillas, « est (licet) considerare: » alia lectio: usque ad scintillam; etiam minutissima digna sunt quæ consideres.

24 « Et in omni necessitate: » quotiescumque opus est.

25 « Omnia duplicia, » seu gemina sunt: neque tantum fecit diem, verum etiam noctem; neque tantum solem qui diei præesset, verum etiam lunam quæ nocti, neque tantum æstum, verum etiam frigus; neque tantum mare, verum etiam aridam: vide XXXIII. 15. « Neque fecit quidquam deesse: » hinc fit, ut rerum universitas perfecta sit, neque deficiat quidquam. Gr. Omnia enim suis instructa sunt commodis; unde subdit:

26 « Uniuscujusque confirmavit bona: » unicuique propria stabili ordine attribuit.

1 « Altitudinis firmamentum: excelsum firmamentum sive cœlum » pulchritudo ejus est: ea res est in qua maxime elucescat pulchritudo operum Dei, vel templum ejus est, ac domicilium; ea phrasi qua templum in Scripturis passim appellatur decor. « Species cœli: » forma cœli visu præclara. Gr. Gloria altitudinis, firmamentum puritatis, species cœli; quibus commendatur cœli pulchritudo, quod sit excelsum, quod purum et incorruptum ac limpide lucis fons, quod illustre ac splendidum.

2 « Sol in aspectu annuntians: » sol oriens ut primum aspicitur, ac velut e carcere exit curriculum peracturus, annuntiat Dei gloriam, sive lætitiam mortalibus. « In exitu: » post noctis tenebras. « Vas admirabile: » instrumentum, *skeuos*, machina admirabilis: hic oriens, jam meridies.

3 « Fornacem custodiens: » imo, sufflans, Gr. ac velut follem accendens faber ferrarius, est « in operibus ardoris: » ingentem ardorem excitat: ita.

Tripliciter sol exurens montes, vapores igneos insufflans, et refulgens radiis obfuscat oculos.

Magnus Dominus, qui fecit illum; et in sermonibus ejus festinavit iter.

Et luna in omnibus in tempore suo, ostensionem temporum, et signum ævi.

A luna signum diei festi; luminare quod minuitur super consummationem.

Mensis secundum nomen ejus est; crescens mirabiliter mutatione.

Vas castrorum in celsitudine, in firmamento cœli resplendens.

Species cœli, gloria stellarum, ornatus illuminans, in excelsis Dominus.

In verbis Sancti stabunt ad judicium, et non deficient in vigiliis suis.

Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in fulgore suo.

Gyravit cœlum in circuitu gloriæ: manus Excelsi aperuerunt illum.

Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes judicii sui.

Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nubes sicut aves.

4. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcæcat oculos.

5. Magnus Dominus, qui fecit illum; et in sermonibus ejus festinavit iter.

6. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, et signum ævi.

7. A luna signum diei festi: luminare quod minuitur in consummatione.

8. Mensis secundum nomen ejus est; crescens mirabiliter in consummatione.

9. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose.

10. Species cœli, gloria stellarum, mundum illuminans, in excelsis Dominus.

11. In verbis Sancti stabunt ad judicium, et non deficient in vigiliis suis.

12. Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo.

13. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ; manus Excelsi aperuerunt illum.

14. Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere judicii sui.

15. Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves.

4 « Tripliciter : » triplo seu multo magis « sol; » quippe qui exurat montes. « Radios igneos : » vide Gr.

5 « In sermonibus ejus : » Dei, ipso jubente : « festinavit iter : » ad occasum præcipitat.

7 « A luna signum diei festi : » neomeniæ. « Luminare : » cujus ea natura est, ut postquam ad perfectum venit, statim deficere incipiat.

8 « Mensis secundum nomen ejus est : » prout luna alia et alia nominatur crescens seu decrescens, ita processus mensis agnoscitur. « In consummatione; » donec perfecta sit, plenoque orbe lucat. Gr. crescens mirabiliter; mira incrementa capiens in mutatione; seu, crescens mirabiliter variatur.

9 « Vas (instrumentum, sive opus) castrorum in excelsis. » Hinc stellarum exercitus passim apud Prophetas; quæque sua in specula ac statione collocatur, velut metatis, non in terra, sed « in excelso, » castris.

10 « Species cœli : » pulchritudo cœli, stellarum gloria mundus illustris, testatur in excelsis esse Dominum omnia collustrantem.

11 « In verbis sancti (Dei) stabunt ad judicium : » secundum judicium, sive lege et ordine suo. « In vigiliis suis : in specula et statione sua : sicut Bar. III. 34. 35. « Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis... vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus. »

13 « Gyravit cœlum : » accusativo casu; Deus velut ducto circino descripsit cœlum in orbem : « aperuerunt : » extenderunt, Gr.

14 « Coruscationes judicii sui : » testes.

15 « Aperti sunt thesauri : » venti velut ex thesauro Dei producti : Ps. CXXXIV. 7. quibus circumactæ nubes « evolaverunt. »

In magnitudine sua confortavit nubes; et confracti sunt lapides grandinis.

Et in aspectibus ejus commovebuntur montes; in voluntate spirabit Notus.

Vox tonitrui ejus parturire fecit terram; et tempestas aquilonis, et vortex spiritus.

Sicut aves deorsum volantes, dispergit nivem; et sicut locusta divertens descensus ejus.

Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus; et super imbrem ejus expavescet cor.

Et pruinam sicut salem effundit super terram; et cum congelaverit, fit cacumina tribulorum.

Frigidus ventus aquilo flabit, et gelabit crystallus ab aqua; super omnem congregationem aquæ requiescet, et tanquam loricam induet aqua.

Devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut ignis.

Medicina omnium in festinatione nebula; ros obvians ab arbore exhilarabit.

Cogitatione sua pacavit abyssum; et plantavit eam Jesus.

16. In magnitudine sua posuit nubes: et confracti sunt lapides grandinis.

17. In conspectu ejus commovebuntur montes; et in voluntate ejus aspirabit Notus.

18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas aquilonis, et congregatio spiritus:

19. Et sicut avis deponens ad sedendum, aspergit nivem; et sicut locusta demergens descensus ejus.

20. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus; et super imbrem ejus expavescet cor.

21. Gelu sicut salem effundet super terram; et dum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli.

22. Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua; super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis.

23. Et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne.

24. Medicina omnium in festinatione nebulæ; et ros obvians ab arbore venienti humilem efficiet eum.

25. In sermone ejus siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum, et plantavit in illa Dominus insulas.

16 « Confracti sunt lapides grandinis, » velut excisa rupe, hinc inde sparguntur.

18 « Vox, » sonitus, « tonitrui ejus verberabit terram : » Gr. parturire fecit, concussit, commovit, ut dolores parientem. « Congregatio, » Gr. vortex, « spiritus : » ventorum turbines.

19 « Et sicut avis... aspergit nivem, » ita ut sit « sicut avis deponens ad sedendum, » declinans ad insidendum terræ. Gr. sicut aves deorsum volitantes, spargit nivem. « Et sicut locusta demergens : » in terram devoluta. » Gr. Sicut locusta divertens descensus ejus : nix tanta copia cadit, quanta locustarum ex alio loco in alium divertentium nubes; ut fit in plagis mundi ferventioribus

20 « Super imbrem ejus : » Dei : » expavescet cor : » tanquam redituro diluvio.

21 « Gelu : » Græc. pruinam, sicut salem . » (quæ pruina) concreta fiet (sicut) « cacumina tribuli : » in aculeorum formam. Hæc quidem de pruina : jam ad aquas congelatas.

22 « Gelavit, » concrevit « crystallus ab aqua... sicut lorica induet se aquis : » imo ut habet Gr. tanquam lorica induetur aqua : aquarum mollities, glacie velut lorica tecta, ab omni ictu tuta est.

23 « Et devorabit montes : » posset intelligi de vento Borea, de quo, ℣ 22. qui immissa glacie, exsiccatisque herbis : « exuret desertum : » notum illud :

——— Boreæ penetrabile frigus adurit.

sed sequentia vetant : melius, a frigore ad æstum transit. « Devorabit montes, » Deus, per æstivos ardores.

24 « Medicina omnium : » hujus æstus omnia exsiccantis et consumentis remedium, seu refrigerium est, « nebula » roscidæ instar nubis subito diffusa. « Et ros obvians, humilem, » quietum » efficiet eum : » æstum, ardorem. Græc. planior, ab æstu exhilarabit, recreabit, refrigerabit; supple, terram.

25 « In sermone ejus siluit ventus. Dixit, et stetit spiritus procellæ..... et statuit procellam

Qui enavigant mare, enarrant pericula ejus, et audientes auribus nostris admiramur.

Et illic incredibilia et admirabilia opera; varietas omnis animalis, creatura cetorum.

Per ipsum prosper processus, finis ejus? et in verbo ejus composita sunt.

Multa dicemus, et non assequemur; et consummatio sermonum ipse est in omnibus.

Glorificantes quo valebimus? ipse enim est magnus super omnia opera sua.

Terribilis Dominus, et magnus vehementer; et mirabilis potentia ipsius.

Glorificantes Dominum exaltate, quantumcumque potueritis; excedet enim et adhuc.

Et exaltantes illum, abundate in virtute; ne laboretis; non enim comprehendetis.

Quis vidit eum, et enarrabit? et quis magnificat eum, sicut est?

Multa abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus.

Omnia enim fecit Dominus; et piis dedit sapientiam.

26. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus; et audientes auribus nostris admirabimur.

27. Illic præclara opera et mirabilia; varia bestiarum genera et omnium pecorum, et creatura belluarum.

28. Propter ipsum confirmatus est itineris finis; et in sermone ejus composita sunt omnia.

29. Multa dicemus, et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus.

30. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua.

31. Terribilis Dominus, et magnus vehementer; et mirabilis potentia ipsius.

32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus.

33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis; major enim est omni laude.

34. Exaltantes eum, replemini virtute. Ne laboretis; non enim comprehendetis.

35. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum, sicut est ab initio?

36. Multa abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus.

37. Omnia autem Dominus fecit; et pie agentibus dedit sapientiam.

ejus in aquam, et siluerunt fluctus ejus. » Psalm. CVI. 25, 29. « Plantavit, » fixit « in illa, » abysso, mari, « Dominus insulas : » circumfrementibus licet fluctibus, stabiles. Gr. plantavit eam Jesus : nullo sensu : *Iésous*, Jesus, pro *nésous*, insulas.

26 « Qui navigant mare : » allusum ad illud Ps. CVI. 23, 24. « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini.

27 « Creatura belluarum : » cetorum, Græc.

28 « Propter ipsum : » per ipsum Deum scilicet « confirmatus est : » prospere processit « itineris » per mare « finis : » exitus, Gr. per ipsum (Deum) felix processus viæ finis est ejus; hoc est, per ipsum, iter per mare prospero exitu desinit.

29 « Consummatio sermonum : » Gr. summa sermonum (atque) universum ipse est, Deus scilicet : sic Eccl. XII. 13.

30 « Gloriantes ad quid valebimus? » Quid proficiemus, quantumvis recte dicendi gloria efferamur, cum ipse non tantum sermones nostros, sed etiam sua opera antecedat : quod congruit 32, 33, 34

33 « Benedicentes : » altera versio præcedentis.

CAP. XLIV. Incipit laus virorum illustrium, Enoch : Noe : Abraham promissiones : Isaac : Jacob.

S. V. — *Patrum Hymnus.*

Laudemus nunc viros gloriosos, et parentes nostros generatione.

Multam gloriam creavit Dominus, magnificentiam suam a seculo.

Dominantes in regnis suis, et viri nominati in potentia, consiliantes in intellectu suo, annuntiantes in prophetiis :

Rectores populi in consiliis, et intellectu litteraturæ populi.

Sapientes sermones in disciplina eorum : requirentes modos musicos, narrantes carmina in Scriptura.

Homines divites subministrati in fortitudine, pacem habentes in habitationibus suis.

Omnes isti in generationibus gloriam adepti sunt; et in diebus ipsorum gloriatio.

Sunt eorum qui reliquerunt nomen ad errandum laudes :

Et sunt quorum non est memoria, et perierunt quasi qui non fuerint : et nati sunt quasi non nati, et filii eorum post eos.

Sed hi, viri misericordiæ, quorum justitiæ non sunt traditæ oblivioni.

Cum semine eorum permanebit bona hæreditas, nepotes eorum :

In testamentis stetit semen eorum,

Et filii eorum propter illos: usque

V. V.

1. Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a seculo.

3. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua præditi : nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum.

4. Et imperantes in præsenti populo; et virtute prudentiæ populis sanctissima verba.

5. In peritia sua requirentes modos musicos; et narrantes carmina Scripturarum.

6. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis.

7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt; et in diebus suis habentur in laudibus.

8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

9. Et sunt quorum non est memoria : perierunt quasi qui non fuerint; et nati sunt quasi non nati; et filii ipsorum cum ipsis.

10. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.

11. Cum semine eorum permanent bona;

12. Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum :

13. Et filii eorum propter illos

1 « Laudemus viros gloriosos : » In his laudibus duo maxime advertanda sunt. Primum, ut quemque signet proprio charactere paucis. Alterum, ut per viros illustres quos laudandos suscepit, brevem totius populi contexat historiam. Quos autem imprimis laudandos seligat, exponet v 6, 3 et 4. « In generatione sua : » ætate, vita.

3 « In potestatibus . » Gr. in regnis « suis : nuntiantes in prophetis : » in prophetiis, Gr. annuntiantes autem, supple, futura. En ergo quos laudandos suscipiat; prophetas, et populi duces; atque hos inter pontifices, qui principes populi vocabantur. Unde non modo Aaronem, verum etiam Phineen, Jesum filium Josedec, postremo, Simonem sua ætate nobilem.

4 « Imperantes in præsenti populo : » rectores populi in consiliis, Gr. « et virtute prudentiæ : » sensus obscurus et suspensus, neque Gr. clarior. Summa ex utroque textu conflata, laudandos esse eos qui populo erudito (lege Domini) prudentia sua præeant.

5 « Modos musicos : » sacra cantica, in cœtu populi præcinenda, puta Psalmos, aliaque ejusmodi carmina, quod etiam ad prophetiam pertinet.

12 « In testamentis, » in fœdere cum Abramidis pacto.

in æternum manebit semen eorum ; et gloria illorum non delebitur.

Corpus ipsorum in pace sepultum est : et nomen eorum vivit in generationes.

Sapientiam ipsorum narrabunt populi, et laudem annuntiat ecclesia.

Enoch placuit Domino, et translatus est, exemplum pœnitentiæ generationibus.

Noe inventus est perfectus justus : in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

Ideo fuerunt reliquiæ ipsi terræ : ideo factum est diluvium.

Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleretur diluvio omnis caro.

Abraham magnus pater multitudinis gentium : et non est inventus similis in gloria : qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo.

Et in carne sua stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis.

Ideo in jurejurando statuit illi benedicere gentes in semine ipsius, multiplicare illum quasi terræ cumulum,

Et sicut stellas exaltare semen illius, et hæreditatem dare illis a mari usque ad mare, et a flumine usque ad extremum terræ.

Et in Isaac statuit ita, propter Abraham patrem ejus,

Benedictionem omnium hominum, et testamentum, et requievit super caput Jacob.

usque in æternum manent : semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt : et nomen eorum vivit in generationem et generationem.

15. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia.

16. Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.

17. Noe inventus est perfectus, justus : et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

18. Ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluvium.

19. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro.

20. Abraham magnus pater multitudinis gentium : et non est inventus similis illi in gloria : qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo :

21. In carne ejus stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis.

22. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum,

23. Et ut stellas exaltare semen ejus, et hæreditare illos a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ.

24. Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus.

25. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob.

16 « Henoch. » Primus omnium propter pietatem donatus a Deo, et ad cœlum translatus, qui etiam a Juda Apostolo prophetasse memoretur : Judæ 14, reservatus denique ad finem seculi, ut cum Elia prophetico fungatur officio : nempe « ut det gentibus pœnitentiam : » ex antiqua hebraici et christiani populi traditione. Gr. exemplum pœnitentiæ generationibus, ætatibus secuturis vix ullo sensu, cum nec peccatum ejus, nec pœnitentia memoretur. Ad hunc redit : XLIX. 16.

17 « Reconsiliatio : » commutatio, compensatio, Gr. sceleribus gentis humanæ hujus virtute pensatis.

18 « Ideo dimissum et reliquum terræ : » relictæ orbi terrarum reliquiæ, unde genus humanum resurgeret : Gr. obscurior.

19 « Testamenta seculi : » pactum sempiternum.

21 « In carne ejus... testamentum. » Allusum ad illud, Gen. XVII. 13. « Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum ; » circumcisionis sacramento.

22 « Ideo jurejurando : » vide Gr. « terræ cumulum . » arenam innumerabilem.

23 « Ad mari usque ad mare : » ex Psal LXXI. 8.

Agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi in hæreditate : et divisit partes ejus : in tribus partitus est duodecim.

Et eduxit ex eo virum misericordiæ, invenientem gratiam in oculis omnis carnis.

26. Agnovit eum in benedictionibus suis; et dedit illi hæreditatem : et divisit illi partem in tribubus duodecim.

27. Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

CAP. XLV. Moyses, Aaron : sacerdotium, Aaroni et filius : Dathan, Abiron, Core, Phinees.

s. v. — Dilectum a Deo a hominibus Moysen, cujus memoria in benedictionibus est.

Similem illum fecit gloriæ sanctorum, et magnificavit eum in timoribus inimicorum : et in verbis ejus signa cessare fecit.

Glorificavit eum in conspectu regum : mandavit illi ad populum suum : et ostendit illi gloriam suam.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit, elegit eum ex omni carne.

Auditam fecit ei vocem suam : et induxit illum in caliginem.

Et dedit illi coram præcepta legem vitæ et scientiæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel.

Excelsum fecit Aaron sanctum similem illi fratrem ejus, de tribu Levi.

Statuit ei testamentum seculi, et dedit illi sacerdotium populi : beatificavit illum in decore,

Et circumcinxit eum stola gloriæ. Induit eum consummatione gloriationis, et confirmavit eum vasis virtutis,

Femoralia, et poderem, et humerale : et circumdedit eum malis punicis aureis, tintinnabulis plurimis in gyro,

Ad sonandum vocem in gressibus

v. v. 1.—Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est.

2. Similem illum fecit in gloria sanctorum ; et magnificavit eum in timore inimicorum : et in verbis suis monstra placavit.

3. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam.

4. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum; et elegit eum ex omni carne.

5. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem.

6. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel.

7. Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, et similem sibi de tribu Levi :

8. Statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis: et beatificavit illum in gloria,

9. Et circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis.

10. Circumpedes, et femoralia, et humerale posuit ei : et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro,

11. Dare sonitum in incessu suo,

27 « Homines misericordiæ : » Gr. singulari numero : Moysen, de quo cap. seq.

1 « Dilectus : » Gr. dilectum Moysen, ex ultima voce præcedentis.

2 « Monstra placavit : » signa cessare fecit : Gr. ea quæ a magis fiebant, sive etiam, ea quæ faciebat Deus, postquam Ægyptii ad pœnitentiam verti videbantur. Exod. VIII. 8, 29. Magis enim videbatur flagella Dei habere in potestate, qui non modo immittere, sed etiam coercere poterat.

9 « Stolam gloriæ : » perfectionem gloriæ, Gr. « In vasis : » instrumentis : « virtutis : » roboris : pretiosis, locupletissimis.

10 « Circumpedes et femoralia : Gr. femoralia et poderem ; vestem amplissimam, quam interpres circumpedes vertisse videtur, quod ad pedes usque pertingeret.

suis, ad faciendum audiri sonitum in templo, in memoriam filiis populi sui :

Stola sancta auro, et hyacintho, et purpura, opere variatoris, rationali judicii, manifestationibus veritatis,

Torta cocco, opere artificis, lapidibus pretiosis sculpturæ sigilli, in ligatura auri opere lapidarii in memoriam in scriptura sculpta secundum numerum tribuum Israel :

Coronam auream super mitram, efformationem signaculi sanctitatis, gloriam honoris : opus virtutis, desideria oculorum ornata, pulchra.

Ante ipsum non fuerunt talia usque in seculum :

Non est indutus alienigena, sed filii ejus soli, et nepotes ejus per omne tempus.

Sacrificia ipsius fient holocarpomata quotidie assidue bis.

Implevit Moyses manus, et unxit illum oleo sancto.

Factum est illi in testamentum æternum, et in semine ejus in diebus cœli, ministrare ei simul, et sacerdotio fungi, et benedicere populum ejus in nomine ejus.

Ipsum elegit ex omni vivente, offerre oblationem Domino, incensum, et bonum odorem in memoriam, placare pro populo suo.

Dedit illum in mandatis suis, potestatem in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel.

Contra eum steterunt alieni, et zelaverunt eum in deserto : homines

auditum facere sonitum in templo, in memoriam filiis gentis suæ.

12. Stolam sanctam, auro, et hyacintho, et purpura, opus textile, viri sapientis, judicio et veritate præditi :

13. Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, et opere lapidarii sculptis in memoriam secundum numerum tribuum Israel.

14. Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis, et desideria oculorum ornata.

15. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem.

16. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, et nepotes ejus per omne tempus.

17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie.

18. Complevit Moyses manus ejus, et unxit illum oleo sancto.

19. Factum est illi in testamentum æternum, et semini ejus sicut dies cœli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus.

20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo :

21. Et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel.

22. Quia contra illum steterunt alieni, et propter invidiam circumdede-

12 « Opus..... sapientis : » variatoris : Gr. pictoris egregii. « Judicio et veritate præditi. » Gr. Rationali judicii, manifestationibus sive signis veritatis, quippe qui insculptum doctrina et veritas : qua de re, Exod. XXVIII. Levit. VIII. 8.

13 « Torto cocco opus artificis : » opus artificiose contextum : « gemmis : figuratis, » cælatis, « in ligatura auri, » vinctis auro, inclusis : de quibus lapidibus, Exod. Ibid.

14 « Corona aurea : » lamina illa aurea, de qua ibid. 36. « Expressa, » sive impressa « signo sanctitatis : » quippe cui insculptum erat : Sanctum Domino : ibid. « Gloria, » seu gloriatione « honoris : » id est, honestissima ac magnificentissima : cum nihil sit gloriosus quam præferre insculptum fronti nomen Dei sanctum; quod est « opus virtutis, » ac roboris, locupletissimum, ut supra, 9. sive etiam cælatura difficili in præduro lapide. « Et desideria oculorum ornata; » res per se visu pulchræ, ac mirum in modum ornatæ.

17 « Quotidie : » addit Græc. jugiter, bis, pro ritu jugis sacrificii mane et vespere imperati : Num. XXVIII 34.

18 « Complevit Moyses manus : » sanguine victimæ, more solemni : Levit. VIII. 24.

19 « Glorificare populum suum : » Gr. benedicere ritu solemni.

21 « Potestatem in testamentis : » id est, potestatem interpretandæ legis.

qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in furore et ira.

runt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in iracundia.

Vidit Dominus, et non placuit illi: et consumpti sunt in impetu iracundiæ.

23. Vidit Dominus Deus, et non placuit illi : et consumpti sunt in impetu iracundiæ.

Fecit illis monstra, ad consumendum in igne flammæ suæ.

24. Fecit illis monstra, et consumpsit illos in flamma ignis.

Et addidit Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem. Primitias primitivorum divisit illis.

25. Et addidit Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem : et primitias frugum terræ divisit illi.

Panem in primis paravit satietatem : nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit et ei, et semini ejus.

26. Panem ipsis in primis paravit in satietatem : nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, et semini ejus.

Cæterum in terra populi non hæreditabit : et pars non est illi in populo. Ipse enim pars tua, hæreditas.

27. Cæterum in terra gentes non hæreditabit, et pars non est illi in gente : ipse est enim pars ejus, et hæreditas.

Et Phinees filius Eleazari tertius est in gloria, in zelando eum in timore Domini,

28. Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini,

Et stando in versione populi, in bonitate alacritatis animæ suæ : et placavit pro Israel.

29. Et stare in reverentia gentis : in bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel.

Ideo statutum est illi testamentum pacis, præsidem sanctorum, et populo suo, ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in secula.

30. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum et gentis suæ, ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in æternum.

Et testamentum Davidi filio ex tribu Juda : hæreditas regis, filii ex filio solo : hæreditas Aaron et semini ejus. Det vobis sapientiam in corde vestro, judicare populum suum in justitia : ne aboleantur bona ipsorum : et gloria eorum in generationes eorum.

31. Et testamentum David regi filio Jessæ de tribu Juda : hæreditas ipsi et semini ejus : ut daret sapientiam in cor nostrum, judicare gentem suam in justitia : ne aboleretur bona ipsorum, et gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

27 « In terra gentes : » pro gentis : mendo manifesto : Gr. in terra populi : quod tribui Leviticæ in terra Chananæa nulla sors attributa est. « Ipse enim » (Deus) est « pars ejus : » ex decreto legis : Num. XVIII. Deuter. x. 8, 9.

28 « Phinees..... tertius in gloria : » in honore pontificali, post patrem Eleazarum, et avum Aaronem.

29 « Stare in reverentia gentis : » Gr. *eutropé* reverentia, pro *en tropé*, in versione, seu mutatione populi ; cum populus a timore Dei, ad licentiam et libidines verteretur. « Placuit Deo pro Israel : » Gr. placavit pro Israel : nota Phinees historia.

30 « Principem sanctorum : » id est, sacrorum præsidem.

31 « Et testamentum David. » Cur hic mentio anticipata Davidis, cujus laus suo loco infra describitur XLVII. Græca declarant : quæ sic habent ad verbum : Et testamentum seu pactum Davidi (supple, statuit, quod ỳ præcedenti) filio ex tribu Juda : hæreditas regis filii ex filio solo : hæreditas Aaron et semini ipsius ; quæ omnia, satis licet perturbata, indicant ut regnum hæreditarium Davidis familiæ, ita hæreditarium sacerdotium Aaronis filiis attributum. « Ut daret sapientiam. » Hæc et quæ sequuntur in Græco quoque confusa, ad verbum sic habent : Det vobis sapientiam in corde vestro, ad judicandum populum ejus in justitia, ut non aboleantur bona ipsorum, et gloriam ejus in generationes eorum. Sic quæ de Aaronis familia prædicavit, conclusit voto facto, ut populi res sub sacerdotum Aaronitarum regimine fauste procederet quale votum rationi temporis accommodatissimum fuit, « cum sacerdotes non jam circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, » etc. ut scriptum est II. Mach. IV. 14. Quo fiebat ut fœdato sacerdotio, sancta plebs

CAP. XLVI. Josue, Caleb, Samuel, Saul.

5. v. — Fortis in bellis Jesus Nave, et successor Moysi in prophetiis, qui fuit secundum nomen suum.

Magnus in salutem electorum ejus, expugnare insurgentes hostes, ut hæreditaret Israel.

Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et declinando rhomphæam contra civitates!

Quis ante illum sic stetit? nam hostes ipse Dominus perduxit.

An non in manu ejus retrocessit sol? et una dies facta est quasi duæ?

Invocavit Altissimum potentem, in oppugnando inimicos undique. Et audivit eos magnus Dominus, in saxis grandinis virtutis fortis:

Erupit contra gentem bellum, et in descensu perdidit contrarios,

Ut cognoscant gentes integram armaturam eorum, quia coram Domino bellum ejus. Etenim secutus est post potentem:

Et in diebus Moysi fecit misericordiam ipse et Caleb filius Jephone, stare contra inimicum, prohibere populum a peccato, et sedare murmur malitiæ.

Et ipsi, cum duo essent, salvati sunt e sexcentis millibus, inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac et mel.

Et dedit Dominus ipsi Caleb forti-

v. v. — Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum,

2. Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.

3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra civitates rhomphæas!

4. Quis ante illum sic restitit? nam hostes ipse Dominus perduxit.

5. An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?

6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique: et audivit illum magnus et sanctus Deus, in saxis grandinis virtutis valde fortis.

7. Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios,

8. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis:

9. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse et Caleb filius Jephone, stare contra hostem, et prohibere gentem a peccatis, et perfringere murmur malitiæ.

10. Et ipsi duo constituti, a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac et mel.

11. Et dedit Dominus ipsi Caleb

non jam, ut solebat, sacerdotes pontificemque observaret, sed principes magistratusque gentium, magno religionis periculo: nec absimile vero jam tum inter initia tantæ corruptelæ insurrexisse Mathatiæ zelum, atque in eum ejusque liberos, sanctamque Asmonæorum gentem respici cœptum. Vide XXXVI. 19.

1 « In prophetiis: » Gr. in prophetiis: in prophetico munere. « Magnus secundum nomen suum, » quod est, Jesus, salvator: quod sequens explicat.

2 « Ut consequeretur hæreditatem: » Gr. ut hæreditaret Israel; active, ut sæpe jam, id est, ut Israelitis in hæreditatem inductis, terram partiretur.

3 « Tollendo manus suas: » ad feriendos hostes.

4 « Ipse Dominus perduxit; » in manus ejus tradidit.

6 « In saxis grandinis: » Jos. X. 11.

8 « Secutus est a tergo potentis: » Deum ducem secutus est.

9 « Misericordiam fecit: » noto hebraismo, recte, pieque egit: misericordes, pii: Deum « Ipse et Caleb: » auctores populo capessendæ terræ.

11 « Ipsi Caleb fortitudinem; » Jos. XIV. 10, 11.

tudinem, et usque in senectutem permansit illi, ut ascenderet in excelsum terræ locum : et semen ejus obtinuit hæreditatem :

Ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi Domino.

Et judices singuli suo nomine, quorumcumque cor non est fornicatum, et quicumque non sunt aversi a Domino;

Sit memoria eorum in benedictionibus : ossa eorum pullulent de loco suo,

Et nomen eorum restauratum, glorificatis ipsis in filiis.

Dilectus a Domino suo Samuel propheta Domini, constituit regnum, et unxit principes super gentem suam.

In lege Domini judicavit synagogam : et visitavit Dominus Jacob. In fide sua probatus est propheta,

Et cognitus est in fide sua fidelis visionis.

Et invocavit Dominum potentem, in oppugnando hostes suos undique in oblatione agni lactentis.

Et intonuit de cœlo Dominus; et in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

Et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim.

Et ante tempus dormitionis seculi contestatus est in conspectu Domini,

fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum ; et semen ipsius obtinuit hæreditatem :

12. Ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.

13. Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor : qui non aversi sunt a Domino;

14. Ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo.

15. Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.

16. Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, et unxit principes in gente sua.

17. In lege Domini congregationem judicavit : et vidit Deus Jacob, et in fide sua probatus est propheta,

18. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis.

19. Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati.

20. Et intonuit de cœlo Dominus; et in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

21. Et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim.

22. Et ante tempus finis vitæ suæ et seculi, testimonium præbuit in con-

13 « Et judices singuli. » Intellige eos qui a Deo constituti, non Abimelecum Gedeonis filium, qui cæsis fratribus tyrannidem arripuit, nec modesto judicis contentus titulo, regium sibi nomen attribuit. Jud. IX. 5, 6. Cæteri ergo omnes hic ut Deo probati, et universæ genti honori habiti, memorantur.

14 « Ossa eorum pullulent : » formula bene apprecandi mortuis, ut patet, XLIX. 12. quasi dicerent : eorum memoria reflorescat. Alludit autem ad consuetudinem collocandi sepulcra in amœnis et virentibus locis, puta hortis, IV. Reg. XXI. 18, 26. Christi quoque monumento in horto quodam posito : Joan. XIX. 41. credo ad commendandam piorum perennem et semper virentem memoriam, ac spem resurrectionis : qui horti cum virescerent, ipsa ossa « de loco suo, » id est, de sepulcro velati germinare, et suo quodam modo revivisceve videbantur.

16 « Renovavit imperium. » Gr. constituit regnum. I. Reg. VIII. IX. X. « Unxit principes : » Saulem et Davidem : Ibid. IX. XVI.

17 « Vidit, » inspexit, « Deus Jacob : » *ton Iakób*, Jacobum, accusandi casu. Israelitis providit per tantum prophetam, tantumque judicem.

18 « Et cognitus..... fidelis : » addit Gr. visionis, certus videndi : seu certa et vera videns ; quippe cum omnia ejus vaticinia de Heli et Saule impleta sint. I. Reg. III. IV. XV. « Vidit Deum lucis : » tum, cum illi tam certa visa missa sunt. Variant editiones; legunt enim alii : vidit Deus lucis : de quo scriptum est : « Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est : » Dan. II. 22.

19 « In oppugnando : » I. Reg. VII. 9.

22 « Ante tempus : » Ibid. XII.

et Christi ; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit ; et non accusavit eum homo.

Et postquam dormivit, prophetavit, et ostendit regi finem ejus : et exaltavit vocem suam de terra in prophetia, delere iniquitatem populi.

spectu Domini, et Christi : pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit : et non accusavit illum homo.

23. Et post hæc dormivit; et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ : et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

CAP. XLVII. Nathan : David : Salomon : Roboam : Jeroboam.

s. v. — Et post hoc surrexit Nathan prophetare in diebus David.

Quasi adeps separatus a salutari ; sic David a filiis Israel.

Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, et in ursis, sicut in agnis ovium.

In juventute sua, numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente ?

In tollendo manum in saxo fundæ, et dejiciendo exultationem Goliæ.

Nam invocavit Dominum altissimum : et dedit in dextera ejus robur, tollere hominem fortem in bello, exaltare cornu gentis suæ.

Sic in decem millibus glorificavit eum, et laudavit eum in benedictionibus Domini, in afferendo illi coronam gloriæ.

Contrivit enim inimicos undique, et extirpavit Philisthiim contrarios : usque in hodiernum diem contrivit cornu ipsorum.

In omni opere suo dedit confessionem Sancto excelso, verbo gloriæ :

In omni corde suo laudavit, et dilexit eum qui fecit ipsum.

Et stare fecit cantores contra altare, et ex sono eorum dulces fecit modos.

v. v. — 1. Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David.

2. Et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel.

3. Cum leonibus lusit, quasi cum agnis; et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in juventute sua.

4. Numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente ?

5. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ.

6. Nam invocavit Dominum omnipotentem : et dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, et exaltare cornu gentis suæ.

7. Sic in decem millibus glorificavit eum, et laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ.

8. Contrivit enim inimicos undique, et extirpavit Philisthiim contrarios, usque in hodiernum diem : contrivit cornu ipsorum usque in æternum.

9. In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ.

10. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum; et dedit illi contra inimicos potentiam.

11. Et stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos.

23 « Et notum fecit regi : » Sauli. « De terra : » apparitio Samuelis : I. Reg. XXVIII. 13, etc. « Impietatem gentis : » Saulem ipsum impium, nec Deo obsequentem.

1 « Post hæc... Nathan. » Seriem prophetarum editurus, a Samuele pergit ad Nathan, quo prophetante, res Davidis. Is enim est, quo auctore, de templo et regia successione promissa suscepit, et pœnitentiam egit, et Salomonem unxit : II Reg. VII. XII. III. Reg. I.

2 « Et quasi adeps separatus a carne. » Comparatio ducta a ritu sacrificiorum. Adeps pars optima sacrificii, ac Domino separata, ita David. Gr. separatus a salutari, a victima pro salute, Levit. III. 3. eodem sensu. De reliquis vide I. et II. Reg.

11 « Stare fecit cantores ; » ordinavit levitici ordinis officia. I. Par. XXIII. et seq.

Dedit in celebritatibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem; in laudando ipsos nomen sanctum ejus, et a mane personando sanctitatem.

Dominus abstulit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regum, et thronum gloriæ in Israel.

Cum hoc surrexit filius sciens, et propter illum habitavit in latitudine.

Salomon regnavit in diebus pacis, cui Deus requiem dedit in circuitu; ut conderet domum in nomine ejus, et pararet sanctitatem in sempiternum.

Quam sapiens fuisti in juventute tua: et impletus es, quasi flumen, intellectu! Terram contexit anima tua:

Et replesti in parabolis ænigmatum. Ad insulas longe pervenit nomen tuum; et dilectus fuisti in pace tua.

In cantilenis et proverbiis et parabolis et interpretationibus, te miratæ sunt terræ.

In nomine Domini Dei, cui cognomen est Deus Israel,

Collegisti quasi stannum, aurum; et ut plumbum multiplicasti argentum.

Inclinasti femora tua mulieribus, et subjugatus es in corpore tuo.

Dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum, inducere iram super filios tuos: et cumpunctus sum super stultitia tua.

Ut feriet imperium bipartitum, et

12. Et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ: ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem.

13. Dominus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ in Israel.

14. Post ipsum surrexit filius sensatus; et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum.

15. Salomon imperavit in diebus pacis, qui subjecit Deus omnes hostes; ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum. Quemadmodum eruditus es in juventute tua;

16. Et impletus es, quasi flumen, sapientia: et terram retexit anima tua.

17. Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, et dilectus in pace tua.

18. In cantilenis, et proverbiis, et comparationibus, et interpretationibus miratæ sunt terræ,

19. Et in nomine Domini Dei, cui est cognomen Deus Israel.

20. Collegisti quari aurichalcum aurum, et ut plumbum complesti argentum.

21. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo:

22. Dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam:

23. Ut faceres imperium biparti-

13 « Purgavit peccata: » II. Reg. XII. 13. « Testamentum regni, » legem de regno ejus domui dando in hæreditatem. I. Reg. VII. 12. et seq.

15 « Eruditus es in juventute tua. » Converso sermone ad Salomonem; qui a Deo doctus puer, et ab initio regni, III. Reg. III. et jam inde ab ortu vidit David parentem de templo assidue cogitantem: II. Reg. VII. XXIV.

16 « Terram retexit » (contexit, Gr.) « anima tua; » quod explicatur ℣ 17, 18. Replevit enim terram proverbiis, parabolis, sive comparationibus, id est, similitudinibus, ænigmatibus, canticis, cujus quippe parabolæ ad tria millia fuerint, carmina autem ad quinque millia: III. Reg. IV. 31, 32. X. 24. De Salomonis autem longe lateque, et « usque ad insulas, » hoc est, phrasi hebraica, ad extrema terrarum divulgato nomine, habes, III. Reg. IV. 31, 34. tum cap. X. 1. 11. 22.

20 « Collegisti:... aurum. » De auri argentique copia: ibid. 14. 20. II. Par. IX. 13, 27, etc.

21 « Potestatem habuisti in corpore tuo: » quasi accepta licentia eo utendi pro libidine, vel ex Gr. perdomitus es, subjugum missus es in corpore tuo, muliebribus illecebris victus.

22 « Inducere iracundiam: » ita ut induceretur. « Et incitari stultitiam tuam. » stultum amorem mulierum. Gr. compunctus sum, attonitus sum, etc.

23 « Ex Ephraim: » ex Jeroboam Ephraimitico, atque ex decem tribubus, quæ sæpe

ex Ephraim inciperet regnum inobediens.

Dominus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet opera sua, nec delebit electi nepotes; et semen ejus, qui ipsum dilexit, non tollet.

Et dedit reliquias Jacob, et Davidi ex ipso radicem.

Et requievit Salomon cum patribus :

Et reliquit post se, de semine suo, gentis stultitiam,

Et imminutum prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo :

Et Hieroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, et dedit viam peccati ipsi Ephraim. Et redundaverunt peccata ipsorum valde;

Ut averteret eos a terra.

Et quæsiverunt omnem nequitiam, donec vindicta venerit super eos.

tum, et ex Ephraim imperare imperium durum.

24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui; et semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet.

25. Dedit autem reliquum Jacob, et David de ipsa stirpe.

26. Et finem habuit Salomon cum patribus suis.

27. Et dereliquit post se, de semine suo, gentis stultitiam,

28. Et imminutum a prudentia, Roboam, qui avertit gentem consilio suo :

29. Et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, et dedit viam peccandi Ephraim : et plurima redundaverunt peccata ipsorum.

30. Valde averterunt illos a terra sua.

31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio : et ab omnibus peccatis liberavit eos.

CAP. XLVIII. Elias, Elisæus, Ezechias, Isaias propheta magnus. 25. eo duce liberati, 23. Vis precum, 22.

s. v. — Et surrexit Elias propheta quasi ignis : et verbum illius quasi facula ardebat.

Qui induxit in illos famem : et zelo suo paucos fecit eos.

In verbo Domini continuit cœlum : deduxit sic ter ignem.

Quam glorificatus fuisti Elias in

v. v. — 1. Et surrexit Elias propheta quasi ignis : et verbum ipsius quasi facula ardebat.

2. Qui induxit in illos famem; et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt : non enim poterant sustinere præcepta Domini.

3. Verbo Domini continuit cœlum: et dejecit de cœlo ignem ter.

4. Sic amplificatus est Elias in mi-

Ephraim vocarentur : « imperare imperium durum : » Gr. incipere (exurgere) imperium inobediens, sive perduelle.

25 « Dedit reliquum : » reliquias « Jacob et David : » *tô Iakôb, tô Dauidi;* dativo casu : « de ipsa stirpe : » Salomonis.

26 « Finem habuit : » dormivit, requievit : Gr. III. Reg. XI. 43.

29 « Qui peccare fecit Israel. » Quo elogio semper designatur in Scripturis, ut videre est passim libro Reg. III et IV.

30 « A terra : » promissa, ex qua translati sunt in Assyriam propter peccata sua, quorum initium fuit illa secessio a Juda, auctore Jeroboamo, IV. Reg. XVII, 4, 21, etc.

31 « Quæsivit omnes nequitias : » vide Gr. in Latinis defensio pro ultione; ut in illo Pauli, Rom. XII. 19. « non vosmetipsos defendentes : » Gr. ulciscentes. « Ab omnibus peccatis : » Gr. deest.

1 Quasi ignis.... quasi facula : » propter ardentem zelum : unde igne raptus in cœlum. De rebus autem Eliæ, III. Reg. XVII. et seq.

mirabilibus tuis! et quis similis tibi, ut glorietur?

Qui suscitatis cadaver a morte et ab inferis, in verbo Altissimi.

Qui dejecisti reges in perniciem, et gloriosos de lecto suo.

Qui audis in Sina correptionem, et in Choreb judicia vindictæ.

Qui ungis reges in retributionem, et prophetas successores post teipsum.

Qui assumptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.

Qui descriptus es in correptionibus ad tempora lenire iram ante furorem, et consiliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.

Beati, qui te viderunt, et qui in amicitia decorati sunt.

Nam et nos vita vivemus.

Elias, qui in turbine tectus est: et Elisæus impletus est spiritu illius. Et in diebus suis non est commotus a principe: et non subjugavit eum quisquam.

Non superavit illum aliquod verbum, et in dormitione prophetavit cor ejus.

Et in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia opera ejus.

In omnibus his non pœnituit populus, et non recesserunt a peccatis, usque dum direpti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram.

rabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?

5. Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis, in verbo Domini Dei.

6. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo.

7. Qui audis in Sina judicium, et in Horeb judicia defensionis.

8. Qui ungis reges ad pœnitentiam; et prophetas facis successores post te.

9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.

10. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.

11. Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt.

12. Nam non vita vivimus tantum: post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

13. Elias quidem in turbine tectus est; et in Eliseo completus est spiritus ejus. In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum.

14. Nec superavit illum verbum aliquod: et mortuum prophetavit corpus ejus.

15. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.

16. In omnibus istis non pœnituit populus, et non recesserunt a peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram:

6 « In Sina....., in Horeb: » quod est jugum montis Sina: III. Reg. XIX. 8. « Defensionis: » ultionis, vide XLVII. 31. Quæ autem judicia, quas ultiones, Elias, instar alterius Moysi, in Sina audierit, vide III. Reg. XIX. 17.

8 « Qui ungis reges: » ibid. 15, 16. « Ad pœnitentiam: » Gr. ad retributionem, sive rependendas vices, peccatis scilicet, quo ad pœnitentiam provocentur. « Et prophetas... successores: » ibid.

10 « Qui scriptus es. » Vide etiam Gr. Hæc subdens post Eliæ raptum in cœlum, satis indicat Eliæ officium nondum esse completum, reservarique eum ad leniendam destinato tempore Dei iracundiam; quod partim impletum in Joanne Baptista quem Elias figurabat, partim impleendum Elia adventuro ante secundum Christi adventum, ex antiquissima Hebræorum Christianorumque doctrina, qua de re, Præfatione in Apocalypsim, diximus. Conferendus autem hic locus cum illo de Enoch, supra, XLIV. 16. « Cor patrum ad filios: » juxta Mal. IV. 6.

13 « In Eliseo spiritus ejus: » qua de re et aliis Elisei gestis, IV. Reg. II. et seq.

14 « Nec superavit: » nec res ulla super illum fuit; verbum pro re, sæpe notato hebraismo. « Mortuum prophetavit: » miraculo edito, ne suscitato mortuo: IV. Reg. XIII. 21.

16 « Non pœnituit: » non sunt emendatæ decem tribus, tot miraculis et oraculis monitæ.

Et relicta est gens perpauca, et princeps domui David.

Quidam sane ipsorum fecerunt quod placeret : quidam autem multa commiserunt peccata.

Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medio ipsorum Gog : fodit ferro rupem, et ædificavit puteos ad aquas.

In diebus ipsius ascendit Nacherim, et misit Rabsacem, et promovit. Et promovit manus ejus in Sion; et jactavit se in superbia sua.

Tunc commota sunt corda et manus ipsorum; et doluerunt quasi parturientes.

Et invocaverunt Dominum misericordem, expendentes manus suas ad eum. Et Sanctus de cœlo cito exaudivit eos,

Et redemit eos in manu Esaiæ.

Percussit castra Assyriorum; et contrivit eos angelus ejus.

Nam fecit Ezechias quod placuit Domino, et fortiter fuit in viis David patri sui, quas mandavit Esaias propheta magnus, et fidelis in visione ipsius.

In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam.

Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum.

Ostendit futura et abscondita, antequam ipsa evenirent.

17. Et relicta est gens perpauca et princeps in domo David.

18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo; alii autem multa commiserunt peccata.

19. Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam; et fodit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum.

20. In diebus ipsius ascendit Sennacherib, et misit Rabsacen, et sustulit manum suam contra illos, et extulit manum suam in Sion; et superbus factus est potentia sua.

21. Tunc mota sunt corda et manus ipsorum; et doluerunt quasi parturientes mulieres.

22. Et invocaverunt Dominum misericordem, et expendentes manus suas, extulerunt ad cœlum; et sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum.

23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

24. Dejecit castra Assyriorum; et contrivit illos angelus Domini.

25. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei.

26. In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam.

27. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum.

28. Ostendit futura et abscondita, antequam evenirent.

17 « Gens perpauca. » Solebant in illis migrationibus paucissimos relinquere ad colendos agros, et opificia necessaria ; itaque paucissimi ex decem tribubus in terra sua relicti. IV. Reg. XVII, XXIV. « Princeps in domo David. » Dejectis regibus, nullus jam, nisi in ea domo, principatus.

18 « Quidam ipsorum : » principum e Davidis familia.

19 « Munivit civitatem.... induxit. .. aquam, » II. Par. XXXII. 5.

21 « Quasi parturientes : » IV. Reg. XIX. 3.

22 « Invocaverunt Dominum : » Ezechias et Isaias, ibid. 15. II. Par. XXXII. 20.

23 « Purgavit eos : » liberavit ; Gr. « in manu Isaiæ : » eo duce, orante et prophetante : ibid.

25 « In conspectu Dei : » in visis a Deo missis : Gr.

27 — 28 « Spiritu magno, » forti, excelso : « vidit ultima : » extrema calamitatum et imminens excidium urbi, sive etiam ultima, a temporibus suis remotissima : quod sequenti congruit. « Usque in sempiternum ostendit : » quæ longo post tempore eventura erant, puta de Cyro et aliis ; quæ etiam in æternum duratura, de Christo, ejusque Ecclesia. Quæ etsi aliis prophetis conveniant, Isaiæ tamen speciatim tribuuntur, quo nemo plura, remotiora, clariora ac luculentiora vidit.

CAP. XLIX. Josias, Jeremias, Ezechiel, duodecim Prophetæ Zorobabel, Jesus filius Josedec, Nehemias, Enoch, Joseph, Seth et Sem.

s. v. — Memoria Josiæ in compositionem incensi, facta opere unguentarii.

In omni ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini.

Ipse directus est in conversione populi, et abstulit abominationes iniquitatis.

Direxit ad Dominum cor suum; in diebus iniquorum corroboravit pietatem.

Præter David et Ezechiam, et Josiam, omnes delictum deliquerunt.

Nam reliquerunt legem Altissimi; reges Juda defecerunt.

Dederunt enim cornu suum aliis, et gloriam suam alienæ genti.

Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Hieremiæ.

Nam male tractaverunt illum: et ipse in utero consecratus est propheta, eradicare, et affligere, et perdere, similiter ædificare et plantare.

Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim.

v. v. — 1. Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii.

2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.

3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis.

4. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius; et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

5. Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt.

6. Nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, et contempserunt timorem Dei.

7. Dederunt enim regnum suum aliis, et gloriam suam alienigenæ genti.

8. Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ.

9. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare.

10. Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim.

1 — 2 « In compositionem.... in omni ore: » et hujus præ cæteris, suavis memoria, propter admirabilem pietatem atque innocentiam, quod octo annos natus, Deum colere cœperit, neque unquam destiterit: IV. Reg. XXII. XXIII, neque quisquam similis illi fuisse memoratur, aut pari luctu deflectus, ab ipso Jeremia editis lamentationibus. II. Par. XXXV. 24, 25.

3 « Directus divinitus: » Gr. « ipse prospere egit, etc. » Tulit abominationes, « etiam excelsa quæ ædificaverat Salomon, prætermissa Ezechiæ aliisque piis regibus. IV. Reg. XXIII. 13.

4 « Cor ipsius: » suum; « in diebus peccatorum: » cum iniquitas per tot prava exempla usque adeo invalesceret, ut Deus jam plebi non esset placatus, nec propter tantam Josiæ pietatem. IV. Reg. XXIII. 26.

5 « Præter David, et Ezechiam: » atqui nec Ezechias prorsus irreprehensus; sicut scriptum est: « Attamen in legatione principum Babylonis; dereliquit eum Deus, » etc. II. Par. XXXII. 31. imo acriter increpatus ab Isaia. IV. Reg. XX. 16. Ergo intelligendum videtur hos tres reges tantum fuisse qui nihil commiserint contra cultum Dei, cum de ipso Asa et ejusdem filio Josaphat tam piis memoretur; « excelsa non abstulit. » III. Reg. XV. 14. XXII. 44. Addamus tres illos reges non peccasse ullum grande peccatum directe contra legem: nam peccata Davidis tot eluta lacrymis, coram Deo pro infectis ac nullis habentur, ad commendandam vim pœnitentiæ.

6 « Reges Juda: » horum pars maxima.

7 « Dederunt regnum suum: » Deum per sua peccata perpulerunt ut daret.

8 « Incenderunt: » alieni: de quibus ℣ præcedenti. IV. Reg. XXV. 9. « In manu Jeremiæ: » id vaticinante Jeremia.

9 « A ventre matris: » Jerem. I, 5. « Evertere: » ibid. 10. « ut evellas et destruas, » etc.

10 « Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ: » ejusdem Ezech. I. ex quo viso omnis ejus prophetia pendet: ibid. VIII. 2. X. 1, 2, etc.

Nam commemoratus est inimicorum in imbre, et benefacere illis qui dirigunt vias.

Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo. Consolatus est autem Jacob, et redemit eos in fide spei.

Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signaculum in dextra manu.

Sic Jesus filius Josedec. Qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt populum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam.

Et Nehemiæ memoria in multum tempus, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, et erexit sola domorum nostrarum.

Nemo creatus est, qualis Enoch, talis in terra : nam et ipse assumptus est a terra.

Neque sicut Joseph natus est vir princeps fratrum, stabilimentum populi.

Et ossa ipsius visitata sunt.

11. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.

12. Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob; et redemerunt se in fide virtutis.

13. Quomodo amplificemus Zorobabel, nam et ipse quasi signum in dextera manu;

14. Sic et Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exultaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

15. Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.

16. Nemo natus est in terra qualis Henoch; nam et ipse receptus est a terra.

17. Neque ut Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi;

18. Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.

11 « In imbre : » comminatus procellam, et imbrem inundantem, et lapides grandes ad dissipandos falsorum prophetarum conatus. Ezech. XIII. 11, 13. « Benefacere illis qui : » nec tantum impiis minas; sed bene agentibus ac pœnitentibus fausta promissa protulit : XVIII, XXVII, XXXIV. 23. præsertim vero XL. et seq.

12 « Et duodecim Prophetarum. » Ex his patet, jam tum, ut Isaiam, Jeremiam, Ezechielem seorsum, XLVIII. 23. XLIX. 9, 10. ita duodecim Prophetas simul, singularem librum fecisse; quod recte notavit noster Daniel Huetius vir eruditissimus, nunc Abrincensis episcopus. De Daniele autem hic tacitum, quod Hebræi non solerent recensere eum inter Prophetas; quippe qui non propheticam, sed satrapicam, ut aiunt, vitam egerit, sed inter hagiographos, referente Hieronymo, et ita Scripturam ordinante in suo canone quem docti Benedictini adornant : quo loco iidem Hebræi post Job, Davidis, Salomonis, et alios haud minus divinitus inspiratos libros reponunt. Sane Daniel apud Ezechielem non semel : XIV, XXVIII. 3. ejus autem liber inter Scripturas memoratur ante Christum, I. Mach. II. 59, 60. temporibus Ecclesiastico proximis, ut diximus. « Ossa pullulent : » de hac formula vide XLVI. 14. « Corroboraverunt Jacob : redemerunt se : » eos. Gr. Deo tribuit : per Prophetas scilicet, eodem sensu : « In fide virtutis : » Dei virtute freta. Gr. in fide spei : spe certa fide nixa.

13 « Quomodo amplificemus : » magnificemus : Gr. « Zorobabel : 14. Jesum filium Josedec, 15. et Nehemias. » Nulla hic Esdræ mentio : quod tantum commemoret prophetas et populi duces; quo etiam nomine veniunt sacrorum præsides, ut diximus : ad XLIV. 3, 4. sane Esdras scribæ, sive doctoris, non prophetæ nomine insignitus. Zorobabel autem dux gentis. « Quasi signum in dextera manu, » res conjunctissima, lectissima, diligentissime custodita : ab Aggæo repetitum : II. 24. ubi de Zorobabele dicitur : « Ponam te, quasi signaculum, quia te elegi. » Quo sensu in Canticis, VIII. 6. « Pone me ut signaculum super brachium tuum. » De Jesu filio Josedec summo sacerdote et de Nehemia notum, ex Aggæo, Zacharia, VI. 11. primo et secundo Esdræ.

16 « Qualis Henoch. » Redit ad eum, a quo exorsus est; XLIV. 16. tantum virum, ut ortum licet a terra, terra tamen non caperet; eique conjungit velut extra ordinem Josephum, Seth et Sem

17 « Qui natus est homo princeps : » a nativitate destinatus : sed Gr. aliter ac simplicius.

18 « Ossa ipsius visitata sunt : » translata sunt ab Ægypto, quemadmodum ipse præceperat.

Sem et Seth apud homines gloriam adepti sunt. Et super omne animal in creatione Adam.

19. Seth et Sem apud homines gloriam adepti sunt; et super omnem animam in origine Adam.

CAP. L. Simon Oniæ filius, ejus oratio : adhortatio ad orandum : duæ gentes invisæ; tertia nec dicenda gens : libri auctor.

5. V. — Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

Et ab ipso fundata est altitudo duplicis, reparatio excelsa ambitus templi.

In diebus ipsius imminutum est receptaculum, æs quasi maris perimetrum.

Curam gerens populi sui a casu, et fortificans civitatem ad obsidendum.

Quam glorificatus est in conversa-

V. V. — 1. Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.

2. Templi etiam altitudō ab ipso fundata est, duplex ædificatio, et excelsi parietes templi.

3. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum.

4. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.

5. Qui prevaluit amplificare civi-

Gen. L. 23, 24. Exod. XIII. 19. « Post mortem prophetaverunt : » impleta sunt de ejus ossibus vaticinia, quæ ipse vivus ediderat. Ibid.

19 « Seth et Sem : » Seth a quo ortus Noe et piorum progenies, ii scilicet qui ante diluvium filii Dei vocabantur : Gen. VI. 2, 4. Ideo conjunctus cum « Sem, » qui et ipse a diluvio origo piæ gentis, Abrahami et Abramidarum parens, a Deo præ cæteris fratribus benedictus. Gen. IX. 26, 27. « Super omnem animam : » ideo præ cæteris Adami filiis clari et excelsi habentur. Adam autem nonnisi in filiis memoratur, neque alia ulla laude donatur, quippe peccati, ut generis humani, auctor.

1 « Simon. » Duos pontifices hujus nominis fuisse in Præfatione diximus : Simon I. justus, Seleuco Nicanore Syriæ, Ptolemæo Lagi filio Ægypti regibus, in ipsis imperii Macedonici initiis, floruit : cujus nepos Simon II. post Eleazarum ac Manassen patruos et Oniam II. parentem octoginta fere annis, postquam avus cœperat, Antiocho Magno ac Ptolemæo Philopatore Syriæ et Ægypti regibus, viginti annos præfuit. Hunc mitis extollit laudibus, recente viri memoria; ad conciliandam quoque gratiam Oniæ III. ejus filio viro maximo, ex paternarum virtutum ac beneficiorum commemoratione, adversus intrusos nefarios sacerdotes Jasonem, Menelaum, Lysimachum, a quibus ille sacerdotio exutus, ut in eadem Præfatione dictum, « In vita sua : in diebus suis. » Sic de mortuis loqui solent. Idem, ỳ 3. vide Præfat. « Suffulsit, » Gr. sarcivit : « domum : » templum.

2 « Fundata est : » fulta est; supra, XXII. 19. « Duplex ædificatio. » Duplex murus in ambitu templi ad muniendum locum. Gr. ab ipso fundata est altitudo duplicis, *diplês* supple, *upoteichisêês*, substructionis, muri, (quod est) munimentum excelsum ambitus templi. Horum autem et aliorum operum, ỳ 3, 5. nulla, præterquam hic, memoria. Templum sub hæc tempora, munimenti instar fuisse, videas in Machabaicis passim.

3 « Putei aquarum : » Gr. imminutum est aquarum receptaculum : (sive plurali numero, imminuta receptacula) æs quasi maris ambitus, id est, aquarum receptacula, (putei, aquæductus, cætera ejusmodi ad lavandi et potandi usum) cum antea imminuta essent, hujus pontificis tempore facta sunt ut mare illud æreum amplissimum, in templo collocatum, III. Reg. VII. 23. II. Paral. IV. 2. Alia lectio indicat mare illud æneum factum esse tripliciter majus.

4 « Liberavit eam a perditione. » Qui Ptolemæum Philopatorem Ægypti regem, negato a Judæis sanctuarii aditu, extrema intentantem, ac prope jam sævientem, precibus ad Deum fusis sacro loco prohibuit, quo initio regis victoria tumidi fracta superbia, mutataque mens in melius non modo salvis Judæis et ab omni vi tutis, verum etiam oppressis, qui eos ad vincula cædemque poscerent. Scriptum III. Mach. antiquo sane libro, licet non canonico, cap. I, II, VI, VII. Gr. brevius : qui curam gessit populi sui a casu, sive ab excidio liberandi.)

5 « Qui prævaluit : » Gr. qui munivit civitatem ab obsidendum, si obsideri contingeret.) quo etiam quidam referunt antecedentia, nempe Simonem populo cavisse ab excidio; eo quod munimentis additis, urbem difficiliorem oppugnatu fecerit. Sed aliud postulant ipsæ Simonis res, ipsaque verborum vis; quibus gens non a futuro ac remoto, sed ab imminente exitio liberata fuisse videatur; ex similibus locis II. 3. et aliis : præsertim si attenderis ad antiquam lectionem quam Vulgata secuta sit, cujus vel maximam haberi opportere rationem, in aliis quoque locis haud

tione populi, in egressu domus velamenti?

Quasi stella matutina in medio nubis : quasi luna plena in diebus.

Quasi sol refulgens super templum Altissimi : et

Quasi arcus refulgens inter nubes gloriæ : quasi flos rosarum in diebus vernis, quasi lilia super transitus aquæ : quasi germen Libani in diebus æstatis :

Quasi ignis et thus super focum :

Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso :

Quasi oliva pullulans fructus, et quasi cypressus exaltata in nubibus. In accipiendo ipsum stolam gloriæ, et induendo consummationem gloriationis :

In ascensu altaris sancti gloriam dedit amictui sanctitatis :

tatem; qui adeptus est gloriam in conversatione gentis; et ingressum domus et atrii amplificavit.

6. Quasi stella matutina in medio nebulæ; et quasi luna plena in diebus suis lucet.

7. Et quasi sol refulgens sic ille effulsit in templo Dei.

8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis.

9. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.

10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

11. Quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consummationem virtutis.

12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.

paucis vidimus. « In conversatione gentis : » conversionem intellexit, pro quo proclive libraríis conversationem reponere, ut supra XVIII. 24. Quid autem est Simoni obtigisse gloriam : « in conversione gentis? » nisi eum claruisse cum res populi e tranquillo statu in trepidum ac turbidum verterentur, qua in conversione Simonem illustrem habitum etiam sequentia demonstrabunt. Alioquin certum est Simoni obvenisse gloriam « ex conversatione gentis, » quam dicto audientem, et legi obsequentem semper habuerit. Gr. *en péristrophé laou*, quod etiam verti potest : in circumstantia populi; qua interpretatione ista pars versus in Gr. sic habebit : Quam glorificatus est in multitudine populi circumstantis, in egressu domus velamenti, id est, cum stato die ex Levit. XVI. 15. sanctuarium ingressus, ex velamento domus templi, id est, ex ipso adyto, rursus exiret ad multitudinem ! cui sequentia congruunt.

6 « Quasi stella matutina. » Pontificem ex adyti velo, ac templo prodeuntem convenientissime comparat lucifero inter nebulas exorienti, ac velut noctis vela rumpenti; cæterisque rebus splendidis postea referendis : ỳ 7. et seq. Conjicere autem datur, Simonem unum, præ cæteris quorum meminissent pontificibus, insigni decore sacris operatum, specie sacerdotio digna. Sane commemorat præ cæteris cæremoniis ingressum in adytum, quod solus pontifex eo honore polleret. Nec absurdum Simonem in ea cæremonia clariorem visum cæteris, quod is sacri adyti religionem, ac pontificiam prærogativam magnifice defenderit a Ptolemæi conatibus, ut vidimus. Quæ quidem, recentissima memoria, enarrata iis qui viderant, afficere solent animos tanti splendoris dignitatisque memores.

7 « Quasi sol : » Gr. quasi sol refulgens supra templum Altissimi : supra cœlum quæ est Dei sedes, ipso templo repræsentata.

8 « Quasi arcus refulgens. » Hæc et sequentia pertinent ad commendandas pontificias vestes, colorum varietate, ac splendore gemmarum. « Quasi thus redolens. 9. Quasi thus ardens. » Pontifices, quod Deo thymiama adolerent, arcamque et tabernaculum et altare, aliaque templi utensilia oleo perlinirent, prodibant et ipsi odoratissimo vapore ac liquore perfusi : Exod. XXX.

11 « Quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem. » Quod pontifex erecto corpore, sacra etiam tiara venerandus, propter habitus majestatem, cæteris quoque mortalibus major ac procerior haberetur. « Stolam gloriæ : » splendidam, illustrem. « In consummatione, » sive perfectione « virtutis : » Gr. gloriationis, decoris, magnificentiæ.

12 « In ascensu. » Mirum videri possit Ecclesiasticum Simonis pontificis gesta prædicantem, totis undecim versibus, ab hoc scilicet usque ad 24. nihil aliud agere, quam ut sacrificii, nec omnis, sed pacifici, sive eucharistici ac salutaris, quorum idem usus, studiose describat cæremonias a quovis pontifice, imo etiam a quovis sacerdote per pontificis absentiam sacris præsidente, peragi solitas. Alio ergo spectat : nempe ad illud insigne miraculum de quoad ỳ 4. quo sane miraculo vel maxime constat Simonis hujus laus. Sane qua die illud evenit, Ptolemæus

In accipiendo autem membra de manibus sacerdotum, et ipse stans juxta focum aræ, circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in Libano :

Et circumdederunt illum quasi rami palmarum, et omnes filii Aaron in gloria sua.

Et oblatio Domini in manibus ipsorum coram omni ecclesia Israel. Et consummatione fungens super aras ad ornandum oblationem Excelsi omnipotentis,

Porrexit manum suam super libatorium, et libavit de sanguine uvæ :

Effudit ad fundamenta altaris odorem suavitatis excelso omnium regi.

Tunc exclamaverunt filii Aaron : in tubis ductilibus sonuerunt : auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Altissimo.

Tunc omnis populus simul properavit; et ceciderunt in faciem super

13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano;

14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, et omnes filii Aaron in gloria sua.

15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel; et consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis,

16. Porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvæ.

17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, et auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo.

19. Tunc omnis populus simul properaverunt, et ceciderunt in fa-

Philopator in ipsis Jerosolymis, in ipso templi loco, pro ingente reportata de Syris victoria, eucharisticum sacrificium offerebat, Simone pontifice sacra peragente. Quibus expletis omnibusque ordine gestis, rex ad ipsum templum accessit, sacrisque ritibus, ac loci majestate, ministeriorumque ordine stupefactus, non modo sanctum locum, quo solis sacerdotibus, verum etiam sancta sanctorum, quo soli pontifici, idque semel in anno penetrare fas erat, ingredi voluit : III. Mach. cap. 1. Cumque nullis precibus aut adhortationibus flecteretur, Simon pontifex, sacris ut erat indutus vestibus, conversus ad templum, fudit orationem eam, quæ habetur ibid. cap. 2. cujus vim mirabilem ex eodem capite statim memoravimus, ad ỳ scilicet 4. Tantæ ergo celebritatis, rerumque in ea gestarum memor Ecclesiasticus, solemnissimi sacrificii ordinem exequitur ad ỳ 23. quo loco post sacra iteratam sancti pontificis precationem, ejusque vim celebrat; eo denique exemplo populum hortatur, ut piis precibus Deum inflectat ad misericordiam, ỳ 24. et seq. Summa hæc : jam ad singula. « In ascensu altaris sancti : » cum sublimis pontifex clivum altaris inscenderet, totum ambitum illustravit ex circumfulgentia sacræ vestis; quo ab initio describere incipit sacrificii ritum, non tamen alterius quam pacifici, ut supra memoravimus, ac diligentissime observari volumus.

13 « In accipiendo partes : » *méré*. Gr. *mélè?* membra, eodem sensu. In pacificis enim sacrificiis non tota victima, sed ejus pars aliqua, membrum aliquod, renes, pectus, jecur, adeps, cætera in Levitico designata, vel cedebant in partem Aaronis, hoc est, pontificis, seu cuicumque sacro præerat, vel ab eo igni tradebantur : quarum rerum gratia a singulis sacerdotibus sacrorum præsidi deferebantur in manus. Levit. VII. 29. et seq. IX. 18. et seq. « Circa illum corona fratrum : » sacerdotum : ex eadem Aaronis stirpe, ut ỳ seq.

14 « Quasi rami palmæ, » seu quasi palmæ ramosæ, « in gloria sua : » in ornatu suo, in sacris vestibus.

15 « Et consummatione fungens : » Græce et ministerium perfecte implens (pontifex) « in ara : » Gr. super aras : *épi bômôn* : aræ enim nomine veniebant non modo altare illud insigne, in quo holocausta, adeps, et cætera hujusmodi cremabantur, verum etiam mensæ ad quas victimæ offerri, et immolari, seu cædi solebant : ad has igitur aras pontifex ministrabat, cum ab una ad aliam, victimæ, adeps, et cætera, sanguis etiam in pateris deferretur, in Exodo et Levitico passim « Amplificare oblationem, » ad amplificandam, Gr. ad ornandam, id est, caste ac decore celebrandam « oblationem : »

16 « Porrexit manum suam : » quo loco ad libationes, versu deinde 17. ad suffitus venit quæ est pars vel pulcherrima sacræ actionis. « Excelso principi : » excelso omnium regi : *pambasilei*.

18 « In tubis productilibus : » ex ductili materia factis. Sacerdotum autem erat clangere tubis, super pacificis quoque victimis : Num. X.

terram, adorare Dominum suum omnipotentem Deum excelsum.

Et laudaverunt psallentes in vocibus suis : in magna domo dulce factum est melos.

Et rogavit populus Dominum excelsum in prece ante misericordem, usque dum perfectus est honor Domini, et ministerium ejus perfecerunt.

Tunc descendens manus suas extulit in omnem ecclesiam filiorum Israel dare benedictionem Domino in labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.

Et iteravit in adoratione, ad ostendendum benedictionem ab Altissimo.

Et nunc benedicite Deum omnes, qui magna facit ubique, qui exaltat dies nostros ab utero, et facit nobiscum secundum misericordiam suam.

Det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel secundum dies seculi,

ciem super terram, adorare Dominum Deum suum, et dare preces omnipotenti Deo excelso.

20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis; et in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus.

21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, et munus suum perfecerunt.

22. Tunc descendens manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo a labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.

23. Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.

24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, et fecit nobiscum secundum suam misericordiam :

25. Det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos;

20 « Amplificaverunt : » magnificarunt, laudarunt. Gr.

22 « Tunc, » peractis omnibus, perfectoque « honore Dei ac munere, » sive ministerio, Gr. ỳ præcedente : pontifex « descendens » ab altari, « manus suas extulit, » extendit ad benedicendum populum. Levit. IX. 22. Num. VI. 27. quo fine dimittebatur cœtus : ibid.

23 « Et iteravit orationem suam. » Manifeste spectat ad orationem eam, quam, Philopatore jam in templum irruente, Simon effuderat; signanter enim dictum III. Mach. I. 9, 10, 11. absoluto sacrificio id factum : cum rex ab ipso loco in quo sacra spectabat, jam accederet ad templum, ejusque optimam dispositionem admiratus, vi pararet ingressum. Igitur « iteravit » Simon « orationem suam : » novis rebus coortis de integro orare cœpit, idque flexis genibus, et manus decenter extendens, ibid. II. I. « Volens ostendere virtutem Dei : » sive ut habet Gr. benedictionem a Deo territurio impium regem, ne infanda cœpta peragaret. Jam ergo totius hujus loci a ỳ 12. sibi constat sensus, et absque his quidem nulla causa suberat, cur Ecclesiasticus pacifici sacrificii ritus omnes et singula officia sacerdotalia, tanquam eximias ac proprias Simonis res, tanta diligentia et copia referret; quæ sane laudatio perquam frigida et inanis esset. Nunc res tota claruit, certaque præsto est ratio, cur omissis aliis sacrificiis, pro peccato scilicet atque holocaustis, eucharistica tantum describenda susceperit; quippe cum Simoni nostro talia sacra, in hac temporum necessitudine, peragenda contigerint : quæ adhuc recentia et vulgo notissima clarius ac distinctius designari nihil attinebat : nec aliter res notæ in aliis Scripturæ locis, præsertim in Psalmis referuntur. In Gr. pro, « iteravit orationem, » legimus, iteravit in adoratione. Orare, adorare, ac venerari et græce et latine passim pro ipsa oratione habentur.

24 « Et nunc orate. » In Simonis oratione tanta vis fuit, ut rex confestim flagellatus a Deo, atque instar arundinis agitatus, et prostratus in terram, re infecta reportaretur domum, III. Mach. I. 16, 17, 18, et quidem nullius fuso sanguine; quo nihil mirabilius, cum plebs in necem rueret potius quam violari sineret sacri loci religionem, ipse rex fureret, et ausurus extrema videretur. Neque minus efficax fuit deprecatio, cum idem rex nondum remissa ira, Judæos Alexandrinos elephantis prædæ daturus, iisdem Judæis ad exemplum Jerosolymitarum ac Simonis orantibus, perculsus amentia a proposito destitit, multaque ac magna beneficia in pium gentem contulit : ibid. 5, 6, 7. Merito ergo Ecclesiasticus his commemoratis addit : « et nunc, » tanto exemplo docti, quanta « sit virtus Dei : » ỳ præced et quid precatio possit, « orate Deum omnium » pro pace et incolumitate populi : hic et seq.

25 « Fieri pacem : » vexationibus quæ nunc instant, ex cap. XXXVI. in melius versis.

Fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam; et in diebus ejus liberet nos.

Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens :

Qui sedent in monte Samariæ, Philisthiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis.

Doctrinam intellectus et scientiæ scripsi in codice isto, Jesus filius Sirach Hierosolymita, qui diffudit sapientiam de corde suo.

Beatus qui in istis versabitur : et qui posuerit illa in corde suo, sapiens erit.

Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit : quia lux Domini vestigium ejus.

26. Credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.

27. Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens, quam oderim;

28. Qui sedent in monte Seir, et Philisthiim, et stultus populus, qui habitat in Sichimis.

29. Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.

30. Beatus, qui in istis versatur bonis; qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper.

31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit; quia lux Dei vestigium ejus est.

CAP. LI. A morte liberatus, Deo agit gratias : populum adhortatur ad sectandam exemplo et ductu suo sapientiam : danti sapientiam dat gloriam, 23. modicum laboranti magna obvenit requies, 35. operanti ante tempus merces datur in tempore, 38.

s. v. — *Oratio Jesu filii Sirach.*

Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum.

v. v.

1. Oratio ejus filii Sirach; Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum

26 « Credere Israel : » ita ut credat Israel.

27—28 « Duas gentes..... tertia non gens... qui sedent in monte Seir : » Idumæi, Esau sive Edom posteri, perpetui jam inde ab initio Israelitarum hostes, et tunc quoque infensissimi : I. Mach. v. 3. etc. Pro monte Seir in Scripturis noto, atque Esau posteris attributo, Gr. in monte Samariæ; quæ pessima ac prorsus rejicienda lectio, cum de Samaritanis mox agatur. « Philisthiim : » qui hostili semper animo, certissimumque fugatis hostibus perfugium. I. Mach. III. 24. « Stultus populus in Sichimis : » Samaritanus cujus caput Sichem : stultus revera populus, imperitus, qui licet legis guarus, tamen a præscriptis legis veroque cultu ac populo Dei secesserit : ideo invisa gens, nec gentis nomine appellanda, quippe quæ nec suis ipsa stet legibus. Quantum autem per hæc tempora Judæis nocuerit, testantur omnes historiæ.

29 « Doctrinam : » Hæc et quæ sunt in seq. capite, Hugo Grotius a nepote addita putat avi auctoris scriptis; quo argumento, quave conjectura, non dixerim, cum nullam afferat. Cæterum hæc immerito rejici in nepotem facile evicero, cum nihil sit quod non avo conveniat. « Jesus filius Sirach Jerosolymita. » Sic antiqui nomen, parentem, patriam inserebant libris; nec refert, an in capite, an in clausula. Quin etiam Ecclesiastes postesquam in ipso initio nomen posuit, in extremo sic scribit : « Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, etc. » Ecc. XII. 9. quod iste videtur imitatus.

30 « Beatus, qui in his versatur bonis : » Gr. simpliciter : beatus qui in his versatur. Sic scriptores divinitus inspirati solent commendare doctrinam suam, imo non suam, sed Dei, uti in Præfatione cap. ult. memoravimus: sic ipse Salomon passim, sic iste, supra, cap. XXXXIII. 17, 18, 19. XXXIX. 16. et seq. sic sequente capite, 19, 22, 23, 30, 31, etc.

31 « Lux Dei vestigium ejus est : » qui scilicet « hæc fecerit : » divino lumine signata sunt vestigia quæ sectetur.

1 « Oratio » seu precatio « Jesu filii Sirach : » ejus procul dubio cujus est liber totus, ut ipse testatur inscriptio. Hoc caput quidam codices non habent, additumque omnino est libri clausulæ illi quam vidimus : supra, L. 29. Cæterum ejusmodi addi solere ab ipsis auctoribus, neque ulla ratio vetat, et e contra probat vel Joan. cap. XXI. additum post clausulam cap. XX. ℣ 30, 31. neque quidquam est quod non ipsi auctori congruat, ut mox videbimus. « Confitebor tibi : » collaudabo, concelebrabo te.

Confitebor nomini tuo : quoniam protector et adjutor factus es mihi.

Et liberasti corpus meum a perditione, et a laqueo calumniæ linguæ, a labiis operantium mendacium; et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor.

Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ et nominis tui, a rugientibus præparatorum ad escam,

De manu quærentium animam meam; de multis tribulationibus, quas habui;

A suffocatione flammæ in circuitu, et de medio ignis, ubi non sum æstuatus;

Ab altitudine ventris inferni, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii regi, calumnia linguæ injustæ.

Appropinquavit usque ad mortem anima mea;

Et vita mea erat appropinquans inferno deorsum.

Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret; respiciens ad adjutorium hominum, et non erat.

Et memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a seculo.

2. Confitebor nomini tuo; quoniam adjutor et protector factus es mihi;

3. Et liberasti cor meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium; et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor.

4. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus, præparatis ad escam,

5. De manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me;

6. A pressura flammæ, quæ circumdedit me; et in medio ignis non sum æstuatus;

7. De altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta.

8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum;

9. Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

10. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret; respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.

11. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a seculo sunt.

3 « Liberasti a perditione, » a certissima nece, quod ipsi auctori non semel contigisse ipse testatur, XXXIV. 13. Congruunt tempora, cum sub Onia III. quo pontifice Siraciden scripsisse ostendimus, homicidia fierent, II. Mach. IV. 3. sub Seleuco quidem Philopatore : quanto magis autem sub Antiocho Epiphane ejus filio, quo rege ipse Onias per proditionem a Menelao cæsus est : ibid. 34. « A laqueo linguæ iniquæ : » Gr. a laqueo calumniæ. « A labiis operantium mendacium, » Qualis fuerit Simon ille Benjaminites, qui sanctum pontificem adortus calumniis, provisorem gentis audebat insidiatorem regni dicere : ibid. I, 2. quibus calumniis et hic et similes in Ecclesiasticum quoque sævire potuerint. Hic autem observandum Siraciden nusquam hic commemorare causam religionis, aut odium gentis, eo quod in hujus vexationis initiis, Judæorum hostes nondum apertas inimicitias professi adversus Judæos, Simonis, hujus Benjaminitæ, Jasonis, Menelai, Lysimachi et aliorum Judæorum opera uterentur; atque odio gentis ac religionis, læsæ majestatis crimen obtenderent; quale persecutionis genus sub Juliano Apostata Christiani quoque experti sunt. Sic ergo ipse Siracides ad extremum vitæ deductus est periculum. « In conspectu adstantium : » accusantium, adversantium : *antistekotôn*, quod habent quidam codices.

4—6 « A rugientibus... a pressura flammæ... in medio ignis : » similitudines, quibus designatur calumniæ vis, et extremum vitæ discrimen.

7 « De altitudine ventris inferi : » sive inferni, de profundissimo sepulcro, sive etiam carcere : quo sensu Jeremias : « Lapsa est in lacum vita mea : et posuerunt lapidem super me : » Lam. III. 53. et Ps. LXXXVII. 7. « Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis. A rege iniquo : » Antiocho Epiphane, ut videtur, jam in sanctos sævire aggresso. « A verbo mendacii : » Gr. regi (dicto, ad regem clam seu palam allato ; et a) « calumnia, » etc.

9 « Et vita mea appropinquans : » vide præcedentem.

Quoniam eruis sustinentes te, et salvas eos de manu gentium.

Et exaltavi super terram supplicationem meam, et pro mortis liberatione deprecatus sum.

Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in diebus tribulationis, in tempore superborum destitutionis.

Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo in confessione. Et exaudita est oratio mea.

12. Quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus gentium.

13. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum.

14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio.

15. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione; et exaudita est oratio mea.

12 « De manibus gentium : » sive etiam superborum, de quibus ℣ 14. indicat autem, vexationem jam a gentilibus cœptam.

14 « Invocavi Dominum patrem Domini mei. » Nil mirum invocari Dominum patrem Domini, cum ad id sufficiat legisse vel illud Davidicum : « Dixit Dominus Domino meo : » et in eodem Psalmo illud : « Ante luciferum genui te : » quod per eadem tempora a LXX. quoque proditum; ut cætera omittamus, tot ac tanta testimonia de filio Dei, ex quibus Ecclesiasticus tantus vir, tam in Scripturis versatus, ne quid dicam amplius, Domini sui Dominum eumdemque patrem, et agnoscere et invocare potuit. Ita interpretes passim : ita catholici; ita alii, Drusius, cæteri. At Grotius decretorie : Christiani illud *Kurios* hic addidere : Jesum scripsisse, crede : Invocavit Dominum patrem meum. En dictata magistri, et oracula tanquam de tripode. Quid igitur? adeone absurdum est et a Scripturarum sensu alienum, de filio Dei dicere, ut siculi scriptum in antiquis scriptis videas, statim in oris magistrum adultere manus, tuoque judicio piam vocem eradas? atqui tam vulgare apud Judæos Christum futurum Dei filium, ut non alio magis nomine appellaverint; quin ipse pontifex ita adjuraret : « Tu es Christus filius Dei : Matth. XXVI. 63 » hic apud Joannem I. 49. « Tu es filius Dei, tu es rex Israel : » ut eas voces... Christus, Dei filius, rex Israel, » aliasque similes pro una eademque sumerent, passim in Evangeliis : neque unquam objecerunt Christo, quod Christum Dei filium, sed quod se Christum, adeoque Dei filium faceret; queis liquet tam tritam, pervulgatam fuisse eam appellationem, quam ipsius Christi : unde autem pervulgatam, nisi ab ipsis patribus ad universam gentem permanasset? Et mirum videbitur si Ecclesiasticus propheticis oraculis eruditus, pias voces noverit? quid quod ipse prædicat primogenitam Dei sapientiam : XXIV. 5. hoc est, post Salomonem, ipsum Dei filium? quid quod in Sapientia legerat : « Si est verus filius Dei,... liberabit eum, II. 18. nisi hæc quoque a Christianis obtrusa fuerint; tanquam non licuerit ante Christum christiane dicere, falsumque sit Paulinum illud, fide, utique venturi ac passuri Christi, omnia gesta esse ab antiquis sanctis. Heb. XI, etc. Quid quod illud Grotianum, Invocavi Dominum patrem meum, vix ac ne vix quidem, quantum equidem commemini, in Scripturis reperias? Sane de Davide dictum a Deo est : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu : » Psal. LXXXVIII. 27. sed speciali causa, sed in persona Christi, sed ea vocatione qua sequente versu additum, « Et ego primogenitum ponam illum : nec ideo permissum passim : nec ab ipso Davide usquam usurpatum in toto Psalmorum opere : doctique omnino sumus, Deum patrem nostrum, communi adoptionis titulo, non proprie ac singulatim quosque patrem suum dicere, quo ritu apud Prophetam : « Tu pater noster, et Abraham nescivit nos, » etc. Is. LXII. 16. ac signanter Christus : « Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum : » Joan. XX. 17, ut si exquisite loqui volumus, solus ille Deum *Kurios* patrem suum; solus ille singulariter se dicat Dei filium qui talis natus est. Neque tamen patrem meum dici, absolute ac præcise refugimus; tantum indicamus non videri consuetudinis Scripturarum : quod hic satis est. Cave ergo admittas illud censorium : tu crede a Christiano intersertam vocem; cum ego potiori jure dixerim : tu ne moveas patrum terminos, neque animum induxeris sacros libros a Christianis violatos, nullo ejus interpolationis exemplo; neque ipse palato tuo tantum tribuas, ut ejus arbitriis antiquas lectiones præsertim in tanta re sollicites; neque absurdum credito, si Ecclesiasticus pro justitia tot ac tanta perpessus æque ac cæteri sancti, jam tum respexerit in auctorem fidei nostræ et consummatorem Jesum, ejusque patrem, ac Mosis exemplo improperium Christi, potiores duxerit divitias regum potestate atque opibus Heb. XI. 26. XII. 2. Hæc quidem a nobis dicta sint, non studio lacessendi doctissimi viri Hugonis Grotii, quem ipsi laudemus in grammaticis, in historicis, sæpe etiam in moralibus; multa quoque putemus emendaturum fuisse, si, quod animo propositum habuisse credimus, totum se catholicis partibus addixisset; neque ejus labores excussum imus ex eruditorum manibus; denique id tantum volumus, ut eum adjutorem, non ducem, non magistrum habeant. « In tempore superborum : » quod est sæpe impiorum; vel ut ℣ 16. « de tempore iniquo : » hoc est, iniquo piis sanctisque; quod idem est, ac supra « de manibus gentium : » ℣ 12.

Salvasti enim me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo.

Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomen Domini.

Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea:

Ante templum postulabam pro illa; et usque in novissima inquiram eam. Ex flore tanquam maturescentis uvæ;

Lætatum est cor meum in ea; ascendit pes meus in rectitudine; a juventute mea investigavi eam.

Inclinavi modice aurem meam, et excepi;

Et multam inveni mihi doctrinam; profectus est mihi factus in ea.

Danti mihi sapientiam dabo gloriam.

Consiliatus sum enim, ut facerem illam; et zelatus sum bonum, et non confundar.

Colluctata est anima mea in illa, et in factione famis diligenter egi.

Manus meas extendi in altum, et ignorantias ejus luxi.

Animam meam direxi ad illam;

Cor acquisivi cum eis ab initio, et in purificatione inveni eam. Propter hoc non derelinquar.

Et venter meus conturbatus est quærendo eam. Propterea bonam possedi possessionem.

Dedit Dominus linguam mihi mercedem meam; et in ea laudabo eum.

Appropiate ad me, indocti, et commoramini in domo disciplinæ.

16. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo.

17. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

18. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea;

19. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tanquam præcox uva,

20. Lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum; a juventute mea investigabam eam.

21. Inclinavi modice aurem meam, et excepi illam.

22. Multam inveni in meipso sapientiam, et multum profeci in ea.

23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.

24. Consiliatus sum enim ut facerem illam; zelatus sum bonum, et non confundar.

25. Colluctata est anima mea in illa, et in faciendo eam confirmatus sum.

26. Manus meas extendi in altum; et insipientiam ejus luxi.

27. Animam meam direxi ad illam; et in agnitione inveni eam.

28. Possedi cum ipsa cor ab initio; propter hoc non derelinquar.

29. Venter meus conturbatus est quærendo illam; propterea bonam possidebo possessionem.

30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam; et in ipsa laudabo eum.

31. Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.

18 « Cum adhuc junior. » Hic Ecclesiasticus exemplo suo docet quibus artibus sapientiam pares : nempe si ab ineunte ætate, si docili animo, si multo labore, adhibita quoque precatione quæsieris, tum acceptam Deo retuleris. « Priusquam oberrarem : » peregrinarer, quod fecisse se refert conquirendæ sapientiæ gratia : XXXIV. 9, 10, 11, 12.

21 « Inclinavi modice : » paruuper, quod ipsa sapientia ultro se inferat, ubi primum intendere cœperis. Vide 35.

24 « Consiliatus sum, » cogitavi, consilium cepi, ut XXXIX. 16. « facerem » (exercerem) « illam : » facere sapientiam, ex ejus præceptis vitam instituere, facere sapienter.

25 « In faciendo eam : » Gr. in Sixtino codice vix ullum habet sensum : alius codex perspicue : in actione mea diligens fui.

26 « Insipientiam (Gr. ignorantias) illius luxi : » deplorandos duxi qui eam ignorarent.

30 « Dedit mihi Dominus : » eleganter Grotius : Deus mihi eloquentiam dedit, præmium studiorum meorum (ac laborum fructum).

Quid tardatis in his, et animæ vestræ sitiunt vehementer?

Aperui os meum, et locutus sum; comparate vobis sine argento.

Collum vestrum subjicite jugo; et suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est invenire eam.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.

Acquirite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea.

Lætetur anima vestra in misericordia ejus: et non confundamini in laude ipsius.

Operamini opus vestrum ante tempus: et dabit mercedem vestram in tempore suo.

32. Quid adhuc retardatis? et qui[d] dicitis in his? animæ vestræ sitiun[t] vehementer.

33. Aperui os meum, et locutus sum; comparate vobis sine argento;

34. Et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est enim invenire eam.

35. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.

36. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea.

37. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius.

38. Operamini opus vestrum ante tempus; et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

36 « In (seu cum) multo numero... et copiosum aurum: » disciplina, industria, sapienti cum sit provida, sedula, moderata, una cum cæteris bonis etiam divitias parat.

38 « Operamini ante tempus: » Paulus, Gal. VI. 9. « Bonum facientes non deficiamus. tempore enim suo metemus non deficientes. » Quo præceptorum fine discimus sapientiam de qua toto libro agitur, non sermonibus, non sententiis, sed operibus contineri, eoque colligere totam.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX.

LIBER PSALMORUM.

Pages.

Epistola illustrissimi Meldensis Episcopi. I

DISSERTATIO DE PSALMIS. CAPUT I. De Psalmorum ratione et instituto. — I. Carminum vis Psalmi in piorum cœtibus decantati. III

II. In Davide cura cantus, sacræque musicæ. IV

III. Munimenta fidei in Psalmis : primum ex commemoratione rerum antiquarum; tum decurrentium. V

IV. Vetus apud omnes gentes carminum canticorumque institutum : Mosis aliorumque exempla. VI

V. Res antiquæ in Psalmis recensitæ. VII

VI. Confutati ex Psalmis, qui Pentateuchum ab Esdra aliisve confictum credunt. IX

VII. Firmata fides ex vaticiniis Davidicis de Christo : hinc quoque spei incitamenta. X

VIII. Spes incitata in Psalmis : futuræ vitæ felicitas sub figuris adumbrata. *Ibid.*

IX. Loci quidam in Psalmis, quibus spes omnis ad præsentem vitam redacta videatur. XI

X. Horum locorum explicatio, atque inde quoque vitæ futuræ spes firmata. XII

XI. Caritatis incitamenta in Psalmis. XIII

XII. In Psalmis admirabilis sensus caritatis in Deum. XIV

XIII. Caritatis quoque erga proximum, etiam erga inimicos *Ibid.*

XIV. Inimicorum commemoratio, atque adversus eos imprecationes in Psalmis quam a vulgari sensu abhorreant. XVI

XV. De veteris populi sacramentis, pioque erga ea Davidis affectu. XVIII

CAP. II. De grandiloquentia et suavitate Psalmorum. — XVI. Psalmorum stylus; ac primum grandiloquentia ex rerum ac sensuum majestate. XX

Pages.

XVII. Subjicere oculis, quam vividum in Psalmis. XXI
XVIII. Comparationes in Psalmis : mira ac sublissima brevitas. XXIII
XIX. Rapidi concitatique motus. XXV
XX. Suavitas in Psalmis quanta. XXVI
CAP. III. De variis Psalmorum generibus. — XXI. Variorum generum in Psalmis ratio et vis. XXVIII
CAP. IV. De profunditate et obscuritate Psalmorum. — XXII. Profunda Psalmorum ; hujus rei prima causa, ex rerum celsitudine. XXIX
XXIII. Altera causa ; ratio prophetici sermonis : tertia ex sublimitate poeseos. XXX
XXIV. Alia causa, ex linguæ sacræ ratione. *Ibid.*
CAP. V. De textu ac versionibus. — XXV. Monitum necessarium ; in variis lectionibus ac versionibus eamdem inesse rerum ac doctrinæ summam : tum de textu ac versionibus regulæ. Prima regula. XXXI
XXVI. Altera regula : de antiquis versionibus. XXXIII
XXVII. Harum regularum usus ; versio Hieronymi ex Hebræo. *Ibid.*
CAP. VI. De titulis, aliisque notis : ac de argumentis, auctoribus, et ordine Psalmorum, deque choreis et pia saltatione, ac metrorum ratione. — XXVIII. Tituli Psalmorum authentici. XXXIV
XXIX. Item de titulis, deque alia nota ad Ps. LXXI. XXXVI
XXX. De Psalmorum auctoribus. *Ibid.*
XXXI. Item de titulis, auctoribus et argumentis Psalmorum ; horum utilitas. XXXVII
XXXII. De *sela*, nihil ad sensum pertinente. XXXVIII
XXXIII. De choreis ac metris. *Ibid.*
XXXIV. De instrumentis musicis. XXXIX
XXXV. Psalmorum ordo incompertus. XL
CAP. VII. De ratione legendi et intelligendi Psalmos. — XXXVI. Utilis obscuritas ; ex fixe intelligentia. *Ibid.*
XXXVII. Ratio legendi Psalmos ; pauca de auctoribus quos maxime secuti sumus, ac de commentario Hieronymi in Psalmos. *Ibid.*
XXXVIII. Ordo versuum ; Vulgatæ glossemata, quorum hic pleraque referuntur. XLI
CAP. VIII. De usu Psalmorum in quocumque vitæ statu. XXXIX. Ut in Davidis rebus seipsum quisque cogitet ; ex sancto Athanasio. XLIII
XL. Cum Davide expurgandi, et ad Deum transferendi affectus : ex eodem Athanasio. XLIV
XLI. Vera psalmodi ex sancto Augustino. XLV
XLII. Optimus psalmodiæ usus, ex eodem Augustino. XLVII
S. Hieronymi presbyteri in Psalmos, juxta hebraicam veritatem, ad Sophronium præfatio. XLVIII
Notæ abbreviantes. *Ibid.*
Liber primus Psalmorum secundum Hebræos, usque ad Psal. XLI. 1
Psalmorum liber II, usque ad Psal. LXXII. 63
Psalmorum liber III, usque ad Ps. LXXXIX. De Psalmis Asaphi nomine inscriptis. 111
Psalmorum liber IV, usque ad Psal. CVI. 145
Psalmorum liber V et ultimus secundum Hebræos. 172
De Canticis graduum. 201

Pages.

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI CANTICA.

Canticum Moysi. Exodi caput XV. *Cantemus Domino.* 233
Alterum Moysi Canticum. Deuter. cap. XXXII. *Audite, cœli, quæ loquor.* 235
Canticum Debboræ. Judic. cap. V. *Qui sponte obtulistis.* 238
Canticum Annæ. I. Reg. cap. VI. *Exultavit cor meum.* 241
Canticum Isaiæ, cap. XII. *Confitebor tibi, Domine.* 242
Alterum Isaiæ canticum, cap. XXVI. *Urbs fortitudinis nostræ.* *Ibid.*
Canticum Ezechiæ, Isa. cap. XXXVIII. *Ego dixi.* 244
Canticum trium Puerorum. Dan. cap. III. *Benedictus es, Domine.* 245
Canticum Jonæ, cap. II. *Clamavi de tribulatione mea.* 247
Canticum Habacuc, cap. III. *Domine, audivi auditionem tuam.* 248
Canticum Judith, cap. XVI. *Incipite Domino in tympanis.* 250
CANTICA NOVI TESTAMENTI. Canticum Mariæ Luc. cap. I. *Magnificat.* 252
Canticum Zachariæ. Luc. cap. I. *Benedictus.* 253
Canticum Simeonis. Luc. cap. II. *Nunc dimittis.* 255

SUPPLENDA IN PSALMOS.

Admonitio. 257
In Psalmum II. 7. 261
In Psal. XV. 8. 267
In Psal. XLIV. 7. 269
In Psal. L. 7. 271
In Psal. CIX. 1. 275
In varios Psalmorum locos. 278

LIBRI SALOMONIS.

PRÆFATIO IN PROVERBIA SALOMONIS. I. Proverbiorum sive sententiarum origo, ratio, institutum : cur dicantur Parabolæ, sive similitudines. 282
II. Proverbiorum sive sententiarum tradendarum methodus, juvandæ memoriæ apta. *Ibid.*
III. Sententiæ urgent sicut stimuli, atquo ideo versibus comprehensæ. *Ibid.*
IV. Proverbiorum ac Parabolarum, sive sententiarum auctores, earumque collectiones variæ. 283
V. Universa morum disciplina his tradita proverbiis : œconomica, politica, monastica, sive quæ ad privatam vitam pertinent. *Ibid.*
VI. Docendi ratio per similitudines, per opposita ; sententiarum brevitas, elegantia, vis. 284
VII. Quo Salomon cæteris sententiarum auctoribus præstet. 285
VIII. De promissis ac minis temporalia spectantibus. 286
IX. De versione quæ LXX. interpretum dicitur ; deque veterè Vulgata latina ; ac nova per S. Hieronymum. *Ibid.*
X. Notarum nostrarum excusatur in plerisque brevitas ; in quibusdam prolixitas. 287
XI. Vulgatæ nostræ glossemata : hebraismi in libris Salomonis atque aliis : nota necessaria de comparationibus. *Ibid.*

Pages.

S. Hieronymi presbyteri Præfatio in libros Salomonis, ad Chromatium et Heliodorum episcopos. 289
S. Isiodori Pelusiotæ Lib. IV. Ep. XL. de tribus Salomonis libris. 290

LIBER PROVERBIORUM. 291

PRÆFATIO IN ECCLESIASTEN. I. Summa Ecclesiastæ. 339
II. De ultimo capite ac traditione Hebræorum observandus sancti Hieronymi locus. 340
III Libri tempus ; Hebræorum traditio ; Hieronymi loci. *Ibid.*
IV. Responsio ad objecta. *Ibid.*
V. De auctore libri : Grotii singularis opinio. 341
VI. De versionibus, ac primum de Septuaginta, atque antiqua latina ipsis inhærente. *Ibid.*
VII. Certis argumentis probatur Vulgatam nostram ab antiqua latina plurimum discrepare. *Ibid.*
VIII. Tres S. Hieronymi versiones ; prima deducta ex Commentario ad Paulam. *Ibid.*
IX. Altera versio ejusdem Hieronymi, seu potius antiquæ latinæ emendatio ex Græco LXX. 342
X. Tertia interpretatio sancti Hieronymi ex Hebræo, quæ est Vulgata nostra. *Ibid.*
XI. Cur Vulgata nostra non semper Hebræo consentiat ; ratio interpretandi Hieronymiana ex ipso sancto Hieronymo statuitur. *Ibid.*
XII. De Commentariis sancti Hieronymi in Ecclesiasten. *Ibid.*
S. Hieronymi presbyteri, in Ecclesiasten, ad Paulam et Eustochium, Procemium. 343

LIBER ECCLESIASTES. 344

PRÆFATIO IN CANTICUM CANTICORUM. I. Christi cum Ecclesia, sanctisque animabus conjunctio, conjugalis amoris figura ac sacramento, adumbrata. 374
II. Salomonis, ac filiæ Pharaonis casti amores, ad hujus mysterii figuram assumpti, ex Psalmo XLIV. cum utriusque carminis discrimine. 375
III. Nuptialis festivitas per septem dies : hinc hujus dramatis sive eclogæ pastoralis constitutio ; quæque personæ inducantur. 376
IV. A quibus et quo spiritu hoc Canticum legendum ; qualesve interpretes habuerit. *Ibid.*

CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS. 379

PRÆFATIO IN LIBRUM SAPIENTIÆ. I. Quatenus liber iste Salomonis habeatur. 403
II. De auctore et ætate libri incompertum. *Ibid.*
III. Libri divisio in duas partes ; primæ partis documenta. 404
IV. Documenta secundæ partis. *Ibid.*
V. Divina libri auctoritas. *Ibid.*

LIBER SAPIENTIÆ. 406

Pages.

PRÆFATIO IN ECCLESIASTICUM. I. De inscriptione libri inter Græcos et Latinos. 437
II. De auctore libri : Grotii sententia de fine capitis L. et de capite LI. deque aliis locis huic et libro Sapientiæ additis. 438
III. De ætate libri : duæ ejus notæ ex ipso libro repetendæ. *Ibid.*
IV. Quis fuerit ille Simon Oniæ filius ab Ecclesiastico celebratus? *Ibid.*
V. Simonis primi ac successorum pacatissima tempora. *Ibid.*
VI. Gravis persecutio tempore Ecclesiastici. *Ibid.*
VII. Liber Ecclesiasticus circa Simonis II. tempora. 439
VIII. Nec tamen eo vivo. Primum; quod Ecclesiasticus mortuos tantum laudaverit. *Ibid.*
IX. Alterum ; quod ejus quoque tempore pacatissimæ res fuerint. *Ibid.*
X. Onia III. Simonis II. filio pontifice, pax primum; deinde vexatio a Seleuco ; tum vel maxime ab Antiocho Epiphane. *Ibid.*
XI. Sub Antiocho scriptus liber, in ipsis persecutionis initiis, Onia adhuc superstite. 440
XII. De Onia III. objectio ex Josepho ; ex libris Machabaicis atque ipso Josepho soluta. *Ibid.*
XIII. De tempore interpretationis græcæ. *Ibid.*
XIV. De auctore et interprete S. Epiphanii et S. Joannis Damasceni loci. 441
XV. De latina interpretatione. *Ibid.*
XVI. Vulgatæ hic additur versio ex Græco hodierno, Sixti V. jussu edita. *Ibid.*
XVII. De libri instituto ; et ut a Salomonicis Parabolis differat, et a libro Sapientiæ. *Ibid.*
XVIII. Distributio operis. 442
XIX. De canonica et antiqua libri auctoritate ad disceptandas fidei quæstiones. *Ibid.*
XX. Cur Salomonis sit dictus , Isidori Hispalensis locus. *Ibid.*
XXI. Ipse auctor prophetici instinctus sibi conscius. 443

LIBER ECCLESIASTICI. 444

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

CTU Library
[redacted] G
Sayce, A. H./ The archaeology of the
3 2400 00163 8554

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.